



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Mirabilis Vita Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar Vallisoletanæ

Deprompta ex ijs, quæ ipsamet jussu Patrum suorum Spiritualium
consignavit

Secvnda Pars Mirabilis Vitæ Venerabilis Virginis Marinæ De Escobar

Puente, Luis de la

Pragæ, 1688

Liber Primus. Heroica animi demissio hujus Virginis, ejusdémque
sublimissima perfectio, quam anima ipsius isthac viâ est assecuta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38666



SECUNDA PARS,
MIRABILIS VITÆ
MARINÆ
DESCOBAR.
LIBER PRIMUS.

Heroica animi demissio hujus Virginis,
ejusdemq; sublimissima perfectio, quam ani-
ma ipsius isthac viâ est assecuta.

Semper spiritualis ædificij, quod Deus
in anima architectatur, fundamentum est animi de-
missio, ideòq; præter plurima alia, ingens & istud in-
ter spiritualia & materialia ædificia intercedit discrimen,
quòd in his post apertas semel fossas, & jacta fundamenta, istis
deinceps intactis, fabrica exurgat; non ita verò se res habeat in fa-
bricis spiritualibus: ubi structura pariter crescit & substructio, ne-
que ullus vel in altissima ædium turri elaboratus collocatur lapis, nisi
unà profundior denuò eruatur fossa, & magis ac magis consolidetur
fundamentum. Id in hac Sponsa Christi manifestè conspicietur: Si-
quidem dum magnus iste Dominus illius perfectionem ad summum
perducebat fastigium, illa junctim submississima profundiores pro-
priæ vilitatis fossas perpetuò moliebat.

Vita Marin. de Escobar, Pars III

A

CAPUT

CAPUT I.

Quàm profundas in ea, propriæ vilitatis cognitio,
egerit radices.



Nima sancta pretiosissimum despicentiæ sui aurum eruit ex fodina cognitionis sui ipsius: que quidem

in ipsa Christi Sponsa fuit specialis & continua, cum in ejus chartis, quas trecentis plures habeo, sint quàm paucissima, in quibus pro gratia a DEO obtenta basi non statuat sui nihili considerationem, cui inter scribendum erat immersa. Fuitque hæc adeò vehemens & incitata, ut illam sibi met ereptam, ad millena in se ipsam jadanda convicia atq. opprobria compelleret: quamvis, dum ita se loqui vera existimaret, aliunde metueret, ne falsum contra se proferret testimonium, quin tamen hos vilipensionis sui affectus posset cohibere; quod certe in admirationem quemvis rapiet, qui exploratam, quâ erat prædita, conscientie habet puritatem. Utillissimum est in hanc rem documentum, quod ei ab Angelo illius datum, nobisque ab ipsamet his fuit verbis descriptum.

Cœlesti instructa lumine, quod DEUS meæ animæ sæpenumero communicat, ut meam agnoscam vilitatem & miseriam, judico, me profundissimam esse abyssum, fundiq; carentem puteum horroris, persuadens mihi, nihil me esse: & quantumcunque me deprimam, semper tamen in me perseverat dictamen, quod mihi identidem oggerit: Multò es vilior, multò es pejor, quàm existimes; longè profundius est descendendum. Quando hunc in modum sum comparata, affectus despicentiæ mei ipsius vehementissimè augetur, & quia aliud agere nequeo, innumeris me onero convicijs; neq; capio, quo pacto apprehendam, esse verum, quidquid de me, assero mali, ita ut nequeam advertere, à me per Dei misericordiam, nunquam ea peccata fuisse commissa, quæ mihi imputo. Cum autem aliquando, prout aliàs frequenter, sic essem constituta, post aliquot horas, cessante illâ divinâ illustratio-

ne, unâ cum prædictis meis affectibus, dicebam: Bone DEUS! qua tandem in me fundo, dum habeo illud lumen, ut mihi verissimè eorum delictorum, quorum me arguo, videar esse rea, quæ tamen, ex Dei bonitate, nunquam patravi? Quomodo id explicabo meo Confessario? Nec enim falsum dicere vellem, sed neq; etiam tacere, quòd omnem merear reprehensionem. Ita me perplexam intuitus est meus Sanctus Angelus Custos, gravem præ se ferens vultum, & more imperantis mihi dixit: Ut quid, Anima, scrutaris, quod nec satis percipere vales, neq; exponere nôsti? Cui ego procius confusa respondi: Domine Angele, nihil ultrâ scio, nec memet possum explicare; atque sic velut obtutu. Urgebar iterum à meo Domino Angelo, ut animi mei sensa aperirem. Ego verò quamvis cuperem obsequi, nihil amplius poteram, aut sciebam, præter jam dicta, respondere. At saltè aliquid, aiebat Angelus, edisere, tametsi tibi minimè verum assequi videaris. Tum aliquantò animosior dixi: Hoc unicum profari possum, me cum Regio Propheta gemere, petendo: Ab occultis meis libera me Domine. Quid namque, Domine Angele, ego miserabilis de me explorati habeo? Parum, inquiebat Angelus, dixisti; parum percepisti. Age nunc, atque ausculta me, & intelliges clarè hujus spiritualis ænigmatis significationem. Pretiosissimum illud lumen, quod Dominus DEUS animæ in hujusmodi occasionibus infundit, ut suum agnoscat nihilum & miseriam, neque oritur ex ratiocinatione intellectûs, neque innititur argumentis, quæ tum concipiuntur; sed indistinctè, absque ulla tamen confusione, manifestat animæ, quid ex se ipsa habeat, quidq; accipiat à Deo. Videte omnia virtutum, gratiæ, ac talentorum naturalium bona habere quasi commoda, seque suis duntaxat viribus tam nihil mereri

mereri, quàm etiam nihil conservare posse, & si Deus manum suam subtraheret, relapsuram in miseriam sui nihili. Atque sicut accidit inopi cuiquam puellæ, quæ postquam illi aliquis dives, pro die nuptiarum elegantem commodavit vestitum & cimelia, Domino omnia pretiosa ornamenta, peractâ nuptiali solennitate, restituit, manetque tam egena, quàm antea fuerat: sic anima clarè percipit, quid sibi possit evenire. Videt præterea luminis illius collustrata radijs, se ijs donis spoliatam, non modò mendicam, sed etiam expositam, obnoxiam, & pronam fore ad perpetranda abominabilia peccata, donec demum præceps rueret ad infernum. Inde fit, quòd animam vertendo, qualis tua esset anima, nisi à Deo custodiretur, verè illam ac meritò conviceris ob ea, quæ ex corrupta sua habet natura: & opprobria, quibus eam impetis, non tam redarguunt peccata, quæ non commisit, quàm abominantur illa, quæ committeret, si à Deo non protegeretur. Ex hac illuminatione, & ex generosis illis affectibus, multum eruitur boni, dum anima se taliter cognoscens semetipsam vilipendit: inde enim deinceps ardentè desiderat, ut ab omnibus ignominiosè tractetur, nullòq; habeatur loco, & existimetur digna omni imaginabili afflictione. Hoc ipsum desiderium vilipensionum sui ipsius, iudicium istud, quod de se fert anima, postquam ab eo lumine recedit, instar calcaris exstimulat quidam, tunc illi communicatus velut olfactus spiritualis, quo percipit, absque ullo discursu & ratiocinio, execrabilem sui ipsius odorem, provenientem ex sterquilinio pestilentissimos exhalante fetores. Istud est, Anima, cognitionis sui ipsius, quæ, allucentibus illius Divini luminis radijs, obtinetur, arcanum, ita declaratum, ut à te possit intelligi. Affecuta sum, quod à Sancto Angelo fueram docta, & mansi ab ipsius verbis in spiritu suspensa, ac repleta sui solatio, ob soluta mihi mea dubia. Deus sit benedictus, propter omnia opera sua, & misericordias, AMEN.

Eximia fuerunt gratiæ, quas Deus huic sue sponsæ præstavit, prout in præsentis historia Vna Mar. de Escob. P. II.

exponantur: prædictum tamen lumen, ut sua vilitatis tam sublimem haberet cognitionem, fuit beneficium prorsus singulare. Recordatissima ipsi Deus manifestavit ministeria: sed quando illi concessit, ut se tam veraciter agnosceret, clavim eidem donavit omnium suorum Theaurorum, quod ipsamet in quadam sua scheda annoravit, quæ est huiusmodi.

Dum nuper cum DEO agerem, toto cordis mei exoptans affectu, ut sanctissimam ejus voluntatem ad unguem explem, denuòque illi servire inciperem, sicut qui incipit, ut more nostro loquar, prima ediscere Rudimenta literarum dixi eodem abrepta affectu: Domine mi Deus, quis me edocebit, quod desidero: Concede mihi aliquem, à quo id præsteretur. Clementissimus Dominus mihi respondit: Ego jam inde ab exordijs tuis sum tuus magister, ego te quæcunque scis docui, temperque tibi dedi meos ministros, tuo genio quàm maximè accommodatos, qui idem munus exquerentur. Quomodo verò, mi Domine, instabam ego, tum tam perverta, tam flagitiosa, adeò plena miserijs, adeòque parum ex tot auxilijs profeci? Tum mihi Dominus dixit: Non es tam inepta discipula: saltè enim te istam tui ipsius docui cognitionem, quam semper habes; hanc à me didicisti. Ipsa est totius vitæ spiritualis clavis & fundamentum; per illam es affecuta, ut me modò cognosceres, ac deinde eò pertinges, ubi memet fruere in æternum.

Plerumq; animabus, ad huiusmodi cum DEO familiaritatem progressis, evenit, ut, quando novi cujuspiam luminis gratiam ab ejusdem Majestate consequuntur, eam præcedat cognitio propria vilitatis, quæ sit instar gradus ad conscendendum illum thronum. Atque istud est, quod ipsi hic Deus asseruit, videlicet per cognitionem suæ miseriæ affecutam esse, ut eundem cognosceret. Idem hæc DEI famula multoties alias experta est, quòdque illi quadam præsertim vice accidit, sic recenset.

Adverti, me feriâ sextâ nonnihil esse tepidam in ijs affectibus, qui præterlapsis diebus fuerant ferventissimi, quamvis tamen eosdem intimè infixos, & irradicatos animæ sentirem. Cæpi, uti potui, recitare

Litanias, dixique Domino meo: Mi DE-
 us, quomodocunque mecum agas, bene
 mihi tecum est. Interea derepente exat-
 ferunt vehementes divini amoris affectus,
 quibus tota abrepta dixi. Profectò Do-
 mine, postquam jam didici viam ad te in-
 veniendum, & ascendendum ad cœlestem
 Jerosolymam, necesse est me ascendere
 per scalas, uti aliàs, donec perveniam ad
 tuam januam, eamque pulsem. Quodsi
 verò Angelus aliquis flammeo armatus
 gladio prodiderit, ad prohibendum mihi
 ingressum, quid illi debeo dicere? quo-
 modo illum alloquar? dic mihi mi Deus.
 Eo ipso momento mihi Deus contulit in-
 gens lumen, & profundam propriæ mise-
 riæ, meaque omnimodæ ad quidvis boni
 agendum ineptitudinis cognitionem, eoque
 à me percepto respondens meæ interro-
 gationi dixit: Quid dices, Anima, isti An-
 gelo gladium gerenti? Nescio, ajebam,
 mi Domine, tu me instrue. Dices illi,
 subjecit Dominus, mihi placere, ut te sinat
 ingredi, eò quòd à me habeas facultatem
 ingrediendi. Et subito adverti, me more
 solito conscendentem scalas, atque post-
 quam perveni ad portam, omnia mihi eve-
 nerunt, quæ antea meæ mentis Dominus
 objecerat. Conspexi Angelum gladio
 flammeo armatum, qui mihi dixit. Subi-
 ste, Anima, quò vadis? cumque ego re-
 spondissem, habere me à Deo facultatem,
 qui me illic ascendere jussisset, præbuit
 mihi ingressum expeditum. Vixdum in-
 traveram, quando statim obviam habui
 totam Beatissimam Trinitatem, agnoscens
 mirâ claritate distinctionem trium in una
 Essentia Personarum. Cognitio ista mihi
 fuit data per spiritualissimas quasdam, ac
 divinas figuras. Immerli me in immen-
 sum illud Bonum, ubi meo modo per ar-
 ctissimam unionem sum fructa Divinâ Es-
 sentia. Deinde visus est mihi Dominus
 nonnihil recedere, & ego fui sopita suavis-
 simo quodam spirituali somno, in quo
 meæ potentia aliquamdiu quieverunt.
 Iterum verò Dominus me sibi univit, ubi
 manli, & hæctenus maneo, unaq; hic dego.

*Iste est unus e sublimissimis, in hac vita,
 modis contemplationis, quando superior anima*

*portio, arctissime Deo suo unita, & quasi com-
 versans in celo, non tamen impeditur portionem
 inferiorem, quò minus sese peragendis rebus
 externis impendat. Hoc Sancta Virgo dicitur
 vult, dum nunc, & aliàs frequenter ait, se in
 celo versantem cum DEO, unâ hic degere.
 Atque istam contemplationem hac vice est af-
 secuta per cognitionem sui nihili. Plus autem
 instructionis continet alius favor, quem eadem
 viâ obtinuit aliâ occasione, & ipsa ita enarrat.*

Demergebam me in profundam meæ
 miseræ abyssum, agnoscens in me multos,
 eoque diversissimos defectus, persuaden-
 do mihi, esse me omnium ream. Propen-
 debam vehementer ad desiderandum, ut
 mihi DEUS ad majorem meam confusio-
 nem manifestaret, essetne verum, me o-
 mnibus istis defectibus esse defædatam.
 Dum hac super re mecum ipsa discepta-
 rem, prorupi cum ardenti affectu, quem
 in mea anima Dominus suscitaverat, in
 hæc verba: Isti sunt, Domine mi, mei de-
 defectus, atque tu scis, quoscuque commemo-
 ro, mihi inesse. Tum Dominus mihi
 cum divina suavi tamen, majestate respon-
 dit inquiring: Ego id non dico. Sive Tua
 Majestas id dicat, sive neget, ajebam ab-
 repta à meo affectu, scis nihilominus id esse
 verum. Bene habet, respondit Domi-
 nus, ita convenit, ut hanc de te habeas
 opinionem. Attamen judicia mea, quæ
 penetrant universa, differunt ab humanis.
 Interea adverti, meos sanctos Angelos suis
 illis sibi consuetis, gravibus & miris passibus
 sese moventes. Circumdabant omnes
 pulcherrimam quandam & grandem cru-
 cem, compactam quasi ex purissimis car-
 bunculis, cujus extremitates erant velut
 ex auro obrizo. Et deprehendi me de-
 repente vestitam tunicâ cæruleâ, defluente
 usque ad poplites, manicis ejusdem ad
 juncturas manuum pertingentibus. Appre-
 henderunt me subito Angeli cum magna
 celeritate ac decentia, & extendentes
 super illam crucem, atque expansa brachia
 alligaverunt secundum juncturas manu-
 um elegantissimis funiculis. Similiter so-
 lus Angelus Minor alligavit meos pedes.
 Imposuerunt deinde capiti meo coronam,
 quæ tametsi spinea, erat nihilominus speciosa

ciosa, & miro modo coruscabat: cā verò impositā caput meum fuit inclinatum. Tum mihi Dominus immisit somnum quendam spiritualem, in quo nonnulla videbam & agnoscebam, quæ mihi Dominus dignatus est manifestare. Interim Angeli erexerunt crucem, & ego ex ea pendebam, atque sanguis destillabat ex vultibus mihi inscriptis à corona, qui defluebat per frontem & faciem, stillante pariter sanguine per manus, pedes & latus. Ita eram constituta, quando vidi descendentem de cælo Triunium DEI Majestatem, innumerabili stipatam Angelorum multitudinem. Cūque ad me accessisset, aspexit me quā benignissimè, canentibus interim suavissimè cælestibus ijs spiritibus millenas ejusdem Domini laudes. Vidi postea, quòd Divina Majestas in ea specie, quam gerebat, & omnis illa Angelorum cohors, unāq; ego, ascenderemus ad cælestem Jerosolimam, ubi, ut eram crucifixa, fui coram eodem Domino collocata. Audivi tum Angelos, qui remanserant in cælo, quærentes ex alijs: Quenam est hæc anima? unde venit? Et extollebant millenis laudibus Deum ob ipsius bonitatem & beneficia, quæ exhibet animabus, specialissima illis præstando auxilia, ut eas in suo servitio promoveat. Post hæc me Sancti mei Angeli extenderunt pronam super cæli illius pavimentum, quod mihi videbatur esse planum, & coloris carulei, quale illud hîc spectamus, dum est sudillimum, & omnium expers nubium. Ibi adverti me debiscere, ut quasi in hoc cælo sepelirer, incumbente humeris meis, & corpori cruce. Supra istud velut sepulchrum expanderunt pannum, quem, licet esset pretiosissimus, agnoscebam esse funebrem: cæperuntque cantare Angeli, ac si celebrarent meas exequias. His peractis, postquam fui exposita ex eo mystico sepulchro, induta veste elegantissimæ & cælestis texturæ, sum præsentata Domino, insistentis pedibus qui mihi benignissima ingentis amoris exhibendo indicia dixit latine: Tota pulchra es anima mea. Videor mihi verò, ita adhuc abrepta in ecstasim, vehementer erubuisse, auditis his verbis, ideoq; illi dixi: Mi Domine, noli me tali-

ter compellere: alioquin enim existimabo, quòd non sis tu, qui me alloqueris. Quandoquidem te, respondit Dominus, sicut vidisti, insuperq; alio interiore modo, quem non agnoscis, mundavi, bene te possum illis verbis compellere. Postea me illi Sancti Angeli collocaverunt in quadam humili sella, & per quosdam gradus elevaverunt ad locum sublimem, ubi mihi Dominus contulit magnam suæ Divinæ Essentiæ cognitionem. Vidi res tantas adeoq; admirandas, ut, etiamsi ab anima cognoscantur, nullatenus tamen possint declarari. Deinde fui ducta per alios gradus ad alium locum altiorem, in quo fui affecuta alium, priore sublimiorem, modum cognoscendæ ejusdem Essentiæ, & Divinorum attributorum, prout in se ipsis sunt, unāq; aliquid intellexi de modo, quo se Deus communicat suis creaturis. Tandem per alios gradus perveni ad aliam prædictis eminentiorem altitudinem, ubi me Deus clariùs edocuit de æterna sua duratione, & interminabili illa perennitate. Hîc adeo fui submersa, ut potentia animæ penitus absorberentur, mihiq; ipsi crepta prorsus ignorarem, ubinam essem, donec adverterem, me adhuc ibidem permanere: postquam autem inde per dictos gradus descendi, meq; Domino stiti, ubi antecederet fueram, dedit mihi suam sanctam benedictionem, atque ab ipsomet collocata in eorum Angelorum brachijs, fui ab illis quā suavissimè delata ad meum angulum. DEUS sit benedictus. Amen.

Credo, DEum illā pretiosā cruce significare voluisse, quā sibi grata esset Crux, que ab hac Virgine tolerabatur, morborum, & continuorum dolorum, ac terribilium quibus à demone exercebatur, tormentorum, quemadmodum in prima parte dictum fuit: Atque his quidem continuè ad mortem usque est excruciatā. In eo autem sepulchro mystico indicare voluerit, seu illam jam esse rebus omnibus extra Deum positā mortuam, seu crucem ipsius duraturam usq; ad sepulchrum, que crux fuit, qualem modo dixi. Hæ sunt conjecturæ. Nam quid Deus in istis tam sublimibus mysterijs voluerit operari, nisi ipse manifestet, difficulter potest indagari.

CAPUT II.

Videt sibi repræsentatam propriam vilitatem, acceptatque humiliter pœnam ob defectus injunctam.



Uia hæc Sponsa Christi, plurimum boni consequetur, quando se per sui cognitionem despiciat, non solum Deus in purissimo ipsius corde plerumq. hujuscemodi excitabat affectus, sed etiam illi symbolicè propriam repræsentabat vilitatem, ut suam agnoscens despiciat, profunde sese humiliando, majore digna evaderet exaltatione. Atq. iste agendi modus est proprius hujus Divini amantis, ut dilectissimam sibi sponsam deprimat, quò eam meritis auctiorem ad ampliorem evehat gloriam. Describit ipsa Virgo quasdam hujus generis gratias, & de una earum loquens sic ait.

Elapsâ die Dominicâ vacabam consuetæ orationi, & postquam specialem habuisssem illuminationem, ducentem me in agnitionem meæ miserix ac tepiditatis, quâ tam bonum Dominum amo, eique inservio, sensi in mea anima vehementes affectus ac desideria ipsi placendi, & quàm perfectissimè serviendi. His abrepta illum invocabam & rogabam, ut me per viscera misericordiæ suæ doceret, quomodo, & qua in re sibi à me vellet serviri. Usque adeo hoc ardens desiderium invaluit, ut quodammodum non essem mei compos, videreturq. mihi cor dirumpi. Interea audivi Dominum dicentem suis Angelis, ac si me non nôset, quod aliàs quoq. facere consuevit: Quis clamat, meque tanto affectu invocat? quid est illi, quid vult? Et conversus ad unum specialiter Angelum dixit ipsi: Perge, vide quid ista anima velit. Continuo se coram me stitit speciosissimus Angelus, dixitque mihi: Quid vis Anima? mittit enim me Dominus, ut te nomine ipsius interrogem. Ego illi recensui multa mala ac defectus, quorum me agnoscebam ream, atque desideria, quibus ferebat ad placendum Deo, & interrogandum, quid me idcirco oporteret facere.

Angelus meæ interrogationi nihil respondit, quin potius quasi aliud agendo me conabatur avertere ad alia, & conclusit dicendo: Bene est, quid vis Divino illi & cœlesti sponso significare? Audito hoc verbo interrupti ipsius sermonem, & erubescens, sicut folio, quotiescunq. id audio, dixi: Noli Domine Angele, noli mecum taliter agere, noli mihi hujusmodi verba dicere; sed expone mihi, quid sit miserabili huic peccatrici faciendum, ut serviat ac placeat Deo. Bene est, reposuit Angelus: Verùm quid mihi committis ferendum, cum me non deceat redire vacuis manibus, ita ut nihil è tuis rebus adferam. Nihil habeo, ajebam: quod aliud quid haberem, totum Domino meo offerrem. Ego tibi, respondit ipse, donabo, quod illi possis mittere. Et cum id diceret, animadverti, quod in sua manu haberet elegantissimum ramum, plenum eximix pulchritudinis, & florum suaviter olementium, insuperq. onustum pomulis, quæ erant similia pretiosis unionibus. Hunc posuit ad meam manum, & quando illum attigi, deciderunt super me omnes flores ac fructus, ita ut ramus omni eâ elegantia spoliatus non quomodocunq. flacesceret, sed non aliter exaresceret, quàm si ante multos annos fuisset ab arbore abscessus: quæ repentina mutatio me magno affectu stupore, ut dixerim Sancto Angelo: Quid est hoc? quomodo ramus tam speciosus est in tam aridum lignum conversus? Itane verò? respondit Angelus, videamus. Et postquam ramum sumpsisset ad suam manum, cepit ille ipsedem denuò cooperiri floribus ac fructibus, quos prius habuerat, subitoque quàm celerrimè evolavit ad cœlum. Vidi autem, quod illum ramum præsentaverit Sanctissimæ Personæ Spiritus Sancti, idemque Dominus speciem referens hominis, ipsum acceperit ad suam manum, & olfecerit, ac si ejus fragrantia delecta-

delectaretur. Et significans assistentibus Angelis, quàm sibi esset gratus is ramus atque acceptus, tradidit illum uni eorum, præcipiens ut ipsum servaret: quem iste dedit alteri, & hic tertio, ita ut, postquam triam Angelorum manus pertransivisset, postremus abiverit eundem asservaturus, quanquam intelligere non potuerim, quo loco. Finitâ visione mihi Dominus exposuit, quid significaret, quòdque me per eam figuram doceret, quàm sint veritati conformia, quæcunque in me ipsa cognoscenda, conciperem. Intellexi, me mihi ipsi relictam esse illud lignum aridum, ita ut nihil aliud habeam, quàm miseriam, inopiam, ac deformitatem: atque dum Divina Majestas quæpiam dona animæ largitur, quibus illam exornat, instar rami, floribus & fructibus, omnia esse ipsi attribuenda, & offerenda, tanquam unico ipsorum Domino.

Idem illi fuit ostensum aliâ occasione, tametsi diversa fuerit figura & symbolum, quod ipsa refert his verbis.

Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, postquam hic mortuus, vivit in cælo, quam in vita degens mortali mei gerebat curam, etiamnum gerit, sicut aliàs dixi, meq; frequentius quàm tunc fecerit, invisit. Et cum præ manibus haberem duo negotia, quibus aliquid impenderam temporis, existimans, me ijs diutius inhæsisse, quàm fuisset necessarium, timensque ne quid deliquissem, consului Patrem Ludovicum, qui tum apud me erat. Quia verò ex Sancta cum ipso conversatione effervescebant affectus meæ animæ, cœpi alloqui Deum, & rogare, ut mihi pauperrimæ largiretur magnam aliquam eleemosynam spiritualem, quâ occasione Sanctus Pater Ludovicus dixit: Opportunè ades, modò potes mendicare. Et eo ipso momento mea anima fuit abducta à suo Angelo Custode, repertique me ante quoddam amplum & elegans Palatium, ad cuius ingressum sedebat Deus cum magna Majestate, distribuens copiosè multitudini eleemosynam, quæ ejus petendæ gratiâ accurrebat. Hoc spectaculo fuit mea anima singulariter exhilarata: erant namque homines promi-

scuæ ætatis, senes, juvenes, & infantes; omnesque accedebant cum magna reverentia, observantia, & gratiarum actione ad petendam eleemosynam, quam illis Dominus impertiebatur cum ingenti voluptate, & speciali complacentia. Fuit mihi indicatum, omni illâ hominum turbâ representari viventes in hoc mundo, & suppliciter à Deo, pro se atq; alijs, postulantes bona spiritualia. His omnibus ego aderam induta quadam obsoletissimâ & lacrimam veste, expectans, ut mihi quoq; mea daretur eleemosyna, adhærente lateri meo continuè Sancto meo Angelo Custode. Verùm Dominus, postquam cessavit toti illi turbæ distribuere eleemosynam, recessit, & clausa fuit janua, quin ego quidquam acceperim. Egredus est deinde festinanter quidam Sanctus Angelus, qui me interrogavit: Quid hîc agis, Anima, quid quæris? Respondi ipsi: Domine, quærebam eleemosynam. At ille: Deus, ajebat, tibi provideat; statimque rediit ad Palatium. Hoc responsum magno mihi fuit solatio, dixique in corde meo: Bene est, si Deus mihi providet, nihil mihi deest: & providebit mihi Divina Majestas, sicut mihi asseruit Angelus. Ad hæc omnia Sanctus meus Angelus Custos tacebat; postea verò dixit: Veni, Anima, progrediamur. Dum ipso comitante perambularem illud cælum, venit nobis obviâ Christus Dominus, qui me perbenignè alloquens, vicésque meas dolens, dixit: Quò te pedes, Anima? quomodo tam miserè & malè vestita incedis? Cui ego cum magna simplicitate, quasi ipse id non sciret meliùs, accuratè enarravi, quidquid mihi evenerat. Dominus me audivit, dixitq; mihi: Noli in tali vestitu progredi; Ego te introducā ad gazophylacium Sponsi, ubi exornaberis pretiosis vestibus, quibus induta poteris petere stipem, quæ tibi dabitur. Reversa sum cum Domino, qui ingressus Palatium, me duxit ad pulcherrimum conclave: & postquam secuta Dominum introivi cum Angelo meo Custode, clausa est janua, manentibus extrâ cæteris meis Dominis Angelis, qui me comitabantur. Erat dictum conclave plenum splen-

plendidiſſimis veſtibus, & pretioſiſſimis
 cimelijs, videbaturq; mihi illic ad eſſe ipſe-
 met Deus, ſpecialiter verò ſacraſſiſſima Per-
 ſona Spiritus Sancti. Quidam Sancti An-
 geli ibi præſentes me ſubitò induerunt ve-
 ſte, quæ nive fuit candidior ac ſplendidior,
 & huic ſuperpoſuerunt aliam purpuream,
 lucidiſſimis diſtinctam ſtellis, atque iſti ſe-
 cundæ tertiam pretioſiſſimis reſertam la-
 pidibus. Et poſtquam collum meum ex-
 ornaviſſent pulcherrimo torque, caput au-
 tem ſpeciòſâ coronâ, dediſſentq; mihi ba-
 culum ad manum, dixerunt: Jam perge,
 & confer te ad petendam tuam eleemoſy-
 nam. Exivi ex eo conclavi, & conſpexi
 quendam thronum Divinæ Majeſtatis, in
 quo reſidebat Pater æternus. Excepit me
 quàm affabiliſſimè, oſtendens, ſibi pluri-
 mum placere ornatum meorum veſtium.
 Petivi ab ipſo demiffè eleemoſynam, & il-
 le cum ſuaſiſſima benignitate mihi dedit
 grande fruſtum aurei lateris undequaque
 quadrati, cujus tres faciès reſerebant quaſi
 inſculptas tres Divinas Perſonas, unâq; ſin-
 gulæ exhibebant omnes tres: quâ ratione
 mihi quàm vivaciſſimè repræſentabatur
 unitas Eſſentiæ trium Perſonarum. Quar-
 ta faciès inſculptam habebat ſanctiſſimam
 Humanitatem Chriſti Domini, cum ima-
 ginibus ipſius Vitæ, Paſſionis & mortis, ita
 ut mihi repræſentaretur etiam unio Divini
 Verbi. Poſtquam hoc donum accepi,
 Pater æternus me dimiſit, exhibendo mihi
 magnam benevolentiam, & meus Sanctus
 Angelus Custos, pariterq; cæteri mei Do-
 mini Angeli me duxerunt per illud cælum,
 ubi nobis denuò obvius factus fuit Chri-
 ſtus Dominus, qui mihi dixit: Quid ſers
 Anima? quid eſt tibi datum? Tum illi
 monſtravi laterem aureum. Quamvis au-
 tem illum iſte Dominus à me peteret, ni-
 hilominus internè ab eo edocebar, quid
 mihi eſſet agendum, quòd nempe ipſum
 deberem rogare, ut conſervetur à meo S.
 Angelo Custode. Annuit Ejus Majeſtas
 meæ petitioni, mandavitque, ut conde-
 retur in theſauro, ubi erant reſoſita dona mi-
 hi à Deo, per ipſius miſericordiam, collata.
 Interea Dominus deſijt videri, & mei Do-
 mini Angeli me perduxerunt ad meum

cubicellum. Ibi intellexi, baculum, qui
 mihi fuerant datus, eſſe amabilem & pa-
 ternam providentiam Dei, cui anima, ex
 ſe ipſa pauper ac miſerabilis, ſecurè & fir-
 miter innitens, obtinet remedium ſuarum
 neceſſitatum, quia admittitur, & celeriter
 expeditur, quando ad petendum accedit
 ornata virtutibus, ſignificatis per veſtes &
 cimelia, quæ mihi in ſacro Spiritus Sancti
 gazophylacio fuerant donata. Ipſe ſit in
 æternum benedictus Amen.

*Quòd amabiliſſimus Dominus noſter illi
 venerit obviam, dum quaſi deſerta plateas
 cæli perambularet, videtur indicare, viam ſe-
 curam in progreſſu ſpirituâli, & familiari
 cum Deo converſatione, Ducemq; certum eſſe
 Chriſtum Dominum, & ipſius miſteria, ad ob-
 tinenda ſublimiſſima dona Spiritus: Cæteri
 verò ſemitas eſſe incertas, vel diviticula,
 per qua nunquam ad exoptatum finem perve-
 nitur. Atq; ſaltem ex eo, quòd Chriſtus Do-
 minus ipſam introduxerit in illud Divinum
 Gazophylacium, ubi fuit locupletata, ſatis clarè
 apparet, à Deo, nonniſi per merita dulciſſimi
 iſtius Domini Noſtri J E S U Chriſti, animis
 communicari bona, qua ſunt ex ſe inopes,
 mendica, & veſte veteris hominis induta,
 que nihil eſt aliud, quàm miſeria. Hoc viſu
 eſt conformis alteri, quam habuit tendentem
 ad idem documentum, & ipſa ſic recenſet.*

Feriâ quartâ, in Feſto omnium San-
 ctorum, ſpectabam, à Deo illuminata, ex
 meo cubiculo, ſolemnitatem, quâ ab uni-
 verſis honorabatur Chriſtus Dominus, ob
 cujus merita fruebantur eo infinito Bono.
 Omnes Angeli, & Beatæ animæ concinen-
 tes, millenis illum extollebant laudibus.
 Ego me ipſam conſiderans, neſcio quo affe-
 ctu, capî exclamare, & lamentari dicen-
 do, Eheu! cheu! cheu! Tum Domi-
 nus cum ea amabili, ſibi aliàs conſuetâ,
 diſſimulatione, dixit in cælo ad quòſdam
 Sanctos Angelos: Qualis eſt iſta creatura,
 quæ lamentatur? Videte, quis ſit. Qui-
 dam ex ipſis me ſunt intuiti, atque reverti
 ad Dominum, retulerunt ipſi, quis ad eſſe.
 Et mox, jubente eodem Domino, deſcen-
 dentes ad meum cubiculum, poſtquam
 ab illis fuiſſem teſta quodam velut cenſo-
 ne obſoleto, me duxerunt quàm celeritè
 ad

ad cælum, ibique extenderunt ad portam, per quam nonnulli introibant & exibant: Licet verò illos viderer impedire, fui tamen ibi relicta. Vidi eo situ collocata, intra illud Beatorum domicilium descendens, instar pluvie, quoddam manna divinum, simile minutæ grandini, super omnes illos cælestes Palatinos, cum magna suavitate, ipsorumque voluptate. Significabatur mihi, cum in modum representari assistentiam Dei, ejusdemque amabilem protectionem, & gloriam, quæ ab ipso reddebantur beati. Cadebat etiam supra me, ita ut ab ea cælesti pluvia cooperiretur visus ille cento, quo eram obvoluta: & sic indicabantur gratiæ, quas absque meo merito, spectatâ meâ propriâ miserâ, omniumque bonorum inanitate, conseq̄uebar à generosa magni Dei nostri dextera. Adverti interea, quòd per angustas quasdam scalas, quæ ex cælo protendebantur ad terram, aliqui inciperent ascendere, quòdque me conspectâ, quasi turbati deciderent. Ignorabam, quinam essent: intellexi tamen à Domino, ipsos lapsos fuisse propter suam superbiam. Benedictus sit Deus, reddâtque nos humiles, ut illam januam ingrediamur.

Non solum verò DEUS hanc Virginem, tam præclaris figuris instruebat, quàm esset ex se vilis & miserabilis, verim etiam de levissimis culpis & negligentis (que vix erant reprehensibiles, & in hac mortali vita nunquam ab anima, quantumvis perfecta penitus evitantur,) commonesaciebat, quo fiebat, ut se humiliando intimo earum tangeretur dolore, illasque ita exaggeraret, ut non posset conquiscescere, donec à DEO pro meritis castigaretur: Id apparet ex eo, quod nobis hæc de re scriptum reliquit his verbis.

Feriâ tertiâ, vigesimâ sextâ hujus (erat Majus anni millesimi sexcentissimi vigesimi sexti, biennio & amplius ab obitu Patris Ludovici de Ponte) postquam me invisisset Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, ut eo die nemini negarem accessum, qui solatij causâ adesset venturus. Ego oblita hujus mandati non admisi duas personas, quæ, inter aliâs, illo die venerant. Deinde, cum acta mea revocarem ad examen,

Vita Mar. de Esob. Pars II.

agnovi meum defectum ac negligentiam, & erubescens petij à Deo veniam, rogavique illum ex animo, ut puniret istam culpam. Pijsissimus Dominus exaudivit meas preces, jussitque me prosterni. His omnibus aderat meus Sanctus Angelus Custos. Existimabam me videri à toto mundo, ut mea culpa universis innotesceret, ob quod judicium, & supplicium adeò erubesceram, ut nequeat explicari. Jussa sum deinde erigi, atque ita stans satis diu detinebar, quasi damnata ad infamem columnam. Postea rursus fui prostrata. Quâ penitentia peractâ, accessit meus Sanctus Angelus Custos, dolens meas vices, reduxitque me ad meum locum, ubi mihi dixit: Magno me hoc factum affecit solatio, quia ob istum actum humilitatis longè magis placuisti Deo, quàm illi displicuerit tuus defectus, utpote quodammodo naturalis, & commissus per inadvertentiam: actus autem, quem nunc exercuisti, magni fuit meriti. Disponat de me Deus pro suo beneplacito, cedâtque id in gloriam Divinæ Majestatis.

Anno sexcentesimo vigesimo nono, in Septembri, postquam ipsi Deus tam horrendas dolorum cruces & afflictionum immisisset, quam unquam aliis in vita, simillimas descriptis in prima parte, ut tanquam grata victima suo cruciatu gratiam his Regnis obtineret, cumque præterea jussa fuisset alia quadam in eorundem commodum præstare; elapso demum præfixo ad patiendum termino, die sextâ sequentis Octobris, refert, quod illi postea accidit, his verbis.

Expleto tempore, quod mihi Deus constituerat, pro perferendis doloribus, ad procurandum majus bonum, existentium in his Regnis, animarum, prout jam retuli in chartis, quas scripsi in Septembri, feriâ sextâ, die sextâ Octobris, me vocavit Dominus, ut ascenderem ad locum valde altum, ubi se mihi Divina Majestas exhibebat spectandam. Non videbam, quâ mihi esset ascendendum, neque repetebam scalas, sicut aliâs soleo. Et dixi illi: Domine, non potero ascendere, quia non est, quâ ascendam. Dominus autem dixit: Ascende utcunque poteris, ego te juvabo.

B

Con-

Conspexi derepente duos gradus scalarum, & cum pedem ad primum gradum elevavissem, apparuerunt mihi scalæ, quæ licet infernè essent latæ, magis tamen ac magis uniformiter coarctabantur, usq; ad summitatem. In uno latere habebant sustentaculum, suis incumbens cancellis, in alterò verò murum. Cæpi ascendere, & quò progrediebar ulterius, eò magis murus sensim coibat, ita ut, postquam ad satis magnum spatium processissem, mihi tantopere approximaverit, præcluseritq; transitum, ut impossibile fuerit progredi, aut retrocedere, & essem quodam quasi prælo constricta. In hac angustia aspexi ad cælum, & vidi Angelum, qui egressus ex quadam porta festinabat, nullibi subsistens. Vocavi illum: qui respiciens, vidensque me conclusam, interrogavit: Quid est hoc, Anima? quis te ibi constituit? Dominus Deus me hic constituit, respondi. Si te ibi constituit Deus, dixit Angelus, ille te inde educet; atque hoc dicto perrexit ulterius. Mox vidi egredientem alium Angelum, quem vocavi, sicut priorem. Vertit se, meque aspexit, & me neglectâ, nullo mihi verbo dicto, est profectus suum iter. Prodivit tertius, quem vocavi uti cæteros. Ille magis mei fuit misertus, accessit, affabiliter me est allocutus, dicendo: Quid hoc est, Anima? quomodo hic hæres? quis te redegit ad tantas angustias? Domine Angele, aiebam, Deus me huc redegit. Invoca ergo illum, respondit ipse, & pete ab eo gratiam, quam ille tibi præstabit, educetq; te inde. Invocavi instanter Deum, & omni adhibito conatu, ut evaderem ex eo discrimine, tandem sum inde egressa. Conscendi postea alias scalas, quæ, prout ego progrediendo ascendebam, ita velut constringebantur, & coalescebant. Pervenì ad supremum gradum, reperiq; me ad portam cæli. Ibi vidi multos Angelos, quibus Dominus mandavit, ut me adducerent ad suum thronum. Quo factò, dum illic essem, dixit mihi Divina Majestas: Accede Anima. Quomodo es executà, quod te iussi agere, & pati pro bono publico? Respondi, quia non poteram diffiteri: Domine, seu pro-

pter adversæ valetudinis symptomata, quæ patior; seu ob fragilitatem & culpam meam, tepidè admodum sum obsecraturæ Majestati. Quid igitur tibi videtur, subjunxit Dominus: putasne, te promereri pœnam? Omnino, mi Domine, respondi; mereor pœnam propter meam socordiam. Puniatur, dixit Dominus, Et subito ad me accesserunt quidam ex ijs Dominis Angelis, denudatisque meis humeris, & superiore dorsi parte, infixerunt mihi, præsentè Domino, circiter viginti ictus, donec Dominus, qui aderat spectator, dedisset signum, dixissetque, sufficere. Tunc meus Sanctus Angelus Custos mihi imposuit quoddam velum, quo me texit, & jubente Domino me reduxit ad meum angulum: ubi paulò post audivi vehementem tumultum, & ingentem strepitum in cælo, statimque sum suspicata, quid fieret. Nam diurnâ experienciâ comperit habeo, ferè semper, dum Tertia Persona Sanctissimæ Trinitatis suam exhibet majestatem & magnificentiam, operando aliquid eorum in terra, quæ huic summo spiritui specialiter solent attribui, antecedere quendam strepitum, tantamq; commotionem, ut se commovere videantur cæli, suamque amplitudinem & gravitatem inclinare ad terram. Descendit verò (ita enim apparet animæ) Divinus ille spiritus, admirandam demonstrans pompam suæ majestatis & potentis, circumdatus à multis Angelis, duxitq; me, modo quodam ineffabili apprehensam, secum ad cælum, & præbens me ijs cælestibus incolis spectandam dixit: Ita exaltabitur, qui se ex corde humiliaverit. Tum cooperiens me, operâ utendo Angelorû, splendidissimo velo, excitavit in mea anima intensissimum amorem, uniens me sibi arctissimâ unione, postquam mihi infudit cognitionem similem illi, quam aliàs percipio, quando anima quodammodo submergitur in Divina Essentia: ubi nihil aliud repræsentatur, ut videtur, quàm quædam perfectionum & attributorum Divinorum abyssus, præteritum verò æternitatis, immensitatis, & infinitudinis: atque dum plurimum de illa intelligit, pro suo captu, nescit tamen tunc anima

anima (minùs verò sciet postea) aliud dicere, quàm: Amplius est quàm hoc, amplius est. Etiam si namque plurimùm cognoscat, simul tamen illi indicatur, superesse infinites plura cognoscenda: & anima submersa in hac infinitudine se perdit, ut sibi ipsi eripiat. Ità mihi contigit, donec me translata, sicut Deus novit, inveni in meo angulo. Benedicita sit Divina Majestas in æternum, Amen. Deinde mihi Dominus manifestavit, illam angustiam, ad quam fueram redacta, significare, quòd oporteat pati, & vincere difficultates, ut perveniat ad consequendas à Divina ipsius manu magnas gratias.

Reliqua hujus visionis possunt per se facile intelligi. Tantùm remanere videtur difficultas in eo, quid significaverint illa posteriores scala, per quas pervenit ad caelum, & quæ eò magis constringebantur, atque in se ipsas coalescebant, quo altius Virgo ascendebat. Aliquid mihi in mentem venit, non tamen integrè satisfacit. Ago historicum, non in-

terpretem horum mysteriorum; incumbitque mihi solummodo obligatio eorum declarandorum; si viderentur quidpiam continere difficultatis quoad, seu dogmata Fidei, seu opiniones ab Ecclesia approbatas, seu etiam probitatem morum: cum tamen in tribus istis vix reperitur verbum, aut sententia, scripta ab hac Sancta Virgine, indigens explicatione. Usque adeo omnia sunt conformia, non solum in rei substantia, sed etiam in modo loquendi, quæ sentit, ac docet Romana Catholica Ecclesia, omnis veritatis Mater. Quapropter, in nonnullis mysterijs, quæ sive Deus non declaravit Virgini, sive ipsa nobis declarata non reliquit (fortasse quòd ea deinde ore tenus exponeret suo Confessario) tunc tantummodo aliquam addam explicationem, quando una ex parte planè fuerit probabile, eam posse doctis videri legitimam, ex alia verò proæsse rudibus, qui illam ipsam eruere nescirent. In alijs symbolis, ut dixi, obscurioribus, malo illa reverenter venerari, quàm, non assequendo veritatem, interpretari.

CAPUT III.

Gloriosa exaltatio, quâ DEUS humilitatem hujus Virginis remunerabatur.



uanquam ex precedenti visione satis clarè intelligatur, quòd eodem tenore, quo hæc Virgo sese magis deprimebat, & exinaniebat, Divina Ma-

jestas illam amplius exaltaverit; referam hic, tamen seorsim alios favores, probantes, quomodo plerumque in hac etiamnum vita mortali, Dominus veritatem suam Evangelicam confirmet, quòd sola cordis nostri humilis submissio, sit causa conveniens gloriose exaltationis. Dicit verò hæc Dei famula, in una ex postremis suis chartis, sequentia.

Erat mea anima vehementissimè confusa, quia mihi videbatur aliquot horis fuisse destituta vivaci illà & actuali præsentia Dei, quam ipsi Divina Majestas ordinariè, ex sua misericordia, communi-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

cat. Cum hac apprehensione, & potentissimo affectu judicabam, meos defectus esse valde graves. Amare de ijs dolebam, & existimabam me jam indignam, quæ comparerem in conspectu magni istius Domini: ideòque optabam, & conabar, ope naturalis meæ imaginationis, aliquam effingere figuram eorum, quæ fuissent promerita, mihi que repræsentare, quòd me Sancti Angeli, arreptam per brachia, ejicerent è domo, & conspectu DEI. Licet autem affectus esset tam ardens, imaginatio tamen mea erat tana hebes & obtusa, ut non assequeretur modum, quo efformaret imagines, juxta meam voluntatem, quarum repræsentatione amplius erubescerem. Interea se oculis animæ objecit grandis crux, admirandi splendoris: & quamvis esset crux, videbatur

batur mihi nihilominus tota quasi auri ob-
 rizi, & pulcherrimorum luminum distin-
 cta tessellis. Jussâ fui illam adorare, quod
 statim cum summo affectu feci, proster-
 nendo me, manibus junctis, & os affigen-
 do terræ. Itâ vivacissimè apprehendebam
 meam propriam miseriam & vilitatem.
 Adverti deinde mihi superponi illam cru-
 cem, quæ à pedibus usque ad caput corre-
 spondebat toti corpori. Videbatur meis
 infirmis viribus esse gravissima, oppressit
 enim me adeò, ut ab ea sepeliret ac detru-
 deret intra terram, in qua jacebam exten-
 sa, donec tota eâdem terrâ cooperiret, non
 absque inexplicabili anxietate & suffoca-
 tione. Id unum me solabatur, quòd sem-
 per præsentem viderem Sanctum meum
 Angelum Custodem. Post hoc adverti,
 amoveri eam mihi incumbentem crucem,
 & manibus Angelorum auferri ad cœle-
 stem Jerosolymam. Ad caput autem il-
 lius quasi tumuli, in quo eram sepulta, vidi
 collocari quandam deformem calvariam
 carne nudatam, redimitam nihilominus
 etiam coronâ aurâ inæstimabilis pretij.
 Indicatum mihi fuit, illâ cruce figurari mo-
 lestias, dolores & afflictiones, quas Deo
 opitulante sustineo, ac tolero per totum
 vitæ meæ decursum: auro autem ejusdem
 & splendore, significari merita responden-
 tia patientiæ, quâ illas perfero, per virtu-
 tem crucis & sanguinis Christi Domini.
 Intellexi quoque, eo modo sepulturæ, &
 illâ calvariâ repræsentari nostram natu-
 ram, & pulverem, ac nihilum, ex quo fui-
 mus formati; reducendosque nos in idem
 lutum & pulverem, ex quo nati sumus:
 Attamen per Dei misericordiam, & meri-
 ta Filij ejus Christi JE SU, hunc pulverem
 & calvariam exaltari ad tam sublimem
 statum, ut reddatur capax regnandi cum
 ipso, obtinendæque coronæ infiniti pretij
 ac valoris. Dum considerarem hæc mys-
 teria, atque itâ comprehenderem meam
 miseriam, & quâ ratione merear cooperi-
 ri pulvere, meus Sanctus Angelus Custos
 aperuit sepulchrum, removit terram, me-
 que inde eduxit. Contemplata me sum, &
 quamvis in mea propria specie me vide-
 xem, & figura naturali, eadem tamen erat

adeò ineffabili lumine circumdata, ut mi-
 hi quodammodo divino cuidam soli vide-
 rer similis, ijs coruscans splendoribus, ut
 non reperiam modum illorum explican-
 dorum. Advenerunt continuo multi An-
 geli, præsertim verò illi mei Domini, qui
 me semper in meo cubiculo suâ dignantur
 societate, & duxerunt me ad cœlestem Je-
 rosolymam, concinendo suavissimâ & ad-
 mirandâ harmoniâ laudes Domini DEI,
 tum ob id, quod est in semetipso, tum eti-
 am propter infinitam bonitatem, quâ se li-
 beralissimè comunicat pauperculis crea-
 turis. Prostravi me coram Divina Maje-
 state, cum summa mea erubescencia, quia
 affectus vilipensionis mei ipsius necdum
 intepuerant, cum quibus, ut dixi, inchoa-
 veram orationem, judicando me dignam,
 ut me Divina Majestas abominaretur, pro-
 jiceretque à Divino suo conspectu. Beni-
 gnissimus tamen Dominus, me suscepit
 amanter & benevolè, dicendo: Bene ve-
 neris Anima, refer mihi nunc, quidquid
 tibi evenit, siquidem id ex ore tuo volo in-
 telligere. Ego contremiscens non aude-
 bam respondere, & aspiciebam meum An-
 gelum Custodem, ut loco mei loqueretur,
 ac responderet. Sanctus Angelus, videns
 me adeò turbatam, orsus est sermonem, &
 arcanissimâ quadam ratione, ac breviter,
 quasi summatim recensuit, quæcunq; mihi
 acciderant, quæ Divina Majestas longè
 meliùs noverat: utitur tamen suavissimè
 hujusmodi ambagibus, ut se accommolet
 ignorantia & ruditati animæ, cum qua
 agit. Dominus libenter audivit narrata
 sibi ab Angelo, conversusque ad me dixit
 mihi: Anima mea, dic etiam tu mihi mo-
 dò, quis de his tuus sit sensus. Tum ad
 me accessit meus Sanctus Angelus dicens:
 Responde, Anima, tuo DEO, quid agis?
 obtempera statim. Ego occupata à meo
 pudore aliter loqui non potui, & dixi quod
 sentiebam: Mi Domine, & mi Deus, ego
 sum illa miserabilis creatura, pauper, & o-
 mnis boni expertus, plena ad capillos usque
 capitis vitijs, defectibus, culpis & peccatis.
 Misere mei secundum magnitudinem
 miserationum tuarum. Surge, Anima,
 dixit Dominus: Jam enim didicisti subli-
 missi-

missimam, summéq; necessariam scientiam vitæ spiritualis; & impertitâ mihi suâ sanctâ benedictione, mandavit Angelis, ut me ducerent ad alium altiorem locum, quàm eatenus habuerim. Illi obediverunt, constitueruntq; me in loco immensæ altitudinis, unde sum contemplata clarissimum lumen Divinæ Essentiæ magni DEI nostri, uniensq; me cum ipso perdididi me penitus in eo immenso mari, ita ut nequeam dicere, quamdiu perseveraverim in illa felicissima abyssu. Remanente verò ibi superiore parte meæ animæ, fui admirabiliter translata ad meum angulum, ubi ad me reversa ex raptu, tot abundante mysterijs, obstupefco, considerans opera magni Dei, gratiasq; illi agens quas possum, quòd se taliter tam vilibus comunicet creaturis.

In alia charta refert, quod ipsi accidit vigesima tertiâ Octobris anni sexcentissimi vigesimi noni, ubi etiam clare exhibetur illud suave hujus purissimæ Virginis cum Deo certamen, dum ipsa se indesinenter aspernaretur, Deus autem semper progredere in ea exaltanda. Sic vero ait.

Elapsâ feriâ secundâ fuit meum pauperinum cubiculum transformatum in conclave, quod totum videbatur constructum ex carbunculis: talem enim, licet multò excellentiorem, referebat colorem. In hoc Sancti Angeli collocaverunt, consuetâ sibi in hujusmodi operibus celeritate & accuratione, pretiosam sellam, suis coopertam cortinis, & omnia erant ejusdem coloris, quem habebat conclave, atq; representabant magnam pompam & majestatem. Jusserunt me subito in ea sedere. Verùm ea fuit mea erubescencia & verecundia, dum paupertatem, nihilumq; meum compararem, cum elegantia sellæ plenâ majestatis, ut me nullâ ratione possem adigere ad obtemperandum illis meis Dominis Angelis. Tandem post longam renitentiam, apprehendentes me cum magna modestia ac decencia (quæ singularissima relucet in fidelissimis, & beatis istis Dei ministris) suismet manibus me composuerunt, & collocaverunt in ea sella. Subito verò totum conclave, quale erat, unâq; ego, comitantibus me illis meis Do-

minis Angelis, fuimus elevati usq; ad portam cœli. Ibi me rursus occupavit tanta verecundia, quòd viderem mihi, quamvis tam sim miserabilis, ingrediendum esse, tanta cum ostentatione, ad conspectum illius summi Regis, & eorum Sanctorum Principum assistentium Divinæ Majestati, ut cœperim reluctari, ac rogare Sanctos Angelos, qui me comitabantur, ut me sine rent reverti; siquidem nullo modo aude rem intrare. Substiterunt, ut aliquid tribuerent meæ imbecillitati. Et verò soleo in ejusmodi occasionibus mirari, dum considero suavissimum modum, quo magnus Deus noster, & cœlestes isti Spiritus ejus ministri, sese accommodant naturali nostræ inclinationi, donec Dominus, per suam sapientiam & omnipotentiam, disponat voluntatem, ut se suaviter Divino ipsius subiciat beneplacito. Angeli adiverunt Divinam Majestatem, retuleruntque illi meam renitentiam, ac si eam ignoraret. Juslit autem me nihilominus ad se adduci. Ducta sum statim cum ingenti meo pudore, & prostrata coram illa tremenda Majestate, toto affectu meæ animæ cœpi dicere: Ecce, mi Domine, adest illa pauper, vulnerata, mendica, plena peccatis ac defectibus, ob quos ante paucos dies fui flagellata in tua Divina præsentia. Dominus me audiebat, & postquam cessavi loqui, dixit mihi summam demonstrans benignitatem: Bene est, Anima, modò requiesce in me. Post quæ verba fui abalienata à sensibus per somnum spiritualem, quem jam aliàs exposui. Quamvis autem illum explicem nomine somni, id non idcirco fit, quòd eo ligentur potentia; verùm propter suavitatem ac dulcedinem, quâ ab ipsâ illa percipiuntur, quæ tunc Deus in ipsis operatur. Ibi Divina Majestas meæ animæ manifestabat, juxta limitatum mortalis hujus statûs captum, Divinum suum Esse, sua attributa, & perfectiones, sicut aliàs. Hoc tamen fuit speciale, quòd unâ audirem musicam multorum Angelorum, instrumentis & vocibus concinentium, à quibus adverti me impediri in attentione ad ea, quæ videbam, & quibus fruebar in Deo; fortasse quòd vas adeò angustum,

non posset tam multum eapere. Interea Dominus, qui omnia comprehendit, iussit illos cœlestes musicos conticescere. Hunc in modum mansi intra Divinam Majestatem, & sicut piscis in flumine nunc se demergit in profundum, nunc ascendit ad superficiem aquæ, nunc adnatat ad ripam; ita ego in pelago Divinæ illius Essentiæ, jam quasi absorbebar & submergebar, jam verò quasi egrediebar ad ripam, poterámque aliquomodo considerare admirabilia, quæ mihi Deus in semetipso manifestabat, donec me, prosequentibus rursus Sanctis Angelis suam musicam, Dominus secum univit, abripiens meam voluntatem totâ amoris vchementiâ, ut me propter illum prorsus perdiderim in eo profundo, & amabilissimo mari Divinitatis. Hinc fui reducta ad meum angulum, licet nesciverim quâ ratione, aut viâ, præterquam quòd jis peractis, quæ retuli, me in eo repererim. Benedicta sit Divina Majestas.

Quia hæc Virgo toleraverat dolores & cruciatus terribilissimos, à præterito Septembri anni sexcentissimi vigesimi noni, usq; ad sequentem Octobrem, pro suorum proximorum remedio, quos illi Deus commendaverat; fuerunt pariter singulares gratia, quas eâ tempestate finita accepit à Divina manu. Omnibus autem prædictis fuit insignior favor, quem est affecta feriâ tertiâ sequentis hebdomadæ, ultimâ Octobris, & ego hoc loco refero, quia in illo, aequè ac in præcedentibus, relucet profundissima hujus Virginis humilitas & gloria, ad quam fuit evecta à Divina Majestate. Sic autem loquitur.

Feriâ tertiâ, ultimâ Octobris, dum essem plurimum occupata expendendis meis gravibus defectibus, & perscrutandâ meâ miseriâ, comparans meam paupertatem & nihilum, quod ex me ipsa habeo, cum magnitudine beneficiorum, ob quæ sum Domino meo obstricta, audivi Divinam ipsius vocem, dicentis mihi: Veni Anima, veni, & quiesces in me. Ego abrepta à consideratione, cui inhærebam, meâ miseriæ, quòdque me parum habere boni agnoscerem, statim respondi: Domine, non possum ire, aut comparere in tuo Divino conspectu, absq; omni comitatu. Verùm

idem Dominus me, pro solita sua misericordia, per Sanctos Angelos duxit ad celum, ubi fui suscepta à Beatissima Trinitate, exhibente mihi singularem amorem, meque alloquente verbis, quæ cum magna mea referam erubescencia: semper enim (ut sæpè aliàs insinuavi) me puduit, alloqui magnum Deum ac Dominum nostrum, vel Personam amabilissimi Servatoris nostri, adhibito titulo Sponsi, cum existimem, hujusmodi compellationem nequaquam convenire vilitati tam abjectæ creaturæ, qualis ego sum. Revera tamen Dominus, qui ob immensam suam bonitatem demittit suam magnitudinem, ut nos exaltet, postquam coram illo comparui, mihi dixit: Veni Amica mea, Sponsa mea, columba mea. Prostravi me coram summa illa Majestate, erubescens & confusa his auditis, imputansq; mihi omnia mala, quæ seriò apprehendebam. Fui elevata atq; collocata, & quasi inclinata ad magnum quendam montem, totum admirabiliter coagmentatum ex immensis thesauris, conflatis ex varijs, & pretiosissimis cimelijs. Non est dicibilis, aut imaginabilis pulchritudo & opulencia mihi in illis repræsentata, significantibus gratias, dona ac beneficia, quæ Deus præstat suis creaturis. Dum contemplerer lumen, & gloriam, quæ mihi illic manifestabatur, fui unita toti Sanctissimæ Trinitati unione ætissimi amoris, ubi mihi est collata cognitio Divini illius mysterij, sumque tam procul introducta, ut sic dicam, in arcana ineffabilia Divinitatis, perfectionum ipsius, & attributorum, ut nunquam aliàs cognoverim tam multa, aut intellexerim, quàm hac vice. Licet autem sit limitatum, quod cognovi, si conferatur cum ijs, quæ possunt in Deo cognosci, siquidem etiam hic meæ animæ repræsentabatur, sicut aliàs, illud *amplius & amplius*: nihilominus quod modò cognovi, adverto esse tam diversum ab eo, quod aliàs cognoveram, quàm est diversus volatus avis, dum pedem funiculo utcunq; longo habet ligatum, atq; dum volat omnino soluta. Nam quando est alligata, notatur limitatio, præfigiturque ipsi terminus; soluta verò tam procul pro-

volat,

volat, ut nullum habere videatur. Ita mihi nunc evenit, ut mihi videar quasi in immensum à me ipsa egressa, intra illam abyssum infinitæ Essentiæ Dei. Quamvis verò verum sit, quòd anima in huiusmodi occasionibus adeò soleat elevari & absorberi, ita sese perdere, ut absq; speciali concursu Dei ad nihil aliud animum possit applicare, vel attendere, aut amplius intelligere, quàm ipsi manifestetur, hac tamen vice id videtur fecisse. Exitimabam enim me infinito inde intervallo distare, quò aliàs pertingere consueveram, ut iudicarem esse impossibile, ad priorem locum reverti. Sed Dominus me ipsdem reduxit passibus (ut sic loquar) quibus me abduxerat, repetitis ipsdem amantissimis verbis, quæ dixerat initio, & adjectis alijs, ob quæ non minùs erubesco. Dixit autem, ut manerem in meo angulo, donec adesset tempus, quo per æternam possessionem essem fruitura illis bonis; atq; interea hos meos Dominos Angelos mihi inservituros (his ipsis verbis est usa Divina Majestas) se verò semper mihi adfuturum. Sic benedictus milies, laudeturque tam bonus & misericors Dominus, qui usqueadeo liberaliter præstat gratias tam vilibus creaturis, qualis sum ego.

Cum amabilissimus Dominus noster, Rex Regum, Dominus dominantium, Deus & homo de se dicat, se venisse, ad inserviendum & ministrandum hominibus; longè minùs est mirandum, quòd dicere potuerit, Angelos huic Animæ inservituros. Ita Sancti Patres loquuntur de Angelis Custodibus, magnum habentes in Divinis literis fundamentum. Die S. Francisci, anno sexcentesimo vigesimo septimo, quo à Deo exercebatur tremendis doloribus, quibus se dignam agnoscebat, etiãq; haberi instar canis, refert, quid sibi acciderit, hunc in modum.

Videns me tot affectam doloribus, protusq; ineptam ad agendum eo tempore, cum proximis, ipsiq; aliquâ ratione juvandos, querebar amanter coram meo Domino, & inter alia dicebam: Verè Domine, iustissimè à te tractor instar canis, quæ tibi sum importunissima, & continuis clamoribus tibi incommodo. Sicut dum

canis multum ejulat, herus mandat, ut etiam fustibus expellatur; ita tu quoque, mi Domine, tanquam tædio affectus, me verberibus ac doloribus à te abigis. Sed, mi Domine, quid mihi est agendum? Non cogito, bonâ tuâ veniâ, sive desistere ab imploranda tua ope, sive à te recedere, qui solus es unicum bonum, & requies mea. Exaudivit Dominus meum gemitum, & cum suavissimo amore, atq; benignitate mihi respondit, dicens: Noli sic loqui: non es enim canis, sed Anima mihi dilectissima. Veni nunc mecum ad æterna habitacula, & quiesces: ego meâ potentia efficiam, ut eò ascendas. Duxit me secum Dominus, & quamvis hac vice mihi proprijs viderer progredi viribus, agnoscebam tamen occultam quandam virtutem, quâ ferebar. Postquam illuc perveni, dixit Divina Majestas: Ingredere, Anima, tuam civitatem, & locum æternæ tuæ habitationis. Ingressa sum, & Dominus me iussit sedere in quadam sella, subjungens: Circumspice, Anima, & vide quid agatur. Conspexi ingentem Angelorum multitudinem, quorum nonnulli resplendebant instar stellarum, alij quasi soles adeò mirabiles & pulchri, ut me redderent vehementer attonitam. Mox sensi quendam velut ventulum subtilem & suavissimum, quem pervolabant quædam quasi stelliulæ, colore purissimum referentes aurum, & nitidissimè coruscantes. Hæ stelliulæ cadebant super illos cœlestes spiritus: is verò ventulus, & aura quasi marina suavissima, non solum me recreavit, refocillavitque animam, verum etiam confortavit, novaque vegetavit alacritate naturam. Interim his perfruens bonis audivi dicentem Dominum: Age, Anima, ascende altius: & sine mora me Dominus constituit in ea altitudine, in qua fueram præteritis diebus; neq; ibi contemplantur aliud, quàm incomprehensibiles Dei perfectiones, prædita eâ notitiâ, quæ mihi pariter datur, cujus impulsu anima non cessat dicere: Amplius est quàm hoc; amplius est quàm hoc. Eo tempore vidi Personam Christi Jesu Domini nostri, qui me duxit, ut me prosternerem coram Beatissima Trinitate. Vidi illam

illam, non eo modo, quo præterlapsis diebus, sed in quadam Divina caligine, quam licet sit ipsissima lux, nescio quâ ratione vocem caliginem, neque mihi suppetunt verba, quibus id possit vel remotissimè peritis explicari similitudinibus. Ibi unita magno huic Triuni Domino sum submersa, penititq; me perdidit, ut fuerim omnino à me abalienata: sed nec modò aliud scio, quàm me etiamnum ibidem manere secundum partem superiorem. Gratia agantur huic magno Domino, Amen.

Ista caligo, de qua plurima apud Doctores mysticos scripta reperuntur, & que parum admodum ab inexpertis intelligitur, postquam autem usu fuit comperta, minus potest explicari, est unus è sublimissimis modis, quibus se Deus communicat animæ, representatus in ea

caligine, in qua se Deus exhibuit Moysi, & in ea nebula, quæ replevit templum, quando fuit consecratum à Salomone. Ibi ait Salomon, Deum habitare in nebula: & Sanctus Pater deinde dixit, quòd inhabitet lucem inaccessibilem. Eadem verò est utriusq; sententia. Nam quemadmodum hic sol, quando fulgentissimis radijs debilem nostrum perstringit visum, eò minus nobis videtur lucere, quo magis veni caligant, donec prorsus cæcutientibus ipsa lux videatur esse caligo: ita humanus intellectus, in isto gradu contemplationis quodammodo à Divinis radijs feliciter occæcatus, videtur sibi versari in caligine, quamvis suavissimum sit & pulcherrimum lumen, quo tam fruatur. Est comparatio simplicissima, sed alia accommodatior ruditati meæ non occurrit.

CAPUT IV.

Prosequitur eandem materiam: recensentur aliæ admirandæ visiones.

Bardens desiderium, quo hæc Anima ferebatur ad magis ac magis penetrandam suam miseriam, existimans, nec absere, eò se, in serviendo exactius & submissius suo Deo ac Domino, procedere securius, quò se profundius in suæ vilitatis pulvere sepeliret; atq; ob amabilissimam huius magni Domini de ea, propter id ipsum, amplius exaltanda curam, fiebat, ut illi Deus sublimissima isthuc spectantia ingeneraret sensa, quemadmodum vidimus, manifestaretq; nova plerumq; mysteria, quibus cognitis magis in exoptata animi demissione proficeret. Eò tendit specialissima visio, quam aliquando habuit, & ipsa nobis descriptam reliquit, ut sequitur.

Immersit se mea anima profundæ cognitioni suæ miseræ, atq; ob magnum lumen, quod ad illam concipiendam, & in hunc finem Divina Majestas magis magisque augebat, videbatur mihi mea vilitas esse quodammodo infinita, neque in hoc profundissimo puteo erat reperibilis ullus fundus. Quocirca in me fuerunt excitati affectus ac desideria, ut illuc pertingerem:

summè namque avebam inquirere, quantum possem assequi. Tunc mihi Dominus dixit: Anima, si id tantopere desideras videre, descende per hos gradus, qui juxta te sunt. Aspexi, & vidi penes me profundissimum puteum, cujus fundum explorare non poteram; & in eo gradus lapideos, qui à crepidine descendeant usq; ad abyssum. Accinxi me quàm celeritè, volens per illos descendere: sed meus Angelus Custos, & ceteri Sancti Angeli socij mei clamaverunt, dicentes: Anima, quò, compulsa tuorum affectuum vehementiâ, tam impetuosè progredieris? Expecta, non poteris enim descendere, nisi te comitemur. Hoc dicto accelerant, stipaveruntq; mea latera. Incepi magno animo, & quàm generosissimè per dictos gradus descendere, abrepta à meo desiderio, non perpendens profunditatem & tenebras: nec videbam comites meos Sanctos Angelos; quod tamen, quasi omnimò oblita, non curabam. Perveni demum ad terminum tot graduum, vidiq; me constitere ad initium cujusdam spatiosi campi.

& vix

& vix ad aliquot passus processeram, quando rursus conplexi meos Sanctos Angelos, qui me fuerant comitati, aliquantum à me remotos; & propè me gregem deformium canum ac molossorum, diversas præ se ferentium figuras. Hi diabolico vultu in me coniecerunt oculos, & pari furore stridentes dentibus me sunt aggressi. Alij me videbantur velle devorare, alij impetebant manus, alij brachia, alij pedes, ita ut nulla esset pars corporis, quam non apprehenderint: alij arreptas vestes conabantur discerpere, latrantes interdù, ac terribiliter ululantes. Mirum erat, quòd in omni hac vexatione propè nullam sentirem afflictionem: quia illis negabatur à Deo facultas, ut tam vesanè furentes quidquàm mihi inferrent nocementi. Aspiciebam interea meos Dominos Angelos, qui cum magna pace ac dissimulatione nihil movebantur, & nullà videbantur tangi curà eorum, quæ spectabant. Ita me illi crudeles molossi reliquerunt, & huc atque illuc diffugerunt, formidabiliter ululantes & furentes. Paulò tamen post rursus congregiebantur, mordentes se invicem ac dilaniantes. Deinde dissipati recedebant, omnium rictibus cruore manantibus. Hæc verò ipsorum congressio, mutua dilaniatio, ac dissipatio fuit tertio eundem in modum iterata. Indicabatur autem mihi, repetitas illas corrosiones, quibus in se mutuo exacerbabantur, provenisse ex rabie, & indignatione, cum in me exequi non possent, quod optabant, donec tandem sunt ingressi quoddam rapax flumen, ejus pestilentis aquæ coloris erant atræ, & abominabilis odoris.

Considerabam tam rarum casum, & grande periculum, in quò me videram constitutam, ut ab ijs molossis devorarer, nisi me Divina misericordia protexisset. Eram verò contentissima, dicebamq; profusus ex animo, generosè, & solatio divino delibuta: His nempe, mi Deus & mi Domine, his sum digna, quæ omninò vitijs meis & peccatis, atque exiguo in virtute profectu, promerui. Accesserunt ad me tum mei Domini Angeli, dicentes amantissimè: Quid tibi videtur, Anima, de ijs,

quæ spectavisti, & sustinivisti? Esne jam contenta? Non usquequaque, mei Domini, respondi ego: necdum enim fui tam malè habita, quàm mereor. Bene est, dixerunt ipsi, veni modò nobiscum. Duxerunt me ad ripam prædicti illius luctuosi & horribilis fluminis, vidique sub ijs piceis aquis, quæ ardenti immixtæ igni fluctuabant, enormem confusionem, clamores & ejulatus infinitorum diabolorum. Tam formidabile spectaculum me reddidit vehementer attonitam, & illuminata à Deo, ut agnoscerem meam magnam miseriam, & exiguam virtutem, impellente me eodem affectu, dicebam intimè commota: Iste, anima peccatrix, est locus, quem occupare mereris, eò quod sis, qualis es, propter tua peccata: hoc tibi maximè convenit, plurimùmque; respondet tuæ malitiæ. Eum in modum aliquamdiu quasi angebar. Tum Domini mei Angeli mihi dixerunt: Veni, Anima: debemus enim te ducere per hujus fluminis pontem, Et sinè mora me duxerunt ad pontem angustum, quo transibatur ad alteram ripam. Pons iste fuit constratus pestiferis, multiplicis ac diversi generis, insectis. Esto bono animo, ajebant illi mei Domini Angeli, excita te: hæc enim tibi est transeundum, nos verò te comitabimur. Fui, fateor, vehementer afflictà, & timui: præ magno tamen & efficaci affectu, quo tam malè, quàm mereor, haberi optabam, valde animosè me ipsam sum allocuta: Hæc te transire oportet, etiam si timeas & contremiskas: mereris namque tam periculosos transitus. Subjuxi multa hujusmodi, atque ita quò magis me reprehendebam, eò me ampliùs animabam, ad sustinendum rigorem illius transitus. Tandem, opitulante divinà gratià, sum pontem ingressa, qui, præterquam quòd esset angustus, carebat retinaculis. Audiebam, dum illum transirem, terribiles dæmonum ejulatus: quia tamen comites habebam meos Dominos Angelos, progrediebar audacter & imperterritè, quoadusque ipsum superarem. Vix pontem pertransiveram, quando incidi in quendam elivum montis, cuius descensus erat præruptus & profundis-

simus:

simus: apparebat in horribili præcipitij speciem de industria efformatus. Hic me iterum sunt allocuti Sancti Angeli, dicentes: Creatura Dei, noli despondere animum, & esto generosa: hæc enim tibi est descendendum. Subitò autem disparuerunt, recedentes à me, aut saltem sese occultantes, ita ut ipsos non possem videre.

In tam terribili discrimine remansi quasi sola, converti me ad magnum Deum nostrum & Dominum, dixique illi eadem, quæ in cæteris transitibus, & quam sum digna, ut sic mecum agatur; atque cum vehementia prædictorum affectuum (durabant autem semper immutati) me resignabam in ejus voluntatem, decernens facere, quidquid juberet. Incepi igitur cum ingenti timore & labore per illum formidabilem cliyum descendere, ad cujus extremitatem me reperi in quadam planitie. Ibi mihi denuò apparuerunt mei Domini Angeli, quibus sum humiliter quæstam, quòd me in tanta tribulatione dereliquissent. Solati me sunt quàm amantissimè, dicentes: Nunquam te deserit Deus, sed neq; nos, ex Divino ipsius mandato. Procedamus nunc, Anima, per istum campum, & pervenimus ad alium admirabilem locum, quem necdum vidisti, pariterq; debes transire. Ambulavimus aliquamdiu, & pervenimus ad grandem paludem, cujus amplitudo æquabat spatium alicujus Urbis: visa mihi fuit profundissima, cujus aquam permeabat ardentissimus, atq; terribilis ignis. Vidi illic innumeras animas patientes tormenta, cum adeò horribili angustia ac dolore, ut illum cruciatum nequeat ulla lingua humana explicare. Cum autem tales ejus loci essent pœnæ, intellexi, ex maximis esse internam, quam patiebantur, eò quòd non viderent Deum. Inter tot animas unam duntaxat agnovi, quæ me commovit ad notabilem commiserationem, quia mihi diu in illo Purgatorio videbatur permanens. Videns ea genera tormentorum, eram quasi attonita: atque tunc mihi dixerunt mei Domini Angeli: Exita te, Anima, quia te oportet per hanc paludem transire ad alteram partem. Tum mihi Divina Majestas magnum addidit a-

nimum, & generositatem, atque cum ingenti solatio, quòd me viderem redactam ad hunc transitum, respondi ipsidem verbis, quibus antea, profitendo, me dignam esse omnibus ijs pœnis, & adjunxi: Fiat ita, mei Domini, ecce me ancillam mei DEI, impleatur in me sanctissima ipsius voluntas. Interea perlustrabam quaquaversum eam paludem, & conversa ad meos Dominos dixi illis. Ibitisne verò mei Domini Angeli mecum? Omnino, Anima, ibimus, responderunt ipsi: id enim jussit Dominus Majestatis. Ego desiderans plura pati, rursus illos interrogavi: Et, Domini mei, estne opus, ut deponam calceamenta? cum videatur esse convenientius, ut potius ambulem nudipes. Ipsi autè mei Domini, conformantes se meo affectui, mihi dixerunt. Fiat licet, creatura Dei, sicut volueris. Exui calceos, & incepi transire illas ardentis aquas, neque tamen sensi vel minimam molestiam, aut dolorem; atque unà cum meis Sanctis Angelis perveni ad alteram partem. Reperi me subitò in amæno & pulcherrimo campo, ubi *Minimus* ex meis illis Dominis Angelis (quanquam, ut alibi dixi, virtute & fortitudine sit maximus) mihi porrexit calceos, dicens: Tege tuos pedes, creatura Dei, pergesq; nobiscum per istum campum aliquantò ulterius.

Feci quod eram jussa, & postquam sum aliquousq; progressa, perveni ad speciosissimum pratium, totumque floridum, ubi erant multi Angeli Dei, qui suavibus adhibitis instrumentis, & cælesti melodiam laudabant, ac benedicebant Dominum Majestatis. Canebant verò extollentes laudibus magnum Deum & Dominum nostrum, tum ob id quod est in semetipso; tum ob ea, quæ præstat suis pauperibus creaturis, specialissima illis conferendo beneficia. In medio hujus gloriosi prati erat collocata admirabilis, mirèq; exornata sedes, quâ conspecta fui absorpta profundâ ecstasi, & paulò post mihi aliquantò magis restituta, audivi illos Sanctos Angelos mihi dicentes: Anima veni nobiscum, quia sumus jussi à Deo, te ducere ad illum admirabilem locum, quem vides. Ivi cum

cum ipsis, & postquam eò perveni, iusserunt me in prædicta sella federe. Sensi notabilem difficultatem in acceptando eo honore, quo eram indignissima erubesceram summopere, prompta quidem ad obtemperandum, excusans me tamen eâ animi demissione, ad quam à mei ipsius cognitione movebar. Illi Domini Angeli non acceptaverunt meas excusationes, collocaverunt me in sella, & fui continuo, cum toto eo facto comitatu, admirabiliter translata ad cœlestē Jerosolymam. Quando illuc perveni, relicta sella, me prostravi coram imensa Majestate magni Triunivs DEI & Domini nostri, à quo mihi amanter & benignè fuit dictum: Bene veneris ad hunc locum, quis te huc adduxit? quales sunt tui affectus ad desideria? Hæc Dei verba denuò in me excitaverunt, accepto speciali lumine, sublimem cognitionem, & profundam notitiam meæ miseriæ, meique nihili, & quàm expers, post obtenta à magno hoc Deo tot ac tanta beneficia, essem omnis boni, plena verò omni malitiâ. Intellexi vivaciter obligationem, quâ obstringeret eidem Domino, propterea quòd ab ipso essem, ex mera illius bonitate, præservata à gravioribus peccatis, cum ob meam miseriã sim omnium capax. Ista clara cognitio me conficiebat, & sepeliebam me, cum ferventi affectu, in simeto meæ vilitatis; gemebam, lamentabar, & ex toto corde dolebam de magnis illis peccatis, quæ potuissem committere, nisi me Divina misericordia præservavisset; Non aliter propemodum, quàm dolerem, si scirem, ea à me fuisse commissa. Atque id ipsum respondi meo Domino, dicens, his me agi affectibus. Hoc diu continuabam, videbatúrque me Deus cum gustu ac perlibenter auscultare, & tunc mihi cum singulari benignitate dixit: Bene tibi exerceas, abundè mihi satisfacisti his affectibus. Veni jam mecum, & quiesces. Quia verò idem habebam lumen, quod antea, & vivacissimam magnæ meæ miseriæ cognitionem, respondi Domino dicens: Nequaquam, nequaquam, mi Deus, & Domine mi, nullatenus: neque enim sum digna, ut accedam ad te: & sic relucebar, quan-

tum poteram. Verùm Dominus DEUS suavissimam indicans benignitatem, me denuò vocavit, inquiens: Noli, Anima, tergiversari, aut me refugere; & suavi me violentiã ad se pertraxit, cui me arctissimâ unione sensu unitam. Licet autem sub illius unionis initium, mihi videar potuisse aequaliter meo affectui resistere, & quasi mei me puderet, conata fuerim me subducere, paulò post tamen me Dominus non passus est progredi ulterius. Plenè igitur huic magno Deo unita, fui ducta à Divina ipsius Majestate ad immensam quandam altitudinem, & submersa sum in immenso mari illius Divinæ Essentiæ, ubi mihi fuerunt manifestatæ imperscrutabiles ejusdè perfectiones. Cùm verò hic, nescio quamdiu, mansissem, eduxit me Dominus summo cum amore & benevolentia, quasi ad litus immensi illius pelagi, ubi conspexi quosdam Angelos, qui quodammodo attoniti aiebant: Ita Deus exultat humiles corde. Deducebat me sensim, & velut gradatim Deus ex ea altitudine, atque Angeli Dei me descendente prioribus verbis per intervalla compellabant. Hunc in modum me idem Deus, comitantibus ipsum infinitis Angelis, reduxit ad istud exilium, donec me reponeret in meo angello, quâ ratione mihi descensus non accidit multum molestus. Etiam hinc perseveravi in magno mentis excessu, & quando integrè ad me redivi, non vidi amplius Deum in ea mirabili specie, in qua prius illum videram. Egi illi, quas potui, gratias, pro ipsius bonitate, & pro beneficijs, quæ misericorditer præstat tam vilibus creaturis. Sit semper millies, iterumque millies benedictus, Amen.

Dignissimum in hac visione notatu est, quòd, licet omnium horribilissimus esset transitus, quando illi permeandus erat ardens ille lacus Purgatorij, hic tantummodo nec timuerit, neq. passa fuerit ullam afflictionem, dolorem, aut molestiam, sicut antecedenter. Credo, eam ob causam, quòd, pedes denudando, generosius optaverit pati plura, pejusque haberi. Revera enim anima, quanto quoad spiritum ardentius & animosius statuit sese humiliare, ac pati pro Deo, tanto minus sentit molestia; quòd-

quodq. est amplius, eusq. progreditur, ut ex ipsa afflictione capiat solatium. Suavior, neque minus continens mysterij, est alia visio, quam ad idem propositum habuit, ut sic recenset.

Dum consueto essem prædita lumine, quod mihi hac de causa Divina largitur Majestas, fuit in me nuper excitata vivax quædam cognitio, quantopere mihi conaturalis, & conveniens sit locus, sterquilinium meæ vilitatis, quamq. me deceat in eo immorari percrutandæ naturæ nostræ corruptioni, & timandis meis peccatis atq. defectibus. Id ipsum amabam, id exoptabam. Crescebat lumen, exardecebat affectus, penitusq. abij in ecstasim. In ea mihi videbar quàm celerrimè perambulare ingentem campum, & sollicitissimè quærere fetidissimum quodpiam sterquiliniū, ubi figerem sedem, dicebamq. intra me, extraordinarios sentiens affectus: Videamus, an possim reperire hoc profundum & execrabile sterquilinium, locū mihi competentem. Si Deus mihi quid mandaverit, & aliquid à me petierit, ibi me inveniet. Tum temporis mihi Divina Majestas dixit: Veni Anima mea, veni mecum. Ego autem, quia eram ab affectu contemptus mei ipsius occupata, respondi absque ulla consideratione: Non, Domine, non mi Domine, nunc tecum non ibo: prope- ro namque ad quærendum competentem mihi locum. Dic verò mihi, Anima, subjunxit Dominus, quis est iste tuus, ita tibi competens locus, sicut dicis? Domine, reposui ego, est sterquilinium mearum miseriarum, ibi volo considerare: si mihi aliquid volueris mandare, quære me, ibi me invenies. Atq. tanquam volens me expedire à Domino, meumque iter prosequi, adjeci. Abeo, Domine, abeo. Videbatur benignissimus Dominus præ se ferre singularem complacentiam & voluptatem, dum me audiret, dixitque mihi: Vade in pace, Anima; perge quò pergis. Itaq. rursus properantissimè investigavi illum meum tam exoptatum locum, & sic perambulans campum, observavi aliquantum à me distans grande sterquilinium. Accurri ad illud velocissimè, & cum ingenti meo gau-

dio ac solatio conscendi supremum ipsius apicem, flexisq. genibus, & manibus junctis, atque oculis in cælum defixis, affectu fervens, sensi meam animam maximè affluere consolatione. Sic transegi aliquantum temporis, quod non designavero, & vidi subitò venientes Sanctos quosdam Angelos, adferentes admirabilem ac splendendam sellam, & accedentes paulatim ad radicem illius putidi montis mei fimeni. Affligebat me id, atq. angebat, & reluctabar quoad poteram, ne adverterem quid ageretur, ac adhærebam meo Deo, sicut dixi. Purissimi illi Spiritus me vocabant, quodammodo mihi blandiendo, dicentes: Anima, & creatura Dei, quid agis? veni nobiscum in nomine Domini; quod aliquoties iterabant. Sed mihi ibi erat quàm optimè, valdeque mihi accidebat difficile ipsis respondere, & nec ostendebam me intelligere, quid dicerent, neq. etiam voluissem cogitare, me ab illis vocari. Tantum subinde dicebam: Quis vocat? quis vocat? quem quæritis? & remanebam, uti prius apud Dominum Deum, prosequens affectus meæ orationis. Ipsi mihi respondebant: Anima, aspice, sumus enim Angeli Domini Majestatis, & venimus ad te ipsius jussu, ut eas nobiscum. Ego modicum tacebam, ac deinde aiebam: Domini, ego id non intelligo: progrediamini ulterius, quia non quæritis me; progrediamini ulterius.

Inter has interrogaciones & responsa, vehementem sum passa mentis excessum, & fui quasi consopita in Deo. Sancti Angeli advenerunt sine mora, adferentes illam mysticam sellam, meq. consuetà sibi decentiâ apprehensâ in ea delicate & suaviter collocaverunt; quod ego, quantum modicè, cum essem vehementer absorpta, observabam. Tum me sustulerunt ad celestem Jerusalem, & prostraverunt coram Divina Majestate dicentes: Domine Majestatis Deus noster, en adducimus tibi istam Animam & creaturam, quam adducere à te jussi fuimus. Magna certè sit difficultas, ingens ipsius tergiversatio, ut nobiscum veniret: non poteramus illud illa obtinere, & excusabat se operose. Do-

minus audivit quod dicebatur à Sanctis, & cum majestate atque gravitate respondit: Bene est. Conversus autem ad me, quæ, sicut dixi, eram prostrata coram Divino ipsius conspectu, mihi dixit: Anima, cur id fecisti? quomodo decreto meo restitisti? te excusavisti, & non statim mandato meo paruisti? Auditis his verbis quasi cohortui. Dixit præterea Dominus: Accipite, Angeli mei, istam Creaturam. Hic demum adverti me timere, existimans, Dominum proculdubio præcipere illis suis ministris, ut me exemplariter castigarent. Complevit verò Dominus captum sermonem, dicendo: & collocabitis illam in eo eminenti loco, quem ibi videbitis, cui superimponetis hanc epigraphen: Ita exaltat Deus humiles corde, & parvulos in sui æstimatione. Hunc in modum omnia fuerunt peracta, atq; ego in illo loco arctissimâ unione magno Deo & Domino nostro unita, penitus mihi sum crepta, quasiq; submersa in Divina Essentia. Nescio quamdiu id duraverit. Expedita ab hac unione fui correpta velut somno quodam spirituali, in quo magnam habui consolationem, & mira cognovi de rebus sublimissimis. Deinde me Dominus paulatim expergefecit, & reduxit ad meum angulum. Ubi cum ingenti meæ animæ solatio animadverti, me istâ vice assecutam fuisse à meo Deo extraordinaria bona. Faxit Divina ejus Majestas, ne illa gravibus meis defectibus perdam, utque me sciam exhibere gratam pro tot misericordijs. Ipse sit in æternum benedictus, Amen.

Quod Dominus Deus toties voluerit, sibi ab hac sancta Anima referri & exponi affectus cordis, quos illi idem Dominus largiebatur, longè, melius, quam ipsamet agnoscebat, valde est conforme modo, quo Spiritus Sanctus loquitur in Canticis. Atq; sic manifestè significatur complacentia ac delectatio, quæ Divina Majestas amplius dilatat affectus, ad gratum sibi obsequium cum profunda animi demissione exhibendum, que ita magis proficit, suavissiq; explicatur, quam quibusvis ratiocinationibus, quas intellectus procedit. Gratióssimum est ad hoc propositum, plurimùmq; congruit argumento, in quo versamur, quod illi quadam vice

agenti cum Deo evenit, & ipsa, ut sequitur, enarrat. Erat autem annus sexcentessimus, vigesimus quintus.

Cùm Dominus dixisset (vacabam tum orationi, varios eliciendo affectus, ebullientes ex cognitione meæ vilitatis) ut sibi omnia animi mei sensa exponerem, & ego illi cœpisssem multa mala referre, quæ mihi imputabam; prosequente me hanc narrationem, abripuit me ad cœlum, ascendens quasi per densissimam pluviam, sed valde lenem ac suavem, cujus guttæ aureæ apparebant instar minutulorum ocellorū. His tota mea vestis fuit inaurata, mirumq; in modum illustrata: sed & facies ac manus, quo eæ cadebant, pariter reddebantur splendidantes. Ita fui præsentata Domino Deo, & præcipiente mihi Ejus Majestate, ut pergerem narrare, quale de me ipsa ferrem judicium, meque id toto ardentis mei affectus conatu agente, dixit idem Dominus: Quomodo ergo, si talis es, qualem te esse dicis, compares tam formosa, & vestis tua adeò resplendet? Domine, respondi, non est meum, quod accepi: Ego enim nihil hujusmodi habebam. Tuum est, quod mihi dedisti. Si igitur meum est, subintulit Dominus, offer mihi totū. Cœpi subito cum magna promptitudine exequi, quod à Divina Majestate jubebar: spoliavi me omni eo ornatu, & splendido vestitu quàm libentissimè. Divina Majestas omnia acceptavit, singularem ostendens oblectationem & complacentiam, statimq; illa mihi restituit notabiliter meliora, & cum magno valoris augmento. Subduxit se tum aspectui meo Dominus, quasi dispareret, & à meis Dominis Angelis, qui mecum erant, fui ducta per quosdam latissimos gradus. Inde incepti audire musicam Angelorum, qui cœlesti harmoniâ, & admirabilissimis vocibus canebant laudes Deo. Superatis gradibus vidi in amplo quodam loco, quasi in spatioso templi choro, altare pretiosissimè adornatum, atque in eo Majestatem Dei, & parvum Ciborium, in quo erat parva hostia, non ejus crassitici, cujus sunt nostrates, sed subtilissima, plurimùmq; quodammodo spiritualis, ubi Dominus ad me provolutam in genua

accessit, imposuitq; ori meo illam hostiam. Licet verò agnoscerem præsentem Dominum, non vidi tamen ipsum totum in specie corporea, sed solos unius manus digitos. Mea anima summam sensit dulcedi-

nem, atq; dum quasi deliquium passa considerem in brachia Angelorum, conspiciam sui somno spirituali, & postea ad me reversa, me reperi in meo cubicello. Benedictus sit Deus in æternum, Amen, Amen.

CAPUT V.

Profundâ suâ demissione animi, alias à DEO specialissimas obtinet gratias.

SI gratiæ, quas hæc Virgo suâ humilitate, à liberalissima magni DEI nostri & Domini manu est consecuta, ut hæcenus vidimus, fuerunt singulares, illa, quam nobis nunc referet, tam raras continet circumstantias agnitionis sui ipsius, quâ se reputabat vilissimam; unâq; teneritudinis & familiaritatis, quâ Deus cum ipsa agebat, ut exiguo meo iudicio censeri possit quàm singularissima. Non aliæ verò animæ, quàm illa, quæ intimè penetrant, quantum sit amor Dei, qui illarum causâ factus homo, & in stabulo natus, flagellatus, atque in cruce mortuus, perpetuò in Divinissimo Altaris Sacramento impiorum Catholicorum est expositus sacrilegijs, & hæreticorum injurijs, ut cor devotum ex immensis gratiâ ipsius proficiat thesauris, ejusdemque charitas Justitiæ arctius uniatur, quibus idem Dominus, in sacris literis, se unice delectari fatetur, quosq; tanquam oculorum suorum æstimat pupillas: illa, inquam, sola anima, quæ has veritates profunde meditantur, quas firmiter credere tenemur, & pro quibus asserendis perlibenter vitæ faceremus jacturam, omni hic deposito dubio fidem adhibebunt ipsi, quæ legent; quin imò corroborabuntur in credenda infinita tam boni Dei benignitate. Ita porò hæc Virgo scribit suo Confessario.

Non pridem immerita eram cognitioni meæ imbecillitatis & miserix, amarè dolens de meis peccatis ac defectibus, quia multos à me eo die commissos existimabam. Multa magno Deo & Domino nostro dicebam, ad quæ me vehementia mei

affectus impellebat: atq; interea jam semiabtorpta, ac tota ardens, identidem agebam: Mi DEUS & mi Domine, habeo & calculos quosdam, ego quosdam calculos habeo. Mea intentio, quia profunde inhærebam penoscendis meis delictis, erat, ut cum Divino hoc Judice componerem calculos rationum meæ animæ, postularer ipsius misericordiam & veniam; utq; hæc rationes ita dispungerentur, sicut Deus vellet. Tunc mihi Divina Majestas quàm amantissimè dixit: Itane, anima? habes calculos? Quid igitur modò petis? age, expone illos: libentissimè ipsi, in tua gratiam, meam impertiar benedictionem, pro tuo solatio, & multorum comodo, quibus eos distribues. Ego animadvertens, nāgnū hunc Dominum, eum in modum, quo Pater animi relaxandi gratiâ agere consuevit cum parvula filia, ut me velut abstraheret à meis desiderijs, simulare, quasi non perciperet, quid vellem, & loqui æquivocè, notabile illi dedi responsum: Non sunt, mi Domine & mi Deus, non sunt calculi precatorij, de quibus mihi est sermo: ne quidem mihi in mentem venit, ut aliquid tale peterem: sed volo, ut fiat in omnibus rebus tua voluntas. Calculi, de quibus loquor, sunt rationum, quas tecum inire desidero, ut satisfaciam pro meis culpis ac peccatis, & naturalibus defectibus, à me coram Divina Tua Majestate commissis, quò his calculis computatis nihil superfit, quod à me ultra exigas, & ego debitas exolvendo penas, tuâ fruam anticipatiâ. Hi sunt, mi Deus, calculi rationum,

* Ambigua vox Hispanica *cuentas*, quæ Hispanis significat rationes, seu dati & accepti computationem, prætereaque corollas precatorias, non potest cum ea gratia latine exponi, quæ inest phrasî Hispanicæ. Explicata est tamen amphibologia per vocem *calculos*, cum aptior non occurreret.

quas toto meæ animæ affectu, prostrata coram tuo Divino conspectu, tecum initura adsum. Audivit Dominus quæ dicebam, & cum eadem amabilissima suavitate ac prius (semper tamen hæc affabiilitas admixtam habet gravissimam majestatem, quæ pariter movet ad reverentiam, & ingenerat amorem: Perpetuò enim, quò Deus se in hujusmodi occasionibus magis exhibet suavem ac blandum, ut gratificetur animæ, eò majorem, inter tenerrimos affectus, excitat sui venerationem) mihi dixit: Bene loqueris, Anima, bene loqueris: nihilominus vide, an non habeas calculos aliquos precatorios, quia, sicut dixi, beneficiam tibi, impertiendo illis meam benedictionem, conferamque ipsi multas gratias & indulgentias; & erunt alexipharmacum contra quodvis spirituale venenum, etiãque naturale, si expediet, cuique devotè tales globulos precatorios, cruces, aut numismata, aliãque pietatis instrumenta, exosculanti. Hoc Divina Majestas dixit, ipsoque factò præstitit, benedicens quædam ex ijs, quæ mihi recentè data fuerant. Magnum inde cæpi solatium, & cum ingenti affectu dixi Domino: Mi Deus, quid verò debebunt dicere, qui ista exosculabuntur? Et, non expectato ipsius responso, celerrimè subjunxi: Dicent, mi Domine: Benedicte sit magni DEI nostri & Domini bonitas. Postquam id protuleram, summè erubui, agnosceris, ea verba processisse ex proprio meo spiritu, non expectato Dei responso. Tum Divina Majestas, ac si id non curaret, mihi respondit: Bene est, Anima, gavisus fui, quòd agnoveris loquentè tuum spiritum, quando ego te alloquebar. Ne te tuum istud dictum affligat: contigit enim tibi, quòd solet puerulo, qui alloquente ipsam Patre, more suo, antequam Parens cesseret loqui, profert rem aliquã leviculam, ætati suæ consonam & affectui, id quod Parentem delectat, movetq; ad risum, ut dicat: Fiat omninò filii, sicut vis ac dicis. His suavissimis Domini verbis fui rursus pacata, & acquievi.

Profecuta sum affectus meæ orationis, animadvertens mihi semper adesse & assi-

stere Divinam Majestatem, quæ mihi interdum dicebat: Quid agis Anima? considera, an aliquid velis: nam oportet me tibi quidpiam istâ nocte donare. Ego id bene audiebam, & conabar me abstrahe- re, ne attenderem ad hos favores, adhæ- tendo eidem Domino viâ consuetâ meo- rum affectu. Ita transegi amplius quàm horam, conquerens meo Domino, quòd me tot agnoscerem ream peccatorum ac defectuum; rogabam illum, ut, quando- quidem anima mea esset infirma, faucia, & leprosa, ipsam curaret, ac sanaret. Ad- didi, etiam pauperulum corpus ægrotare, & affligi in lecto, ab annis viginti quinque, quibus non vidit lumen solis, aut aliud, quo dolores possent leniri: me tamen ex hac misericordia summum capere solatiū, viderique mihi parum, quidquid paterer. Post elapsam hanc horam, & quòd ultrà excurrit temporis, impensū his, quæ nunc retuli, dixit mihi Divina Majestas: Verè, Anima, exhilaravisti me eo, quòd in hoc posteriore tui exercitij puncto asseruisti: confessa enim es veritatem, loquens de diuturno tui corporis martyrio. Quapro- pter noli mirari, neque tibi videatur inso- lens, quòd tibi usitatas meas gratias exhibeam: æquum siquidem est, ut eas illi præstem, quam (sicut ipsa, me inspirante, dixisti) detineo in statu Crucis, atque tam diuturnorum, & tot, tamq; gravium do- lorum, quos quidem ego perspectos habeo, & quasi descriptos in Divina mente mea.

Post hoc, ut impleretur, quòd Domi- nus dixerat, daturum se mihi videlicet ali- quid eâ nocte, intuitus meum Angelum Custodem, & reliquos Sanctos Angelos meos contubernales, significavit ipsi suam Divinam voluntatem, quæ erat, ut me ele- varent, & prosternerent coram ejus Divi- no conspectu. Jussit me deinde Dominus erigi, & provolutæ mihi in genua dixit: Anima exportige tuas manus ad thesau- rum, quem tibi dare volo. Quo audito eram tota turbata ac perplexa, tantumq; circumspiciebam, ubi essent illi mei Do- mini Angeli, præsertim meus Custos, ut adverterem, an mihi aliquid suggererent, quòd mihi tum esset agendum. Tandem aperui

aperui manus, prout jubebat à Domino, cujus Majestas cepit in illas injicere multos nummos, quasi ex auro conflatos obrizo & fulgurante, quo ipso exornabatur & illustrabatur etiam manus Domini. Injiciebat Dominus quàm plurimos, ut mihi viderentur esse infiniti, plures, quàm angustis meis possent manibus contineri. Videns me adeò Divino illo thesauro didatâ, & ignorans, quò illum ponerem, intuebar Sanctum meum Angelum Custodem, qui mirabili quodam gestu mihi innuit, ut observarem, me esse præcinctam linteo, quod secundum angulos apprehensum attollens, imposui illuc thesaurum, quem cum magno solatio sum amplexata, nihilque præterea considerans celeriter assurrexi, ut discederem. Tum mihi Dominus benignissimè dixit: Expecta, veni huc Anima, quorsum tantopere festinas, nullo dicto ultrà verbo? Flecte hinc rursus genua, & lustra thesaurum, quem geris. Sic feci, denuòque illum perlustrando inveni, esse pretiosis ijs nummis aureis inmixtos multos flores odoris suavissimi, & magni pretij. Indicatum mihi fuit, his significari acceptationem Divinarum inspirationum. Intellecto isto divino mysterio, completens meum thesaurum, sum p[er] illa vehementem extasim: quâ durante ad me accessit meus Angelus Custos, & postquam me discinxit eo linteo, accepitque thesaurum, servavit illum intra seipsum. Quando mihi restituta ad me redij ex raptu, & carui thesauro, obstupui, sui que aliquantum desolata.

Hoc ipso tempore Dominus Majestatis me cepit, quasi me abstrahendo ab ista solitudine, nitidissimè exornare, profecto interim arcana quædam verba, quæ ego non potui percipere, & pretiosissimæ vesti superimposuit splendidissimam catenam auream, elegantissimum torquem, cingulum, armillas, & annulos digitis, tandemque pretiosam coronam capiti. Cum me ita viderem ipsâ magni illius DEI ac Domini manu exornatam, non explicavero verbis eos affectus, qui ex mea processerunt vilitate & nihilo, dum propter lumen, quod habui, profundè me ipsam

agnoscerem. Submergebam me, nihil hæsitans, ac sepeliebam in abyssis meæ miseræ. Post hoc Dominus præcepit, ut me prosternerem, deditque mihi suam sanctissimam Benedictionem, ac deinde Angelo meo Custodi, & reliquis ibi præsentibus dixit, ut me sic ornatam deducerent, quò me ducere jussi fuerant. Accesserunt ad me illi mei Domini Angeli, mèque erexerunt admirantem tantas Dei miserationes. Imposuerunt meis manibus accensum, albo ac aureo distinctum colore, cereum, & comitantibus me his meis Dominis, aliisque multis Angelis, sui, non sine mysterio, ducta per admirabiles vias, quas, opinione meâ, nunquam transiveram. Pervenimus ad gradus immensæ altitudinis, quibus consensu reperimus amplam & quadratam planitiem. Hic incipiebant infiniti alij gradus, vergentes velut aliorum, & ad locum distinctum ab eo, ad quem præores tendebant, quibus omnibus superans, me reperi coram magno DEO nostro & Domino, in cujus conspectu fui à Dominis meis Angelis prostrata. Postea ad me accessit meus Angelus Custos, elevavit me, & reliquit provolutam in genua, inposito meis manibus linteo, cum suprâ dicto thesauro. Ibi me Divina Majestas edocuit, quid significaret præcedens mysterium, & agnovi, quòd mihi Christus Deus & Homo, Dominus & Redemptor noster, sub ijs figuris, ex mera sua bonitate & misericordia, applicaret thesaurum virtutis sacratissimorum suorum meritum, & pretiosissimi Sanguinis, nostri causâ profusi. Eodem momento mihi Divina Majestas denuò comunicavit ingens lumen, ut cognoscerem meum nihilum, meamque miseriam, & quidquid habere possum bonum, esse liberalissimum Divinæ manûs donum, gratiosè à Deo collatum, eò quòd sic tam benignus, quàm est. Intelligebam, quanto opere ob hæc omnia sum magno isti Domino obstricta, quàmque idem mereatur, tantummodo propter semetipsum, & eoli ab omnibus suis creaturis, inique glorificari: nec minor erat meus affectus quàm cognitio.

Dixit mihi tum Dominus: Bene huc veni.

veneris, Anima; salve plurimum. Vehementer mihi places, una cum ornatu & cimelijs, quibus te Divinus Sp̄sus exornavit. Ego, incitante me prædicto affectu, explicans linteū, in quo erat thesaurus, deposui illū ad Divinos ipsius pedes, offerendo eum ipsi, tanquam rem ejusdem propriam. Expoliavi me singulis ornamentis, quæ mihi Dominus dederat, & feci, quod antea: tandemq; obtuli etiam coronam ex capite detractā, cum reliquis, tam efficaci & ardenti affectu, ut, si tota Beatorū, omniumq; Angelorum gloria foret mea, omni me ipoliarem, eamq; ipsi offerrem, donec redigeret ad paupertatē ac nuditatem, ut Deus magis glorificaretur. Postquam exui pretiosas vestes, quibus me Dominus ornaverat, eidemq; illas cum cæteris obtuli, animadverti me adhuc esse indutā tunicā candidā instar nivis, quæ adstringebatur cingulo aureo. Jam erat solutum cingulum, ut illud quoq; offerre meo Domino, quando ipsum audivi peramanter mihi dicentem: Anima, noli deponere cingulū, neq; exue hanc albam vestem: quamvis enim sit à me donata, nihilominus etiam tibi magnū in illam jus competit, eò quòd libero tuo arbitrio responderis meis inspirationibus. Dum tã Divina & sublimia cognoscerem mysteria, junctis manibus elevavi oculos, agens magno huic Domino gratias, & passā sui vehementē mentis excessum. Ex quo ad me reversa, vidi quendam quasi Divinum & supercælestem solem, qui pulcherrimis radijs urentis, & æquē suavis ac fortis ignis, illuminabat ac beatum reddebat illum supernum locum, in quo existit. His irradiata mea anima se totam univit eidem Divino soli, & in ipsum quasi transformavit, intimè quodammodo illum penetrando. Perdidi memet, nec verbis possum explicare (quæ quidem in hac rem minime suppetunt) sed neq; ullo penitus modo ediscere ea, quæ divinissima vidi in Deo, & cognovi in eo Divinæ ipsius caliginis lumine, quo verbo uti consuevi, dum nescio, neq; possum quidquã exponere. Ignoro, quamdiu in hac profundissima unione permanferim. Quando post illam ad me redij, reperi me in meo angello, ita ut nec adver-

terim, neq; intellexerim, quis me eò detulisset. Verum Sanctus meus Angelus Custos, & reliqui mei Domini Angeli mihi dixerunt, me ab ipso Domino Deo, ijs, & alijs Sanctis Angelis illum comitantibus, eò delatam fuisse. Obstupescō, quemadmodum quisq; concipere potest, talia magni hujus Domini DEI nostri opera. Ipse sit millies iterumq; millies benedictus, ob id quod est in semetipso, & ob id quod est erga nos suas miseris creaturas.

In prima hujus visionis parte, ubi à magno DEO nostro & Domino tanquam à tenerissima Patre, hæc sancta Anima tractabatur, ad vivum exprimitur, quod Spiritus Sanctus ait per sapientem: videlicet, Deum non tantum deliciari habitando in animabus puris; sed etiam videri cum ijs ludere, seseque recreare eum in modum, quo amantiissimi Parentes suis prolibus, dum adhuc sunt parvula, se oblectare consueverunt. Interim tamen notanda est summa majestas, quæ DEUS sui conservat observantiam & venerationem, eamque sibi conciliat inter suas teneritudines, id quod ea veritate, qua ipsius inerat spiritui, asserit, etiãq; experiebatur hæc Virgo fortunata.

Ubi ait, pretiosissimis nummis aureis adjunctos fuisse flores, significantes promptitudinem hominis ad respondendum divinis inspirationibus, sublimissimè explicatur, quid in nostris reperitur operibus ascribendum gratiæ, quidve nobis. Gratiã accipimus per pretiosissima merita Christi. Hæc, ut postea dicit, sunt nummi ex auro obrizo: cooperatio nostra est instar florum, longè minas estimabilis, secundum se spectata, quanquam suaviter oleat, magniq; sit pretij.

Abundè jam videtur dictum esse de profundis demissionis animi, cognitionisque sui ipsius radicibus, quas DEUS in hac Anima fixit, permovendo eandem ad tam ferventes affectus, eiq; idcirco tam admiranda exhibendo symbola & figuras. Nihilominus illi Divinæ Majestatis aliquando, absque hujusmodi visionum apparatu, contulit sublimiorem omnibus prædictis notitiã, adeo singularem quoad affectus, ut ipsa fateatur, esse gratiam omnium maximam, quas in ista cognitionis sui materia, à suo Deo fuerit consecuta. Ita verò ait.

Dum his diebus, tempore matutino,

D

verfa-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

verfarer, cum Deo, postquam mea anima, cum Ejus Majestate quædam prorsus magna & arcana pertractavisset, fui in eodem Domino extra me rapta; qui mihi tum contulit altissimam, cui explicandæ nulla sufficit lingua, apprehensionem & cognitionem, ut immensam infinitæ ipsius Essentiæ intelligerem magnitudinem, & meam miseriam, vilitatē, atque ineptitudinem. Vifus est mihi magnus Deus noster & Dominus suâ potentia & sapientia efformavisse in mea anima summam comprehensionē suæ magnitudinis & infinitæ Essentiæ, meæque exiguitatis & miseræ, impressâ quodammodo & insculptâ profundissimæ & supremæ parti ipsiusmet animæ, ita ut non posset inde evelli, aut expungi: erat enim quodammodo illi unita per gratiam, & potentem Dei manum. Hæc paucula possum dicere de isto arcano favore, qui talem in me excitavit administrationem & affectum, ut dixerim ad Dominum: O mi DEUS & Domine mi! felicem me reputo, quod attigerim tantam ætatem, & pertulerim, fuerimque per ejus decursum passâ, quæ tu seis: siquidem pro ijs, per tuam bonitatem, obtinui, & sum assecuta à tua misericordia rem usque adeo stupendâ, quam mihi modò dedisti cognoscendam, de tua magnitudine, meâque miseria. Et verò certum est, non fuisse istam gratiâ, quam Deus meæ animæ præstitit, quales sunt consueta gratiæ illuminationis & agnitionis perfectionum ipsius, & infinitæ Essentiæ; sed alterius longè majoris & superioris, ac diverfii gradûs. Sicut, exempli gratiâ, offertur cuiquam in patina pretiosus cibus, quem novit, scitque qualisnam sit; percipit ipsius odorem, tantumque illum delibat, & hîc sistit, non autem comedit: atque ita licet eo aliquantulum oblectetur, non tamen reficitur, cum non perveniat ad ipsius stomachum. Hoc discrimen certâ ratione intercedit inter duos modos, quibus se Deus animæ communicat. Modo solito videtur se Deus præbere animæ gustandum ac videndum; altero & speciali, de quo loquor, se integrè tradit, & cum ea quasi unit, sustentando ipsam. Sive dicamus ita evenire, sicut dum alicui ostenderetur pretiosissimum cimelium eo fine, ut illud

videret, ipsiusque agnosceret valorem, & eo sibi ad aliquod tempus commodato ad usum, absque ejusdem possessione, se oblectaret: aut si illi non tantum dictum cimelium ostenderetur, ut se ejus recrearet aspectu, & ejusdem pretium agnosceret, sed etiam daretur possidendum, cederetque tanquam proprium. Laudetur Deus in æternum. Amen.

Sicut sublimissimus est modus, quo DEUS nunc huic Virgini communicavit cognitionem Divinæ suæ magnitudinis, unâ cum noxiâ humanæ vilitatis: ita quoque tenerimus fuit alius modus, quo illi simili occasione contulit lumen ad eosdem duos effectus, sic nobis ab ipsa descriptus.

Colligefcebat mea anima raris affectibus, quos illi Deus comunicaverat, amoris erga ipsum, & erga proximos. Desiderabam ardentem me in omnibus, & per omnia unire Deo, prout ipse mihi inspirabat, cumque deficerem viribus, ex intimo animo illum invocabam dicens. Quosque, mi Domine me dereliquisti? quousque à me recessisti? Hoc sæpe iterabam, atque tam vehementi ardore illum deprecabar, ut existimem me fuisse disrumpendam, nisi Deus responderet. Exaudivit me pro sua misericordia & infinita bonitate, dixitque mihi Anima, quid habes? quid vis? Ego te non desero, neque à te recedo: dic age, quid velis. Domine mi, ajebam ego, nihil volo præter te; & ecce, Domine, quod volo est, ut te magnâ vi complectar, teque comprehendam, & arcuè meis brachijs stringam. Tum Dominus cum magna respondit affabilitate dicendo: Quid loqueris, Anima? an ignoras, me esse magnum, me esse immensum; te verò vermiculum, & nihilum? Quomodo igitur me vis complecti? Omniò, mi Domine, perseverabam ego, vole te complecti, teque inducere intra viscera mea, intra me. Adverte Anima, reposuit Dominus, non poteris id præstare, non me capies. Ita, mi Domine, dixi, ita, poterò. Alitercabar sat diu, & Divina Majestas me circumstans mansuetudine tolerabat: videbat enim ardorem meorum desideriorum, quibus mihi ipse inspirabat, atque tum mihi dicebat. Fiat licet, Anima, experire quid possis.

Et cum id dixisset, datum mihi fuit ingens lumen, cum quo agnovi infinitum ipsius Esse, & immensam ejusdem magnitudinem. Obstupui, & demersa in cognitionem meam miseriam atque exiguitatis, flexisque genibus procumbens humi, manibus junctis, & fronte affixa tetra, dixi: Ah, mi Domine, quam es magnus! Fateor meam miseriam & vilitatem. Atque ita non fui ausa attolere oculos, aut ullum præterea proferre verbum: sed adorabam in silentio immensitatem magni Dei nostri & Domini, ac pudefiebam in pulvere meae vilitatis. Tantum subinde dicebam: Non est jam, Domine, quod ultra hac de re agarur. Tunc me Dominus iussit elevari, & peramanter subjunxit: Eja, Anima, experire tuas vires, & amplectere me. Hac mihi à Domino concessa facultate, tentavi, capique conari, ut caperem quantum possem. Comprehendi quantum patiebatur mea capacitas, & fui ita repleta Deo, ut amplius nequivetim, instar cuiuspiam vasis, dum in magno fonte impletur aqua, ut plus capere non valeat. Hac vice fui satiata ac impleta meo Deo, & quievi in illo per fortem ac arctissimam unionem, quæ diu duravit. Eâ cessante me repeti in meo angulo, advertens, etiam dolores meos multum esse mitigatos. Ipse sit benedictus, Amen.

Affectus, de quibus in principio huius gratie est sermo, oriuntur ex fervore anime existentis in eo gradu, qui à Sanctis Patribus vocatur sobria ebrietas charitatis. De hac multa dicuntur in Canticis. Tunc Anima ita est comparata, ut non tam observet quid dicat, quam indiget quid amet; non expendit impossibilia, siquidem ipsi tantum accidit impossibile, vivere absq; eo, quod desiderat, qua de re nonnihil dicitur in sequentibus capitibus.

Præsentem humilitatis materiam, fundatæ in sui cognitione, quæ hæc Virgo excellebat, concludamus illâ singulari gratiâ, quam ipsi Deus in caelo prestitit, quando pro humili sui pudificatione, & emendatione vitæ optabat videre locum, quem suis peccatis promereri potuisset in inferno. Id evenit anno sexcentesimo vigesimo nono, Die vigesima quinta Junij, describiturq; ab illa his verbis:

Vna Mar. de Ecob. Pars II.

Patiebar meos consuetos dolores tam diuturnæ ægritudinis, atque nihilominus occupabar cognitione meorum defectuum & miseriarum, quando mihi Dominus dixit: Veni, Anima, & respirabis modicum à tuis afflictionibus. Ego, quæ semper in prædicto exercitio libenter vereor, respondi Ejus Majestati: Domine, si me aliquid vis ducere, deduc me ad infernum, vel ad purgatorium, ut videam locum, quem mereor, utque conspectus prænarum, quæ illic perferuntur, me incitet ad emendam ac reformandam meam vitam: quandoquidem tuus amor & beneficia, non obtinent meam culpam, quod à me exposcis. Dominus respondit, quasi dissimulante, dixitque: Bene est, sed veni modò mecum ad celestem patriam. Repetij meam obtestationem secundò, & cum tertio instarem, Divina Majestas adjecit: Nunc Anima, non expedit quod petis; videres enim ibi, unde vehementer affligereris. Post hæc Domini verba, accessit ad me Angelus meus Custos, dixitque mihi determinatè: Eja, Anima, obtempera, & fac quod iuberis: atque sine mora apprehendit meos humeros, meque elevavit, & reliqui mei Domini Angeli me celeriter, & cum modestissima sibi consueta decentia induerunt mysticis vestibus, sicut aliàs, duxeruntque ad celestem Jerosolymam. Dum eò petveni, & procubui in genua, ille Dominus, qui me vocaverat, dixit: Veni Sponsa Christi, & accipe coronam, quæ tibi est præparata ab æterno. Ego hæc verba audivi cum magna verecundia, quia uti toties aliàs dixi, nunquam sum ausa Deum compellare nomine Sponsi. Verùm cum executioni mandaretur, quod Ejus Majestas dixerat, imposuit meo capiti prægrandem auream, multisque pretiosis refulgentem lapidibus coronam. Quando mihi illam superponebat, dixi: Mi Domine, corona non datur, nisi post merita, & ego adhuc dego in vita mortali. Ipse mihi respondit: In mente mea jam sunt decreta omnia, nunc verò tibi ista corona dari potest pro ijs, quæ hæcenus fecisti, & sustinisti. Interea Dominus mandavit meo Angelo Custodi, ut auferret meam coronam,

coronam, ac servaret, quod fecit. Subito fui abrepta, & occupata somno spiritusli, ubi anima placidissimè & tranquillissimè requievit in suo Deo, cognoscens, quæ à Domino edocebatur, ipsdemq; sese oblectans. Hunc in modum constituta, audi vi suavissimam musicam vocum, quæ erat Angelorum concinentium Divinas laudes: quamvis autem illa esset interiori auditui animæ jucundissima, aliunde tamen mihi videbar desiderare, ut cessaret, quia me nonnihil abstraherebat à suavitate, quâ fruebar in contemplatione Divinæ Essentiæ. Ita aliquotusque perseverari, ignoro tamen quamdiu: sed scio, quòd dolens, velle

Deum, ut reducerer ad meum angelum, dixerim magno affectu Eiusdem Majestati: Mi Domine, relinque me hic, ne me restitutas exilio. quod aliquoties repetebam. Nihilominus Divina Majestas, consolando me, mandavit, ut reducerer. Obsequentes Sancti Angeli me duxerunt alio modo, seu viâ diversâ ab ea, quâ prius veneramus: quia me sustulerunt ad cœlum elevatam velut lineâ rectâ, deduxerunt verò per ambages & circuitus, donec me reperi in paupere meo cubicello. Benedictus sit DEUS ob suas misericordias.

Amen.

✠: (* *) :✠

CAPUT VI.

Incipit tractatio de heroico gradu perfectionis, quem hæc Virgo est assecuta.



Quilibet attentè perlegerit hæcenus dicta de profundis, à magno DEO nostro ac Domino factis in anima hujus suæ dilectæ Sponsæ, fundamentis, non mirabitur elegans virtutum ipsius ædificium tam altè assurrexisse, ut cœnseri debeat inter insignissima, quæ non solum præsentis, verum etiam præteriti sæculi, benigna & potens ejusdem Domini dextera, per merita amabilissimi Servatoris nostri, in sua Ecclesia, est architectata. Id satis apertè patet, ex omnium virtutum exercitio, quas nobis rigidissimè examinatas, Venerabilis Pater Ludovicus de Ponte, in prima hujus historia parte, enarrat. Continuata verò ea fuerunt, & creverunt postremis novem annis longæva ipsius, benèque impensa vita; atque pari procedebant passu Divina Majestatis demonstrationes, ex quibus intelligeret gradum perfectionis, in quo illam ex mera sua infinita bonitate constituerat, & ad quem jam inde ab æternitate ipsam prædestinaverat. Anno sexcentesimo vigesimo sexto, in Januario, inter ingentes afflictiones & dolores eam Deus dignatus est sequenti visione, quâ abundè probatur, de quo agimus. Sic inquit Virgo:

Die octavâ hujus mensis mihi serid dixit Dominus: Veni mecum, Anima, &

videbis solennitatè, quæ celebratur. Dicta sum à Domino ad cœlum, ubi ante omnia alia vidi meos parentes, & quatuor avos, quod spectaculum me summo afficit solatio. Vidi quoque nonnullas amicitas, & consanguineos, quos in hac vita novèram, nec non alios mihi ignotos. Omnes erant contentissimi: postremus autem procedebat meus Pater, gestans puellum in brachijs. Taliter obibant illud cœlum, donec pervenirent ad thronum Sanctissimæ Trinitatis, cujus supremæ Majestati & Celsitudini meus Parens egit gratias pro data sibi ea pupula, dedicavitq; illam ejusdem obsequio, supplicans ut ipsam susciperet velut suam. Divina Majestas percepit oblationem, & singularem monstrando complacentiam dedit puellæ suæ benedictionem, dicens: Ego illam mihi ab æterno elegi, volo ipsam esse meam, multique eandem conservabo. Docuit me Divina Majestas, me esse istam puellam. Ipsa sit benedictus.

Qualis verò fuerit gratiosa hæc electio, ad quantam hujus anima felicitatem, ad quam tam cesset gloriâ Dei, ostendit illi Divina Majestas vigesimâ Februarij, ejusdem anni, quod ipsa refert his verbis.

Veh-

Vehementer hoc die ardebam desiderio, quo assidue per Dei bonitatem feror, ad explendam in omnibus sanctissimam ipsius voluntatem. Conspexi tum personam Christi Servatoris nostri, qui ad me accedens, meumque brachium eo spiritualissimo modo apprehendens, quem alias retuli, duxit me secum ad cœlum. Nihil mihi videbar intueri aliud, quando perveni ad ea regia palatia, quam illum suavem aërem, quem solco appellare inauratum, ejus coloris, cujus est nubes illuminata à sole, & plena splendoribus. Inde me Ejus Majestas duxit ad alium locum altiorem, ubi erant profundissimæ aquæ, referentes speciem immensi maris. Navigabant illic multi in navibus vectorijs, associati Angelis. Erat mare tranquillum ac pacatissimum, & qui ijs vehebantur erant letissimi atque jucundissimi. Trajecit me Dominus ad alterum litus, non navi, sed sustentatam suâ virtute. Mox me tulit ad altum montem, ubi etiam erat ingens turba, fruentium multorum aliorum Angelorum societate: omnes exultabant, magnūque præ se ferebant solatium. Inde fui ab iplo ducta ad alium locum altiorem, ubi vidi Beatissimam Trinitatem, quæ me blandissimè, & cum singulari amoris exhibitione suscepit, interrogando me: Quid est hoc, Anima? quis te huc perduxit? quid quaeris? Ego quasi obstupui, meque ipsam intuita vidi, quod gererem habitum peregrinæ, habens meam penulam, & scipionem viatorium, statimque dixi: Domine, sum peregrina, sum mendica, & venio, ut à te petam elemosynam: da mihi illam, mi Domine. Quam libentissimè, dixit Divina Majestas, accipe ex istis pretiosis gemmis in hac mensâ, quascunque volueris. Conjeci oculos ad locum à Domino designatum, conspexique mensam præstantissimis plenam gemmis, & pretiosissimis lapidibus, significantibus varia magni illius Domini dona, quale est donum prophetiæ, donum miraculorum, donum linguarum, & alia hujusmodi. Inter illa erat donum conformitatis cum Divina voluntate, ad eam in omnibus exequendam. Hoc viso exarsi illius desiderio, & acsi reli-

qua non essent tam admiranda, huic soli affectum addixi, manumque applicui. Vix illud apprehendi, quando ex eo Triuno DEO pulcherrimi prodierunt radij lucis, qui, occupatis & illustratis omnibus meis sensibus & potentijs, me totam penetraverunt, adeo ut suavissimè animam meam, oblectando, me quodammodo transformaverint in ipsum Deum. Videns me ita constitutam, dixi: Quid est hoc, mi Deus? quid agis? Qualis est ista tua munificentia? Dominus respondit: Anima, noli mirari: non enim est multum, quod me tibi totum donem, quando tu mihi das, quid quid habes, nihilque præter me quartis, atque ut mea voluntas impleatur.

Hæc Dei misericordia fuit maxima, videbaturque mihi me ipsam non capere, & penitus quodammodo excessisse hæc vitâ mortali, atque dicebam intra me: Jam tandem istâ vice hic permanebo, neque enim reverti sciam. Verùm Divina Majestas, quæ penetrabat meam cogitationem, tum dixit: Anima, qui te adduxit, etiam reducet, monstrabitque tibi viam. Animadvertendum est, eo tempore, quo versabar cum Sanctissima Trinitate, agens ea, quæ retuli, Sacratissimam Humanitatem Christi Domini nostri sese mihi occultavisse, ut eam non viderim. Cognoscebam autem, quomodo immensus ille & omnipotens DEUS beatos reddat Spiritus, & sanctas coram se assistentes Animas, ac dicebam. Volo id bene contemplari, & qualia hæc sint sublimissima hæc mysteria, ut aliquid de ijs loqui possim. Eodem momento conspexi secundò Christum Dominum, qui mihi dixit: Revertamur, Anima, veni ad tuum locum. Voluissem equidem ibi manere, sed Ejus Majestas mihi respondit: Necdum est tempus, veni mecum. Descendimus itaque ex prædicto monte, ubi erat illa hominum summo affluentium solatio turba, dixitque mihi Ipsius Majestas: Ecce, non semper in vita mortali meos Justos tribulationis igne exerceo; etiâ illis concedo delicias, & oblectamenta, quibus perfruuntur conversando cum Angelis. Ingressi sumus deinde illud mare, quod vidi pacatum, & navigantes læ-

tos, sicut antea: sed subito fuit horribili tempestate turbatum. Periclitabantur, qui mare pertransibant, evadebant tamen periculum. Et Dominus mihi dixit: Animadvertite, in vitæ mortalis mari omnia reperuntur, malitiæ & tempestates; sed qui est mecum, & in me confidendo navigat, non peribit. Descendimus tandem usque ad meum angulum, ubi mihi magnus iste Dominus dixit: Nunc, Anima, vale; ego non abeo, quia tecum maneo. Ita disparuit, me profusè à sensibus abalienatâ, donec mihi integrè sum reddita. Volui postea aliquid referre de modo, quo Deus in cælo Sanctos reddit beatos: verùm nec invenio verba, neque mihi id fuit possibile. Benedictus sit in omnem aternitatem.

Non videtur potuisse magis genuinè explicari perfectio, ad quam hæc felix anima pervenit, quam dum ipsi Deus dixit, quòd sese totum illi communicet, quia ipsa in omnibus studeat propagandæ ejusdem Domini gloria, & implendæ sanctissimæ ipsius voluntati. Idem comprobatur eo, quòd illi evenit decimâ octavâ Maj, anno sexcentesimo vigesimo sexto, postquam ab hoc Domino, in proximorum commodum, ducta fuit ad remotissimas provincias (qua de re alibi agemus) atque illa sic describit.

Vocavit me Dominus ac dixit: Veni, Anima, & quiesces, quia te fatigavi, circumducendo per ista maria, & has regiones. Ducta sum ad cælestem Jerosolimâ, ubi me coram Beatissima Trinitate constitutam, Sancti Angeli cum ingenti gaudio exceperunt. Circumdabant illum Divinum thronum, agebantque ita mecum illi Angeli, sicut agi solet cum puerulo, dum aliquò adducitur, ubi sunt multæ matronæ congregatæ, quarum singulæ illum arripiunt, eique blandiuntur, & indicia exhibent amoris. Assedi coram eo magno Deo, vehementer erubescens. Interim ij Sancti Angeli se invicem percontabantur: Quæ est ista, cui D E U S tantam præstat gratiam, & se usque adeo communicat? Ego me converti ad viciniore, dixique illis: Dicite, esse malam Christianam. Ipsi interrogaverunt Dominum Majestatis: Quare, Domine, es tam multa largitus huic

creaturæ? Dominus autem respondit: Quia volui, & quia in omnibus suis operibus, verbis, & cogitationibus, semper studuit se conformare meo beneplacito, & exequi meam voluntatem, ideoque illi tradidi clavim meorum thesaurorum, & ipsius arbitrio commisi pacem ac bellum: illa verò omnia faciet secundum meam voluntatem, & inspirationes ac motiones, quibus à me in omnibus dirigetur. Ego hæc verba, quæ meus Deus loquebatur, audiebam velut attonita, & ajebam: Domine, quis adhibebit fidem tuis dictis? Et respondit cum summa majestate: Non poterit rationabiliter ijs denegare fidem, quisquis crediderit, me esse bonum atque omnipotentem, & judicia mea esse iusta, viasque meas & semitas occultissimas. Hæc à Deo prolatis, fui ducta à Sanctis Angelis ad valde altum locum illius cæli, ubi me adverti gerere coronâ in capite, & in dextera manu sagittam. Sentiebam unâ, me quodammodo irasci, volebamque illâ impetere quandam personam. Interim ad me ascendit quidam Sanctus Angelus, & perhumanè sagittam è mea manu sustulit, eisque loco mihi dedit ramusculum olivæ. Descendit postea, deposuitque sagittam ad pedes Dei. Fui subito ducta deorum, & ad eosdem Divinos pedes collocavi ramum. Tum Sacratissima Persona JESU Christi Domini nostri mihi spectanda præbuit vulnera suorum sanctissimorum pedum, qui mihi etiam dignatus est dare facultatem, ut unum pedem oscularer. Deinde sum abrepta in ecstasim, & restituta mihi, reperi me in meo angulo. Ipse sit benedictus, Amen.

Rara proculdubio fuit perfectio, quâ hæc famula Dei promeruit esse thesauraria Divinæ Majestatis, suisque precibus agere arbitratum in eventibus pacis & belli suorum temporum. Quantum hac in re profuerit nostris Regibus, etiâque exteris Catholicis, dictum est in prima parte, & in hac alibi multa referuntur. Idem spectat sagitta vindictæ, quam ex parte Divinæ Justitiæ spirando, dum videretur profuturâ penas, subito se moveri sentiebat ad affectus Clementiæ, quam ijs imperabat, quibus Deus irascebatur. Verum profugam gratiam

gradus perfectionis, quos ipsi DEUS alia vice symbolicè manifestavit, septimâ Decembris, An. sexcentesimo vigesimo septimo, ubi sic ait.

Intra eram orationi, & vacabam consueto exercitio, considerans meam vilitatem, quando me Dominus vocavit, dicens: Veni, Anima, conscende has scalas. Restiti, sicut alias (dum id mihi conceditur) sed cum nihil proficerem, disposui me ad obtemperandum Divinæ Majestati, volensque conscendere scalas, quas juxta me videbam, conspexi circa illam multos canes, qui licet essent parvi, magnam nihilominus præ se ferebant oculis & dentibus ferociam. Timui, sed accessit ad me quidam Angelus Dei, dixitque: Noli timere, Anima, nec enim est cur timeas; & atrepit utraque meâ manu, converso ad scalas dorso, & vultu ad me, perduxit me usque ad illarum summitatem, ubi, dum cæli aperirentur, me illuc introduxit, dicendo: Intra in gaudia Domini tui. Ingressa sum eam cœlestem civitatem, & contemplata fui illius gaudia, quæ erant ipsemet Deus, æquidémque omnipotentia, immensitas, & reliqua attributa, ac perfectiones Divinæ. Circumdedit me derepente virtute suâ Dominus, conclusitque intra se ipsam, dicendo mihi: Anima, ingredere gazophylacium meorum thesaurorum. Ibi mihi Dominus ostendit, quæ referre nesciam. Inter alia tamen vidi quosdam quasi soles pulcherrimos & lucidissimos, qui revera erant Divini thesauri; in quibus mihi distinctius representabantur Divinæ perfectiones, ac si eas singillatim intueret. Contemplabatur hos thesauros mea anima cum magna admiratione & voluptate. Videns me Dominus ita constitutam, dixit mihi: Anima, accipe aliquod cimelium istius gazophylacii, qualecunque ex his volueris. Ego, uti semper me ipsam reformido, ac desidero non deviare à Divinis veritatibus, respondi: Domine, volo lumen; & absque mora comprehendere unum ex istis solibus, à quo ita fui irradiata, ut tam intèrni, quam forinsecus tota repleter lumine. Consideravi deinde cætera omnia, quæ erant in beato illo domicilio, & vidi in quadam imagine maximas ac elegantissimas literas, atque in quovis lineæ sine

grande punctum. Non intelligebam illas, sed neque sciebam legere: cum autem mihi exponerentur, vidi in ipsis expressam universam vitam meam, & status, quos eâ durante anima mea habuerat, qualiterque ab uno fuctim progressa ad alium, ac etiam inde deciderim, & quomodo per Divinam bonitatem post eos lapsus ascenderim altius; quasi idcirco descendissem, ut ascenderem. Videns verò tot charitatis & misericordiæ Divinæ effectus, dixi Deo: Domine ista tu mecum egisti: sed non exprimitur hic, quid ego fecerim, non sunt enim hic mea peccata, nec mea ingratitude, neque quam malè tuis beneficijs & misericordijs usa fuerim, quamque parum ex ijs sciverim proficere. Dominus tacebat, & cum instarem intetrogando, respondit. Hoc, Anima, jam præterijt, & quando peccator agit penitentiam, non men in ultrâ ipsius peccatorum, neque ea amplius curo. Deinde me Divina Majestas secum univit arctissimâ unione amoris, quem mihi tantum exhibebat, ut me ipsam perdidderim, usquedum mihi restituta, me reperiri in meo angulo. Laudetur Deus in æternam, Amen.

Quamvis incertum sit, permissionem levium, multoque magis gravium culparum, esse effectum Divinæ prædestinationis; Certissimum tamen est, Deum ex humanis lapsibus, qualecunque ij sint, consuevisse, ex mera sua bonitate, sumere occasionem provehendarum altius animarum, ut per penitentiam humiliiores resurgant & ferventiores, quam forent, si non cecidissent. Atque hoc tantum videtur velle hac Virgo significare, dum dicit, quod lapsus sua vita, & culpa (qua quidem fuerunt per exigua ac veniales) ipsi profuerint, ut altius ascenderet: & tenui meo judicio, hi parvi defectus significabantur ijs catellis, à quibus impediatur in ascensu scalarum. Ista namque licet minuta peccata, sufficiunt ad nos remorandos, ne ascendamus ad perfectionem, donec nos ab illis, ope Divinæ gratiæ, & adjuvante nostro Angelo, expediamus. Quam sublimis fuerit gradus perfectionis, quem hac Virgo conscendit, satis clare apparet ex arctissimo amoris vinculo, quo sibi illam Deus univit, postquam ipsi ostendit vias, quibus ascenderat.

CAPUT

CAPUT VII.

Quàm fidelis, & obsequentis socij munus spiritui suo præstiterit corpus hujus Virginis, ut progredere-
retur in perfectione.

Non minus pia, quàm vera est doctrina, efficacibus probata scripturae testimonijs à Sanctis Patribus, quâ instruimur, quòd, sicut in peccatoribus perfricta frontis spiritus induere videtur conditiones carnis, certòq. modo brutescere, ut idcirco miserabilis homo prorsus in statum degeneret effrenus jumenti: ita in Justis jam perfectam virtutem affectis, corpus (magis minufve, juxta virtutis gradum) adeò imbuatur affectibus spiritus, obsequaturq. tantopere rationi, ut videatur effici spirituale; quem in modum homo ita penitus subicitur suo Deo, ut caro tam procul absit ab impedienda anima in via perfectionis, ut potius illam suo modo videatur adjuvare, eique prodesse ad currendum expeditius. Divinam istam Philosophiam nos sublimissimè docuit hæc Virgo, haustam tum ex propria experientia, tum ex visionibus, quibus illam Deus dignatus est ipsi revelare. Unde in quadam charta, mense Septembri, Anno sexcentesimo vigesimo quarto, ita scripsit.

Quamvis carni sua insit lucta cum spiritu, & natura peccato infecta impediatur opera gratiæ, propter continuum pondus, quo à corpore, ejusdemque sensibus misera anima infestatur, ut ab amore & cupiditate rerum terrenarum deprimatur: interdum tamen, quando magnus DEUS noster & Dominus quampiam animam suæ dulcedinis prævenit benedictionibus, & gratiæ suæ donis exornat & corroborat, ipsam quoque naturam reddit spiritualem, atque inimitabilem providentiæ ac dexteritate, tantâ corpus jungit familiaritate spiritui, ut non auferendo suam naturæ nostræ conditionem, ita illam nihilominus videatur transformare, ut pro rata subjectionis, quâ naturalia subserviunt supernaturalibus, jâ quodammodo intelligatur corpus quasi conversum esse in spiritum. Sanè ferrum

non desinit esse quod est, quando penetratur, totumque occupatur ab igne; & nihilominus jam non apparet esse quod erat, sed transmutatû in naturam ignis, ipsellenteque præditum qualitatibus, quoad istæ se in tam diversis compatiuntur subjectis. In hoc fortunato statu non solum corpus non impedit spiritum, ut potius illi videatur prodesse, & præbere auxilium in agendo, sicut debilibus oculis profunt conspicienda ad facilius & clarius videndum, quod abque illis videre non possent. Hæc est felicitas istius status, qui tamen non facile obtinetur: quia præsupponit diuturnum & continuum seriæ in rebus omnibus omnibus mortificationis exercitium, assiduam, atque fidelissimam cum Deo consuetudinem & familiaritatem.

Id me quadam vice docuit Majestatemabilissimi Servatoris nostri: nam ducendo me ad pulcherrimû quoddam pratum, & gratiosissimis ornatum floribus, ibique mecum deambulando, mihi dixit: Vide, quàm sit speciosum & amœnum istud pratum. Hic mihi fuit datum interorum lumen, & cognovi, quòd, sicut illud pratum licet naturæ sit terrenæ, & ex terra progeneratum, spectatâ nihilominus pulchritudine, amœnitate, & jucunditate, apparet longè diversum, prorsusque perfectius terrâ, ita terrena nostra natura unita spiritui, qui diu servivit Deo, seque in multis & varijs omnigenarum virtutum exercitijs, non perdendo quod est ex semetipso, id tamen perdidisse videatur, seque propter unionem, & intimam cum spiritu unitam consuetudinem, adeò in ipsum transformavisse, ut jam non amet quidquam, aut aversetur in hoc mundo, præter id quod idè spiritus averfatur & amat. Deum in hæterem hujus veritatis cognitionem dignatus est me Dominus edocere, majorem

ac majorem in hoc eodem statu reperiri perfectionem, & corpus eò fieri similius spiritui, quò huic promptius infervit. Idcirco vidi, illud pratù detrepente à Divina Majestate fuisse conversù in puras & pellucidas aquas, similes purissimæ crystallo. Collatù mihi fuit novù lumen, & cognovi, quòd etiam illarum quoque materia sit terrea, eidem tamen terræ Deus potente suo brachio ejusmodi impertiverit accidentia, reddendo ipsam ita transparentem ac subilem, ut non jam terræ præ se ferret speciem, sed crystallo. Eundem in modum, post diuturnù virtutum exercitium, quò amplius anima corpus cum ejusdem potentij & sensibus subjicit ac subjugat, ut obsequatur spiritui, adeò sibi illud unit & consociat, ut non solum ab ipso non impediatur, vel retardetur in ullo opere spirituali, verùm etiam experiatur ita ad omnia expeditum, ut in eò statu dicere possit, conversatione ipsius esse in cælis, eò quòd nulli terrenæ rei inveniatur additum, imò ardentibus affectibus amet, absque ulla naturæ resistentia, tantummodo æterna, optetque uniri suo Deo.

Audivi tum dulcem Angelorum musicam, qui suavissimâ melodiâ canebant Divinas laudes. Inde me Dominus duxit ad cælum, suæque Divinæ Essentiæ perfectissimè univit, comitante inferiore parte animæ superiori, conferendo mihi altissimam cognitionem attributorum & perfectionum divinarum. Interea egressa (ut loqui solemus) ex arctissima illa unione, conspexi me totam, tum quoad superiorem, tum quoad inferiorem animæ partem, atq; tam supernaturalem, quam naturalem conditionem, potuique animadvertere, itum esse perfectissimam statum, in quo corpus non modò non remoratur animam in actionibus spiritualibus, sed certo modo, propter initam amicitiam, quâ sibi invicem junguntur, & perfectam obedienciam, quâ se corpus subjicit animæ, etiam pro sua capacitate fit particeps bonorum & gaudiorum spiritus, ita ut natura diceretur bonis spiritualibus, quæ in ipsam ab anima derivantur. Sicut, si quispiam Rex deponeret aureum vellus, quod ex

torque, pretiosis coruscante unionibus & gemmis, pendulum habuisset, atq; collocaret in aureo scrinio, possemus dicere, non solum novam accedere scrinio dignitatem, cum contineat tam pretiosum cimeterium, quod ex collo pependerit, & infederat pectori regio; verùm etiam posse amplius locupletari, si aliquis ex ijs unionibus & pretiosis lapidibus avelleretur, atq; in illud decideret: ita licet anima retineat omnia sua bona spiritualia, eâ tamen ratione, Deo dispensante, illa communicat naturæ plenè obsequenti & subjectæ spiritui, ut ipsam iisdem dicit, adeòque reddat bene affectam erga bona Divina, ut illa modo sibi competente sectari videatur, & amare, non aliter ac ipsemet spiritus. Has veritates, quas me Deus in ista visione docuit, sum ex mera ejusdem bonitate experta, in diversis meæ animæ statibus. Laudetur Deus.

Quò melius prædicta doctrina intelligatur, & magna hujus Animæ perfectio, cujus gratia à Deo obienta, tam obtemperantem habebant naturam, & cujus spiritus quasi ejusdem seculum effecit conditionis corpus; apponam hic aliud scriptum, in quo generatim exponit suum statum, sequenti anno sexcentesimo vigesimo quinto, sub illius finem. Proderit etiam ad intelligendum modum, quo in præcedentibus, ac deinceps referendis visionibus, ad cælum, aut aliò ducebatur.

Præsens meæ animæ status est is, quem exponam. Videtur magnus Deus noster ex sola sua infinita bonitate velle, ut magnæ gratiæ & misericordiæ, quas meæ animæ præstitit, deriventur in corpus, istudque eandem fiat particeps, & illis perfruat, quantum in hac vita mortali fieri potest. Nam videtur ab anima communicari corpori quædam virtus, à qua redditur spirituale, certòque modo ipsimet animæ conformatur, ut ita sibi mutuo sublimissimâ quadam familiaritate consocientur; utque non tantùm corpus non impediatur animam, quò minus consequatur dictas gratias, quin potius adjuvet, atque potentia & sensus corporis ita effecti spirituales gerant quasi vicem conspiciunt, ut anima melius fruatur suo Deo, videatque &

E

cogno-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

cognoscat ipsius veritates. Nunc, dum corpus maximè infirmatur & languet, anima sentit, sibi deesse ipsius auxilium, non tantùm propter morbum corporalem, qui plerumque suæ naturæ relictus impedit optimas animæ operationes, sed etiam quia, permittente id Deo, non succurrit animæ, ob suam debilitatem, eâ virtute, quam ab ipsa acceperat, sicut illi priùs consueverat opitulari. Quando id fit, anima est unita suo Deo, eique adhæret deliciando, & non progreditur ad alia majora, ad quæ progredere, si adjuvaretur à corpore; quod quidem remanet quodammodo æreum aut phantasticum, ita tamen, ut, favente Deo, peragat omnia opera humana. Hinc oritur, quòd, cum Deus, juxta Divinam suam dispositionem, & immentam bonitatem, me elevat ad majora, quæ pro sua qualitate debebant ac solebant efficere ecstases & raptus, ijs tum caream; imò corpus fit vivacius, utendo omnibus suis sensibus & potentijs, quod tamen minimè impedit illam animæ elevationem.

Similiter, quando me Deus ducit ad cœlestem Jerosolymam, aut aliò, vel ad maria, ubi his elapsis diebus erant tempestates, pugnae & exercitus infidelium, interdum feror solo spiritu, & sentio me remanere in meo loco; aliàs verò id non sentio, videorq; mihi tota abduci: & propter diversos effectus, quos in me operantur diversi modi harum profectiõnũ, quòsque manifestè experior, judico non aliter se rem habere, ac dico. Deus sit semper benedictus, Amen.

Multa hic essent dicenda, verùm talia, quæ docti, multòque melius q̄, qui illa sunt experti, facile intelligent: ideoque pro ipsis superflua foret explicatio, ceteris autem inutilis. Nunquam enim à nobis posset percipi. Unde nobis sufficiat, ut ista generatim & simpliciter intelligamus, nostraq; anima ex ijs proficiant, eliciendo inde humilem erubescenciam, quòd ea, quæ Deus communicat suis amicis, nostrum caput excedant.

Advertendum est, tam in his scriptis, quàm alys multis, ab hac Virgine per naturam, seu naturale intelligi solum id, quòd concernit

corpus, ejusdemque potentias, & sensus materiales, qui sunt organa & instrumenta, ut anima spiritualibus potentijs utendo operetur, à hac natura dicitur, fuisse illam, ex Dei gratia, jam dispositam, ut esset aptissimum spiritus instrumentum. Licet autem ista significatio, in qua sumitur natura, sit limitata (cum etiam id quòd est rationale, suas habet actiones naturales) in materijs tamen mysticis est perquam idonea, & usitata.

Etiamsi verò virtus heroica, & anima sanctæ consortium, divinà adjuvante gratiâ, consueverit corpus ad hanc felicem perducere conditionem, quantumvis refractaria sit natura & rebellis, licetque corpus à congenita suorum humorum complexione, & proprio temperamento, inclinetur ad vitia; observare præterea oportet, quòd suavis dispositio magis Dei nostri & Domini, qui omnia ad suos fines suaverter dirigit & fortiter, plerumque animadus, quas ad altissimum destinat pervenire perfectionis gradum, naturam bonam (quæ quidem singularis est gratia, quam nobis Christus Dominus promeruit, & pro qua Salomon gratias egit) atque docilem & accommodatam spiritui, quamprimum vitales incipiunt spirare auras, soleat impertiri. Talem Dei, erga hanc suam dilectam sponsam, fuisse providentiam insinuetur, dum post eximias aliquando obtentas à Deo gratias, à se enarratas, hanc addit celsulam.

His omnibus, quæ recensui, peractis, dicebam Domino: Mi Deus, quomodo mihi, etsi tam vilis creatura, & tanta sim peccatrix, tot tamque inusitatas præstas gratias? Dominus autem mihi respondit: Quando te creavi, contuli tibi naturalia, posteaq; etiam supernaturalia dona, apta ac directa ad præstandas tibi istas gratias. Et has jam inde ab æternitate mea tibi conferre decreveram, ideo solum quòd voluerim, fueritque meum beneplacitum. Hoc responso mea anima fuit commota, ut plurimum miraretur Dei bonitatem, & pro ea summas illi ageret gratias, qui sit in æternum benedictus,

Amen.

✠: (H) :✠

C.A.

CAPUT VIII.

Amabilissimus Servator noster Christus Dominus illi eo tempore revelat, se specialem ipsius fore instructorem.

Quemadmodum hæc Virgo plurimum, in singulari sua, ultimis his annis, perfectione profecit, prout ex præcedentis capituli, ad annum sexcentessimum vigesimum quartum, & sexcentessimum vigesimum quintum pertinentibus scriptis intelleximus: ita etiam divinæ gratiæ (quæ novem istis postremis annis exagquare videntur omnes, quibus per præteritos septuaginta fuerat cumulata) augebantur, dum se in dies magis Deus illi animæ communicabat, quam ad maximam suam gloriam, nostro seculo virtutum statuit exemplar, secutus autem divinarum gratiarum prodigium. Has inter gratias est specialissima, quam obtinuit sub medium Januarij, anni sexcentessimi vigesimi sexti: licet verò complures alias attingat materias, potissimum tamen spectat ad præsentem, dum de sublimi ipsius agimus perfectione. Ad hanc enim nihil magis illam invitabat, quam quòd sibi tum a magno Deo nostro, ac si tot sancti & docti viri in mundo viventes, totque jam vitæ sancti & beati, ac tandem tot cælestes Angeli, qui ipsi continuè assistebant, eamque instruebant, in specialem constitui videret instructorem ipsummet proprium filium Christum Jesum Servatorem nostrum. Mirabilem istam visionem his verbis describit.

Recollegi me agendo cum Deo, & eliciendo vehementissima desideria, atque ardentissimos affectus, ut me sanctissimæ ipsius conformarem voluntati, in omnibus meis operibus: præsertim verò petebam lumen, & cognitionem divinarum veritatum. Postquam autem alia quædam specialia cum ejusdem Majestate contulisset, contepsi Christum Dominum, delictum nostrum, in specie duodennis adolescentuli, comitantibus ipsum multis Angelis, qui illum adorabant, eique inserviebant. Incedebat summam præ se ferendo gravi-

tatem & amabilitatē, deambulans in quadam velut aula: circumspiciendo autem huc & illuc, demonstrans sollicitudinem, gravem sanctis suis manibus edidit gestum, dixitque: Non reperio, mi Pater, ullam creaturam, ullam personam, quæ mihi omnimodè sit apta, ut hujus Animæ necessitatibus prospiciat, eamque consoletur: non reperio, Pater mi, nec ullum possum exquirere. Dum hæc admiranda verba audirem, & judicarem, mihi nihil quoad id deesse, de quo Dominus loquebatur, & querebatur, atque omnia mihi in rebus tam spiritualibus, quam temporalibus abunde suppetere, obstupecebam, & recurrebam sæpius cum solitis meis timoribus ad magnum Deum nostrum, rogando illum, ut me illustraret, darètque mihi lumen, ad percipiendas suas veritates. Sanctissimus verò ille adolescentulus non cessabat prædicta verba iterare, & eosdem edere gestus cum summa majestate. Tandem vidi, quòd arcano modo ascenderit ad cælum, & prostratus coram suo æterno Patre eadem cum magna reverentia repetierit, indicans dolorem, ob non repletum id quod optabat. Divina Majestas est illum intuita cum singulari complacentia & amore, suamque ipsi impertiendo sanctissimam benedictionem, respondit: Bene dicis, Fili mi dilectissime, bene dicis. Et conversus ad me, dixit mihi: Veni jam huc, Anima mea, veni huc, & respice ad illum in meo cælo locum. Ego non potui tergiversari, & obtemperando conieci oculos ad eum locum, quem mihi Deus designabat. Vidi ibi gravissimam quandam personam, & intellexi, ipsam esse præditam sublimi spiritu, minimèque vulgari virtute, atque majestate & sapientiâ, nec tamen mihi manifestabatur, quisnam esset. Dum hærerem attonita, dixit mihi Divina Majestas: Anima, spectabilis hæc persona, quam

Vita Marin. de Escobar, Pars II.

E 2

quam

quam illic vides, erit tuus dux, tuusque instructor, & adiutor tuus in rebus omnibus, docebitque te omnes linguas.

Obstupescens, his auditis, respondi humiliter & verecundè: Mi Domine, tu es meus Deus, meus dux, mea lux, & meus Magister; quomodo me alteri vis committere? qua in te mea anima videbatur sentire difficultatem. Verùm idem Dominus Deus noster me est consolatus dicendo: Ita est, Anima, & erit, sicut dicis: modò autem non intelligis, quò collumem, sic tecum agendo, donec tibi id magis aperiam, ac declarem. Domine mi Deus, subjunxi ego, fiat in omnibus sanctissima tua voluntas. Dediti mihi tot Angelos, ex mera tua bonitate, uti scis: & hi mihi, divino tuo jussu, benefaciunt, me adjuvant, meosque tot jam annis agunt socios: necesse est hæc omnia non sufficere, eò quòd magna sit mea miseria, & indigentia. Sis benedictus propter opera tua, & misericordias, atque imperscrutabilia iudicia. Bene est, Anima, dixit Dominus: nihilominus animadvertite. Dum aliquis Rex habet filium Principem, & suorum hæredem regnorum, quem sicut se ipsum diligit, non est contentus, quòd illi constituat nutricem, in cuius sinu educetur, vel alios famulos, à quibus vestiatur ac induatur; alios, à quibus circumducatur per ambulacra, & recreetur, atque exhilaretur: præter hos enim ipsi assignat magistrum & magistram morum, cum hæc omnia competant majestati Regis, & Filij Principis, qui educatur. Et super hæc omnia ipsemet Rex temper assidue agit quasi superintendentem totius hujus familiz, sollicitus de filij educatione, atque cum paterna cura & amore invigilat, ut probe educatur, habeatque commoditatem, & quidquid facit ad eiusdem profectum. Sic igitur se suo modò habet, quod facio, talisque est providentia, quâ prospicio illis meis electis, in quos ex mea bonitate, jam inde à mea aternitate, oculos conieci.

Sermo iste Divinæ Majestatis me rapuit in admirationem, dum considerarem immentam illam charitatem, quâ curat, ut bene sit pauperculis creaturis: & inter

hæc quodammodo naturaliter verecundabar, ac reverebar decoram speciem illius, qui mihi designabatur in magistrum; quia existimabam, proculdubio esse supremum Angelorum, & prorsus eximijs præditum dotibus. Videbam ipsum tanquam indutum purissimo & excellentissimo spiritu omnium Religiosorum Ordinum, quos Deus habet in sua Ecclesia, & acsi quodam ineffabili modo omnibus ipsorum foret exornatus vestimentis, uniusque ipse esset omnium simul junctarum perfectionum capax, & quasi omnium scientiarum perfectissimè gnarus ac linguarum, ijs omnibus pariter sciret loqui, illatque docere, universa in quavis re, & qualibet veritate comprehendendo: ideoque absolutissimum posset agere Doctorem quarumcumque superiorum, spiritualium, & extraordinariorum materiarum, pollens insuper virtute ad corroborandos in ijs, quæ sunt naturalia & usitata, ac adjuvandos suos discipulos. Hæc omnia concipiebam (neque autem explicare, qualiter) de spiritu & proprietate hujus supremi Angeli, quia talem esse tunc arbitrabar, perseverando identidem in mea naturali verecundia, quâ retraherbar ab eo audiendo & alloquendo, quia ob illud mysterium eram quodammodo turbata & attonita.

Dum sic essem abalienata à sensibus, venit ad me quidam Sanctus Patriarcha cujusdam Religionis, jussitque me suo nomine quædam dicere nonnullis suis Religiosis, quos nominavit. Observavi etiam unum ab ipso fuisse inter viventes nominatum, qui jam fuerat mortuus. Commotus sum, & more meo extimui, an non paterer illusionem, dixique intra me: Quid est hoc? cum iste jam vitæ sit functus, quomodo, aut quare mihi à Sancto Patriarcha opus erat mandari, ut illum quoque alloquerer? Hærebam in eo dubio, semperque tamen in Deo meo confidebam, quòd me esset illuminaturus, prout semper ex sua misericordia facit, ut liberaret hac molestiâ. Tum ille supremus Angelus ad me accessit, mihique gravissimè & simul amabilissimè dixit: Anima, cur ageris? quæ est causa tuæ turbationis, dum

animo

animo revolvis, quâ ratione te is Sanctus Patriarcha iusserit alloqui illum jam mortuum Religiosum? Videtur tibi id mirum, quod tamen minimè est mirabile in vita spirituali? Non voluit tibi dicere sanctus, ut ea, quæ tibi commendavit, eodem modo nuntiaret mortuo, quo viventibus: sed his, quod illos admoneret, ut se emendent: defuncto autem, ac si ex eo quæret, quomodo sit constitutus ob culpas, quarum fuerat complex cum viventibus. Et verò ita se res habuit, quia mihi deinde anima illius defuncti apparuit, rogavitque me, ut ipsam commendarem Deo, siquidem graves pateretur penas ob illos ipsos defectus, quos Sanctus Patriarcha reprehendebat in viventibus. Hoc supremi Angeli (talem namq; ego esse putabam) dicto evasi doctior, unaque inde cepi solatium, dum animadverterem, Sanctum Patriarcham mihi significare voluisse, in quo versaretur statu defunctus. Postea intellexi à Deo, quod in hoc eventu permiserit meam animam turbati, ut mihi præberet occasionem audiendi supremi Angeli, & alloquendi, utque illi assuescerem. Nihilominus, etsi mihi mysticus iste Angelus non multò post, divinum pandendo mysterium, aliam explanaverit magnam difficultatem, cum ipsum necdum plenè agnoscerem, necdum etiam omnem perdebam metui junctam erubescerem.

Hunc in modum transegi propè quinque dies, quando matutino quodam tempore diei Dominica, quâ Divini Pueri perditæ recolebatur commemoratio, dum confueteris meis abrepta affectibus agerem cum DEO, postquam mihi cum ipso versanti quædam acciderunt plena mysterijs, de repente conspexi spectabilem illam miræ autoritatis personam, quam ego supremum Angelum appellabam, qui sedens in quadam admirabili sella me, magna cum majestate, & pari charitate, nullo tamen mihi dicto verbo, intuebatur. Subitò recurri ad Deum, quem cum ardenti desiderio, & vehementi conatu rogavi, ut me doceret, atque illuminaret ad agnoscendas suas veritates, quandoquidem nihil aliud amarem, ullòve prosequeretur affectu.

Interea, dum me abstraherem, & pro viribus vitarem aspectum illius supremi Angeli, vidi, non absque interna mei spiritus pugna (quia non poteram amplius reluctari) accedentes quosdam Angelos, & magnam cum observantia ac veneratione osculantes ipsius manum: deinde verò cum modestissima comitate illum exuentes vestibus ijs mysticis, quibus fuerat indutus, quæ mihi, sicut dixi, videbantur referre habitum omnium & singulorum Ordinum Religiosorum. Has autem exutas reponabant in grandi pelvi, quam suis quidam Angelus manibus tenebat. Dum exuerent ultimam vestem, quæ mihi apparebat candidior nive, vidi illum Dominum, quem hæcenus esse judicaveram supremum Angelum, & qui tam amabiliter fuerat personatus, esse Personam Christi Jesu Domini nostri, veri Dei & Hominis. Idem Dominus retinuit vestem regiam magnæ Majestatis, & resplenduit divinis radijs instar solis, habuitque in sacratissimo suo capite pretiosissimum diadema.

Agnito hoc Domino nostro, illustrata eo lumine, quod mihi ab ipsius benignitate communicabatur, abjeci me ad sacros ejusdem pedes, & cum magno meo gaudio atque solatio ipsum adoravi. Tum surgens Dominus ex ea priore sella, descendensque per paucos gradus, confedit mihi vicinior in alia æquè admirabili. Assistebant Majestati hujus Divini Regis plurimi alij Angeli, unà cum ijs, qui per ipsius misericordiam morantur in meo cubiculo: & ego adhuc manebam prostrata, atque propinquior illis divinis pedibus, nullum proferendo verbū. Ipse verò mihi amanter & benignè dixit: Anima, ego sum tuus Dominus, tuus dux, & tuus Magister; Ego sum ille, quem videbas quasi personatum, ut propterea obstupueris, fuerisque perplexa & attonita. Quod te modò oportet facere, & ego à te fieri volo, est, ut ad omnia respondeas, de quibus te proximi meo nomine interrogabunt, dicāsque illis, quidquid me velle, & cedere ad majorem meam gloriam, atque obsequium, intellexeris & sciveris. Loquere ipsis securè, ego enim tibi quavis hujusmodi occasione

semper adero, & illuminabo te, instruamque internè. Nunc vale, & quiesce in tuo Deo. Id dicendo impertitus est mihi suam sanctam benedictionem, & omnibus ijs Sanctis Angelis ibi præsentibus, abivitque Eiusdem Majestas, me obstupescente, & ob tam divina opera gaudente.

Deinde ab eodem Domino intellexi, illo adscito vestitu, representante habitum omnium Religiosorum Ordinum, quo Ipsius Majestas se spectandam exhibuerat, significatum fuisse, quòd in hoc Domino nostro sublimissimè existant, atq; ab ejusdem Divina virtute universæ omnium creaturarum perfectiones in summo gradu deriventur; quòdque admirabili eo modo, quo ostendebat se querere, & non invenire ullam creaturam perfectam, & quæ omnimodè foret idonea, ad habendam mei curam, mihi indicare voluerit, se solum esse perfectissimū doctorem omnium scientiarum, & infinitā præditum sapientiā ac potentiā, ad eas communicandas, seque velle meum agere ducem & instructorem. Dixit mihi præterea, me per eos dies fuisse ab ipso relictam perplexam & meticulosam, non agnoscentem, qualis foret ea Persona, quæ mihi novo modo assignabatur, ut me doceret, propterea quòd delectaretur, videndo interea meos affectus, atque

audiendo meos clamores, & suspiria ad Deum. Sicut Pater, qui, ut se filiolus recreet, videndo quid agat, & auscultando ejusdem querelas ac sermones, se simul lat alium & occultat; deinde verò postea personā ipsū attollit ad brachia, illique blandiendo, & amoris exhibendo indicia, se præbet agnoscendum, unde puerulus exhilaratur, & repletur solatio, tenerè suum Patrem amplectendo. Benedictus sit magnus hic Dominus in æternum, Amen.

Non explicuit hoc loco Sancta Virgo, quomodo oporteat intelligere, quid ve significare Deus voluerit, dum illi promisit, fore, ut Divinus iste instructor eam doceat omnes linguas, quæ id exposuerat in alio scripto, quod suo loco referemus: ubi ipsi Deus declaravit, donum linguarum, quod illi communicabat, esse spiritum nullis obnoxium erroribus, ut in diversis negotijs, variisque proximorum necessitatibus, qui ab ea peterent consilium, semper daret responsa vera, atq; tali loquelâ, modo, & ratione plurimum omnibus prodesset, secundum caput libet indigentiam. Quod quam fuerit exactè impletum, probat innumerorum hominum experientia, qui obsequentes consilijs & responsis hujus famule Dei, sunt adepti pacem in dubijs sui spiritus, & in negotijs conducentibus ad bonum spirituale non erraverunt.

CAPUT IX.

De purissimo, & ardentissimo, hujus animæ erga DEUM, amore.

Quandoquidem perfectio anima est connexa cum amore Dei, quin imò animam esse magis ac magis perfectam, non est aliud, quam esse magis magisque amantem Dei; nam quantum crescit regina omnium virtutum charitas, tantundem quoque crescunt cetera & proficiunt: recensebo sequentibus capitibus nonnulla rara prorsus exempla charitatis hujus virginis, & affectus amoris, quo ferebatur in Deum, unde possit intelligi altissimus istius virtutis gradus, quem, divinâ adjuvante gratiâ conscendit. Insinuavi nonnihil supra de sacro illo incen-

dio (quod sancti sobriam vocant ebrietatem amoris) quo hæc sponsa Christi sibi crepta, & quodammodo non satis rationis compos, ducta solum vehementiâ affectus, anhelabat ad quædam amabilißima adynata, ut ipsius verba magis viderentur efformata in ardore voluntatis, quam profecta à lumine intellectus. Non aliquid huc spectans addam, ut eadem veritas clarius percipiatur. Dicit porro in suo quodam scripto, vigesima octava Januarij, anno sexcentesimo vigesimo quinto.

Vacabam orationi vehementer cupens videre magnum nostrum DEUM, & eo frui, eliciendo tam amanter ardentem affectum.

Etus, ut inde quasi tota conflagrarem, & colliquerem; aliunde verò mea anima, avidissimè inhiaret scopo, quem inquiri. Dixi, quia me non poteram refrenare, Divinæ Majestati: Mi Deus, & mi Domine, quousque mei oblivisceris, & avertes vultum tuum à me? Dominus audivit meos clamores, responditque mihi benignissime: Cur id dicis, Anima, & cur ita loqueris? Quando sum ego tui oblitus, aut quando vultum meum à te averti? sed bene est, ebria es mei amore, quia te introduxi in cellam meorum cœlestium vinorum: mereris veniam, dic licet quidquid volueris.

Simili affectu anima ipsius ardebat vigesima Januarij, anno sexcentesimo vigesimo sexto, quando obtinuit à Christo Domino, summo nostro Bono, magnam gratiam, quam sic refert.

Exarserunt vehementes affectus in mea anima, feriâ quintâ, factò initio ab ardenti desiderio perfectè implendi in omnibus Dei voluntatem, ut nullum in ejus obsequio admitterem defectum. Augebantur tantopere, ut cor videretur è pectore exilire, & abrepta violento hujus desiderij impetu, clamavi ad Deum, postulando ipsius gratiam. Divina Majestas mihi respondit cum magna suavitate, & exhibitione amoris, dicendo: Quid vis, Anima, quid petis? quiesce. Tum ego illi dixi. Da mihi quidquid habes, omnia, omnia. Hoc taliter protuli, quia dum anima sic est constituta, lingua animæ magis regitur affectu, quàm ratione. Quod dicere volebam erat, ut mihi Divina Majestas præstaret gratiam implendæ suæ voluntatis in omnibus, & per omnia, utque misereretur sui populi Christiani, & eorum, quos illi soleo commendare. Divina Majestas pro sua immensa charitate ostendit, sibi placere, ut annueret meis precibus, & statim interrogavi: Mi Domine, quomodo id exqueris? responditque mihi: Ego id imprimam tuo cordi, ut, quod dixi, in eo conserves. Conspexi subitò duos Angelos, qui manibus utrinque tenebant parvam pelvim, in qua erat cor. Postea vidi Personam Christi Jesu, Domini nostri, qui se hætenus non exhibuerat spectandum, tenensque manu parvulum subtilissimum

calamum inscribebat cordi quasdam literas. Attendi sollicitè, ut viderem, quidnam scriberet, & vidi fuisse scriptum: *Fiet, quod desideras.* Considerabam eam manum Jesu Christi Domini nostri, & videbatur mihi esse diversissima à manibus, quas videre consuevi in Angelis, dum speciem assumunt corporis humani, aut quando illam assumit quæpiam ex reliquis Divinis Personis: continuò enim apparet, neque ambigi potest, eandem manum esse veram carnem, & manum veri hominis. Atque Dominus ita in illa venerabilissima Persona repræsentat Divinitatem & Humanitatem, ut ne vestigium quidem dubij animæ remaneat, illum Dominum verum esse Deum, & verum Hominem. Quod quidem tam clarè videt, adeòque firmiter ipsi infigitur, ut juraret, se id manifestè ac distinctè videre, neque aliter se rem habere, quàm asserat. Ibi adhæsi Domino repleta stupore, quo ita fui abrepta, ut, quando ad me redij, jam Eiusdem Majestas abiverit. Ipse sit benedictus in æternum.

Quod Virgo evenire dicit, ut durantibus his affectibus, cor abscedat, quamvis id cum summa fiat vehementia, non tamen fit cum inquietudine & confusione, qualem adferre solet ille amor, quem Patres mystici vocant sensibilem, quique sentiri solet initio, dum anima incipit mire supernaturalem viam unitivam: nam is, de quo hic Virgo loquitur, eò quòd operetur longè efficacius, occupat intima anime, èstque sine comparatione tanto nobilior, quanto secretior; & effectus, quos producere videtur in corpore, sunt jam alterius multò sublimioris, & planè ineffabilis rationis. Ipsum enim corpus, ut supra dictum est, videtur jam habere conditiones spiritus, & modo quodam mystico assimilationis cooperatur vivacissimis anima motibus, cum serenissima quadam inquietudine. Hoc potest ex scriptis istius Virginis colligi, quæ huic, & sequentibus inseram capitibus. Primum est tale.

Passa fui his diebus quasdam absentias Dei, & quamvis, per ipsius misericordiam, sim contenta, qualitercunque Divina Majestas mecum agat, quia sum resignata in ejus beneplacitum, nihilominus sunt molestæ. Conata sum me, animadvertendo

me

me esse afflictiſſimam, exercere in cogno-
cenda me ipſa, & magnitudine Dei, atque
in integra in divinam illius voluntatem re-
ſignatione, & amare ipſum ex toto corde
meo. Ex omnibus iſtis actibus, quos eli-
cueram, prorupi in vehementem quere-
lam, dixique: Ah mi Deus, & mea ſalus!
Ah mi Deus, & mea ſalus! Audivit me
Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, qui
à ſuo obitu mihi ſæpiſſimè adeſt, & dixit
mihi: Quid habes, Anima, cur lamenta-
ris? quid quæris? ſum infirma, reſpondi,
quæro meum Deum, meum medicum,
meam ſalutem. En adeſt, ajebat Sanctus
Pater, aperi oculos, & videbis illum. Aſpe-
xi oculis animæ, & vidi juxta me JESUM
Chriſtum Dominum noſtrum eo modo,
quo poſt ſuam reſurrectionem verſatus eſt
in terra, pretioſis ſuis inſignitum vulneri-
bus in pedibus, manibus, & latere. Tum
mihi Ejuſdem Majeſtas dixit: Accede,
Anima: hic enim reperies, quod quæris.
Acceſſi ad Dominum, & ſubito me inveni
quali immerſam in ea divina vulnera, fuit-
que ab iſdem meæ animæ communicata
quædam divina virtus, quâ ſum conforta-
ta & recreata. Ita ibi permanſi diu abrepta,
oblectando me ijs divinis bonis, quæ
mihi à vulneribus Domini comunicaban-
tur. Expergeſacta ex hoc raptu adeo intimi-
mè amore Dei flagrabam, ut exiſtimarem
me cor habuiſſe diſciſſum, & ex illo pro-
fluxiſſe rivus ſanguinis, cum vehementi
meo dolore, & acri ſenſu. Acceſſit tum
ad me quidam Sanctus Angelus, & vaſe,
quod adſerebat, excepit ſanguinem, quem
cor meum profundebat, eoque excepto
oſtendebat vaſ plenum alijs Sanctis An-
gelis, qui illum contemplantur cum ad-
miratione & veneratione. Avolavit de-
repente Sanctus iſ Angelus ad cælum, &
præſentando illud vaſ Beatiffimæ Trinitati,
dixit: Domine Majeſtatis, vides hic
iſtud vaſ ſanguinis, quem tua creatura ex
corde ſuo effudit, cum ingenti dolore, te
ſolum amando, ac deſiderando: Dominus
eſt intuitus ſanguinem, juſſitque ipſum de-
ferri ad theſaurum Eccleſiæ. Mox Angeli
cæli incolæ, unà cum meis Dominis An-
gelis, cœperunt eximiâ melodiâ, & cœle-

ſti muſicâ canere: *Cantate Domino Cantu-
cum novum, quia mirabilia fecit.* Finito
cantu me reperi in meo angulo, ut antea.
Benedictus ſit Deus.

*Semper dignus eſt magnus Deus noſter &
Dominus cantu, & laudibus ſuorum Ange-
lorum, que ſemper magnitudine ipſius erant
inferiores, quibuſcumque illum extulerint: ni-
hilominus in admirandis eventibus, qualiſ eſt
iſte, Angeli exultantes, dum vident, quam ve-
nerè Deus amet animam, & hac fideliter ſua
Deo reſpondeat, videntur nova exoptare ca-
ſtica, ad id celebrandum; etiâq; interdum,
noſtra ſe accommodantes ruſticitati, compa-
nunt verſus, ut oblectent animam, ac depra-
dicent ſuum Dominum, quod hæc ſponſa Chri-
ſti refert aliâ occaſione, ubi ſic ait:*

Quancquã diuturna mea infirmitas ſem-
per ſit ſeraciſſima dolorum, ſubinde tamen
ſunt notabiles eorundè acceſſiones. Dum
autem natura eſet oppreſſiſſima acerbis
cruciatibus, atque unâ ſpiritus vehementi-
bus, & inſolitſis occuparetur affectibus co-
gnitionis ſui ipſius, & intimis deſiderijs a-
mandi Dei, illique placendi, & ſuſcipiendi
in me neceſſitates ac arumnas meorum
proximorum, ut pro ipſis reſponderem,
Sancti Angeli, adhibitis muſicis, admirabi-
lis harmoniæ instrumentis, cecinerunt hæc
verſus:

Excellentiſſima Majeſtas,
Deus æternum colende,
Qui hanc puram creaturam
Transformaviſti ſtupendè.

Jam totum cor ejus flagrans
Non ceſſat unquam dolere,
Dum ſummis exoptat votis,
Tibi ſemper adherere.

Jam ſatidit univerſa,
Omnibus renuntiavit,
Sui penitus oblita
Spem in te omnem locavit
Tibi perpetim unita,
Et in ſinu tuo ſita.

Mala

Mala, quæ fiet, aliena,
Sua esse arbitratur,
Ad honorem quoque tuum
Cruce suâ se solatur.

Hoc ab Angelis cantari audivi. Deus sit
semper benedictus, Amen.

*Quorumcumq; similitum meminisse possum
versuum, seu latinorum, seu vulgarium, quos
in hujusmodi legitimis historiis compositos à
Sanctis Angelis, talem continent, veritati &
sublimitati sententiarum junctum, candorem
ac simplicitatem styli, tanquam eâ spiritus con-
cinnati puritate, quâ Sancti Apostoli & Ev-
angelistæ altissima Dei mysteria descriperunt.
Progrediamur in referenda magnitudine &
excellencia affectuum, quibus hæc Virgo ama-
bat suum Deum, & qualiter ipsi cor suum inte-
grè subjecerit. Tenerimus est modus, quo
ista veritas comprobatur in ea visione, quâ il-
lam fuerunt dignati Sanctus Petrus, & San-
ctus Joannes Baptista, anno sexcentesimo vi-
gesimo septimo. Id ipsa sic recenset.*

In Festo Sanctorum Apostolorum Petri
& Pauli, dum oppressa essem doloribus,
plurimumq; afflicta, dixit mihi S. Pater Lu-
dovicus de Ponte, quasi me reprehenden-
do: Anima, & creatura Dei, quid tibi est?
cur cruciaris, & affligeris? Esto bono ani-
mo, noli tristari. Dominus tibi vult grati-
ficari, quia hodie ad te mittet S. Petrum, &
S. Joannem, ut te invisant, & confortent.
Cui ego: Sancte Pater, quid dicam his
Sanctis, ubi venerint. Et Sanctus: Allo-
quere, inquit, illos more tuo. Non sic fiet,
Sancte Pater, aiebam, suggere mihi tu, quid
ipsis dicere debeam. S. Pater Ludovicus
mihi respondit: Pete ab illis salutem po-
puli Christiani, utq; rogent Deum, ne iras-
ceant: pro te verò postula, quod tibi vi-
debitur. Postea venerunt S. Petrus & S.
Joannes Baptista. Quia autem fueram
præmonita, non accidit mihi mira ea visi-
ratio. Ingressi, me salutaverunt, & S. Pe-
trus est nomine amborum locutus, dicen-
do: Anima, & creatura Dei, venimus ius-
su Divino, & nomine magni Dei ac Domi-
ni nostri, ad te visitandam, tibiq; nuntian-
dam, quod per nos significat, id est, ut in
Festo nostro à Deo petas, quidquid voluc-

ris: omnia enim tibi concedentur. Gra-
tias egi Deo pro tanto beneficio mihi ex-
hibito; reverita sum Sanctum, &, quam-
vis subtimidè, rogavi illos, dignarentur lo-
co mei intercedere apud Divinam Maje-
statem, ut misereatur populi Christiani,
largiendo ipsi salutem in rebus tempora-
libus, tam calamitolo tempore, colubeatq;
suam justam indignationem, conceptam
contra nostra peccata. Petij & alia pro me,
utq; Divina Majestas det lumen & gratiam
meis Confessarijs, ad assequendam in om-
nibus sanctissimam ipsius voluntatem, &
me pro gloria Dei dirigendam. In nomine
Domini, respondit S. Petrus, omnia tibi
conceduntur. Deinde addidit. Et tu, Ani-
ma, que habes, quod dones tuo Domino,
pro præstita tibi ista gratia. Da nobis ali-
quid, quod illi adferamus. Respondi ipsis;
Gloriosi Sancti, ego nihil habeo, quod ei
donem: sum pauper creatura, & quidquid
habeo est ipsius, jamq; illi donavi meam
animam, meam voluntatem, meum cor,
neq; aliud volo, quam quidquid Divina
Majestas de me statuere voluerit, atque ut
tota in eo amando & honorando consu-
mar. Bene dicis anima, subjunxit S. Petrus:
sed adverte, istud cor continet intra se ali-
ud cor, quod nobis dare potes. Obstupui,
dum id audirem dici. Sanctus autem rur-
sus dixit: Anima, dare Deo cor, est ipsi
dare voluntatem, & nihil aliud velle, quam
facere, quæ illi sunt grata, eidemq; placere,
& in omnibus rebus quærere majorè ipsius
gloriam & honorem. Verùm hæc omnia
sublimius & perfectius reperiuntur in su-
periore parte animæ: atque istud est cor
cordis, quod nobis potes dare, & hoc fe-
ret S. Præcursor Domini (quem indicavit
digito) magnus Baptista, qui puro Dei a-
more magis flagravit, quam ipsimet Sera-
phini. Postea mihi cœpit enarrare prorsus
eximias & admirandas laudes S. Baptistæ.
Cum S. Petrus cessavisset loqui, accessit ad
me S. Præcursor, & aperuit digito meum
cor, exemitq; inde aliud cor, quod in ma-
nibus Sancti cœpit resplendere instar stel-
læ, & digiti manûs, quâ illud tenebat, simi-
liter inceperunt coruscare. Hi duo Sancti
mihi valedixerunt, & S. Petrus, tanquam

Vita Mar. de Escob. Paris 11.

F

Ponti-

Pontifex, mihi dedit benedictionē. Quando pervenerunt ad cœlum, S. Joannes obtulit cor, quod adferebat, Beatissimæ Trinitati, dicendo: Domine Deus Majestatis, vides cor, quod tibi creatura tua offert in gratiarum actionem, pro exhibito sibi beneficio. Dominus idem cor aspexit, quod ipsi plurimum placuit, & servavit illud intra semetipsum. Benedicita sit miles Eiusdem Majestas. Amen, Amen.

Quod hic Princeps Apostolorum, dicit, dum ait, integram cordis Deo oblatis traditionem, sublimius & perfectius reperiri in superiore parte anime, atque istud esse cor cordis, videtur non esse intelligendum eum in modum,

quo Mystici distinguunt partem superiorem anime ab inferiore, sed quo à Theologis in anima designatur pars, seu portio inferior & superior. Quia vero anima, dum se Deo tradit, tanto melius operabitur, quanto motuum superioris partis fuerit nobilior, sincerior, & à proprio commodo defæciatius, etiãque ex eodem motivo, tanto erit perfectior amor, quanto fuerit ardentior affectus, presente majore lumine, fit, ut semper humano cordi, novum & excellentius remaneat cor, quod offeratur Deo, quo altius elevarit motuum, & sui amoris auferit affectum. Id ipsum melius intelligitur ex sequenti Capite.

CAPUT X.

De divinis sagittis, quibus cor hujus Virginis fuit confixum.



Hic Divinus amor suas habet sagittas, quibus purissima corda transfigit, sive ut quod res est dicam, solus ipse eas habet: ille namque, quas profanum vulgus sædo amori attribuit fuerunt deliria superstitionis, & inventiones demonis, qui in hujusmodi rebus cupit admiranda DEI opera imitari, ut ea reddat minus æstimabilia. Sacrarum autem amoris Divini sagittarum, & insulcorum per ipsas vulnerum, non exigua habetur notitia ex Divinis literis, & magna ex Sanctis Patribus, extantque præclara in vitis Sanctorum exempla. Ea, que nobis hujus generis isthæc Dei famula reliquit, sunt rarissima. Ex his nonnulla nunc referentur. Exordiar ab illo, quod est similis visioni, quam paulo ante, sub sinem præcedentis capitis, exposui. Sic ipsa ait.

Postquam plurimos, eòsq; varios & ferventissimos elicui affectus, quos Dominus intimè in mea anima excitavit, sic cæteros superabat, quo me in omnibus rebus volebam conformare divinæ voluntati. Eo impellente sæpe cum incredibili desiderio iterabam: Crea in me, mi Deus, cor novum, & quod placeat tuis oculis; infunde spiritum rectum & novum visceribus meis. Persevera-

bam diu in fervore horum affectuum, atq; subinde, cum natura propter illorum vehementiam esset fatigata, quiescebam tantulum in Deo meo. Dum ita quiescerem, augebatur lumen, & ob istud rursus commovebantur affectus intentioniores. Tunc mihi Divina Majestas dixit: Quid agis Anima? qualis est tantus iste tuorum affectuum impetus? Nonne tibi constat, me jam alias fecisse, quod modo postulas? Quâ ratione non recordaris, me, dum aliis mihi iisdem desiderijs molesta esses, mecum manu, ut te consolares, abstrulisse tuium cor, & aliquot diebus retinuisse, ita ut assereres tuo Confessario, te carere corde, quod ipsi quoq; pulsus arteriarum, opinionione Medicorum, indicabant; posteaquo illud renovatum suo loco reposuisse? Quomodo id non meministi? Ego admirans benignitatem Domini loquentis, statim sum recordata, ita omnino actum fuille, & respondi: Ita profusus est, mi Deus, licet dicis: verum videor mihi thesaurum, mihi tum ex mera tua bonitate collatum, & in dubio perdidisse, ac dilapidavisse. Quando verò, mi Deus, pretiosum ali quod thesaurum amittitur, necesse est cum humilitate, confidentia & amore ad divitem redire, &

quo fuerat donatum, ut aliud simile, & æquè bonum donet pauperi, qui illud perdidit. Quapropter ego indigna, mendica, & miserabilis venio ad te divitem, potentem, & infinità præditum bonitate, eandem petitionem, easdemque preces iterando. Dominus me audiebat gravissimo vultu, immensam spirante majestatem, & postquam aliquantum siluit, acsi aliquid, prout nos loqui consuevimus, consideraret, amanter mihi deinde & blandè dixit: Verè, Anima, vehementes sunt tui affectus & desideria, quæ benignis respicio oculis: libenter te solor, tibi que gratificor, ac proinde etiam nunc tibi cupio satisfacere. Sed adverte Anima: si tua petitio, pro tuo majore fructu & solatio, fuerit impleta, te ob id molestiam & dolorem naturalem perpessuram, quanquam non absque magno solatio, & commodo tuo; quin & proximum, quibus hæc mea misericordia innotescet.

Non est explicabilis modus, quo cum summa majestate, pariterque suavitate, Dominus hæc verba proferebat. Ego obstupui præter morem, & hæsi aliquamdiu absorpta in Deo. Paulò post ad me redij ex hoc raptu, & prostravi me coram eo magno Domino, dicendo quantà potui animi demissione & resignatione. Ecce, mi Domine, ancilla tua indigna, fiat mihi secundum sanctissimam voluntatem tuam: neque enim refugiam illam afflictionem & crucem, ut pro ea consequar tantam misericordiam, & beneficiù, quod à te petij. Hoc audito Dominus coniecit suos divinos oculos in quendam, qui mihi unus è superioribus Angelis, & singulari præditus esse majestate videbatur, cui gravissimo quodam nutu significavit, ut exequeretur iussa. Admirabilis ille Angelus (quem ego ob summam excellentiam in ipso agnitam, tunc vocavi Angelum magni consilij, quia arcanissimo modo, quem nescio explicare, meæ animæ repræsentabatur, quod esset Persona Jesu Christi Domini nostri) statim tendendo arcum, quem habebat in manibus, est ejaculatus in me ignitam, & non minùs ardentem, quàm fulgurantem

sagittam, quã aperuit meum pectus, transfixitque cor, cum acerbissimo naturæ dolore & cruciatu; qui tamen fuit temperatus dulcedine ac suavitate. Contemplatus sum meum cor, & vidi in eo exaratas tres parvas lineolas. In prima erat scriptum: *Hic*; in secunda: *habitat*; in tertia: *Jesus*. Referebat quoque cor colore & splendore speciem elegantissimi carbunculi. In ejusdem medio erat gratiosissimus parvulus infantulus, dormiens, & incumbens suo brachiolo. Magna me istud spectaculum affectu admiratione: quamvis enim idem antehac viderim, & quando me Dominus dignabatur solari sese manifestando, sæpe fuerim solita videre inscriptas meo cordi eas literas, ibidemque taliter dormientem Puerulum, quæ gratia diu continuabatur: quia tamen hæc jam ab aliquot diebus prorsus cessaverat, novo, & majore tum fui correpta stupore. Quocirca effervescentes ob hanc visionem, ac tenerescens, dixi: Quid hic agis mi Deus & Domine? quid agis? an dormis? Estne verò nunc tempus dormiendi, dum anima cum hostibus pugnat, & configit? Expergiscere dilectissime Domine, expergiscere, noli dormire. Si namq; Dux præsens exercitui dormiat, quid facient pauperes milites? Dicebam id summo cum affectu, & mox quasi ducta pœnitidine, imponens ori digitum, rursus cum eodem ardore aiebam: Dormi Domine mi, dormi mi Deus, dormi quàm auspiciatissimè; nemo te suscitet, sileant omnes creaturæ, neq; ullum edant strepitum: multum enim meâ interest, ut dormias. Absit, ut expergefactus aspicias abyssum mearum iniquitatum, justaque commotus irâ & indignatione me punias juxta meritum meorù peccatorum. Dormi, licet, mi Domine, ne mihi eveniat, si expergiscaris, quod jure meritissimo timeo.

His colloquijs & affectibus insumpsi multum temporis, tandè que profundè absorpta me univè Deo, & mihi reddita reperi me alio modo præsentem Divinæ Majestati in cœlesti Jerosolyma, atq; prostratum coram Beatissima Trinitate. Vidi autem illud meum cor in Divinis ipsius, modò Patris, modò Filij, modò Spiritus

Sancti manibus, & ab omnibus Divinis Personis diligi, amantèrque tractari, & illis placere. Videtur mihi cor etiamnum fuisse clausum, quia derepente adverti, quòd à Divina Majestate aperiretur, quasi vellet mysterium intra illud existens contemplari. Apparuit verò in eo ille Divinus Pulio jam expergefactus, cui Pater æternus, intuenso ipsum benignissimis oculis, dixit cum ineffabili amore & suavitate: Bene hic, mi dilectissime Fili moraris, bene hic mysticè manes. Gere curam huius cordis, quod tibi commisi, gratificare ipsi, meoque, & totius Trinitatis nomine, novum confer robur. Benedictus is Puer, & Dominus noster acceptavit mandatum sui Patris æterni, & promisit se id facturum. Subitò mihi visum est cor iterum occludi, ideòque non videbam ampliùs manentem intus Puellum. Kursus abalienata fui à sensibus, unita Domino Deo, totàmque me in illo perdidit, & evigilans ex hoc raptu, quem existimo fuisse diuturniorem prioribus, de quibus sum locuta, reperi me in meo angulo, sensique me jam habere cor suo loco restitutum: durante siquidem visione, dum illud contempler in manibus Beatissimæ Trinitatis, nescio quâ ratione, agnoscebam miserum corpus esse destitutum corde, & sentire ipsius absentiam.

Redux ad meum angulum, integrè mihi reddita animadvertēbam, & experiebar in meo corde novas gratias & prærogativas illi à Deo communicatas, plurimùm obstupescendo, dum expenderem, quæ tanto cum mysterio acta fuerant: imprimis autem animo revolvebam illum modum, quo se mihi Dominus exhibuerat dormientem. Sollicitabar, dicebàmque Domino in mea solita oratione: Quid est hoc mi DEUS, & mi Domine? quid est hoc? quid volueris indicare, quòd te mihi sic dormientem ostenderis? In hac sollicitudine, non percipiendo mysterium, transegi circiter horam. Quia tamen Divina Majestas, per infinitam suam misericordiam, me nunquam in his rebus relinquit dubiam, dixit mihi postea quàm benignissimè: Quid habes, Anima? quid te

affligit? Ecce, noveris, quòd, dum quæpiam Dominus, multorum possessor thésaurorum, aut Paterfamilias optimè curatum habet palatium, vel domum suam bene muris munitam, optimà instructam custodiã, non metuat latrones, vivat securissimus, seque ad capiendum formam conferat, ac dormiat sinè ulla cura. Pater dum Dux militaris optimè munitus habet suos portus, sua menia bene instructa militibus, & apparatu bellico, quietè suis horis dormit, & imperturbatè, quia non timet hostem. Id verò nec dives, neq; Dux faceret, si forent imparati: quæ potius vigilarent, noctèsq; ducerent insomnes, continuè excubando, & quæque latronibus servarent, & hostibus. Ita loquendo Anima, se habet mysterium, quod vidisti, hæc est ipsius significatio, unde me jam intellexeris. Esto bono animo, noli nimium metuere, & confide in me, quia te nunquam deseram, sicut tibi multoies dixi: quanquam semper habitura sis aliquem timorem, qui est signum, ut nòlibi à me tibi datum, quòd spiritus tui via sit vera & secura. Hæc est rerum actuum summa, quamvis omnia rudissimè recitaverim. Repleta fui maximo solatio auditis his postremis Dei verbis. Laudetur ab omnibus suis creaturis in æternum. Amen.

Gratia, qua illi fuit exemplum & invocatum cor, quo Dominus initio huius visionis aludit, continet præterea alia, quæ suam alibi obtinent locum, pro quo illa idcirco intalia reservo. Nunc maneamus in nostris scriptis. Quod hic de dolore dicitur & molestia, quæ ideo perpessa fuit natura, tam certum est, fieri in huiusmodi eventibus, quàm est arcanus modus, quo iste dolor excitatur, qui tantus interdum est, ut corpus infirmetur, manifestam subeundo periculum. Non est huius loci, disputare, quomodo id fiat: sufficiat interim advertita, quæ isthac legeris, sicut, Danielem his aggressisse, post duas visiones, quas habuit: longèque periculosiorem esse egritudinem & languorem, quando raptibus admixti sunt affectus ardens amoris (de quibus hic agimus) quod intelligi potest ex Sacris Interpretibus Canticularum secundo capite. Illud nota distri-

men manifeste apparebit ex eo, quod hæc Virgo refert, ipsique huc spectans evenit mense Octobri, Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, prout sequitur:

Postquam mihi Deus vehementia indidisset delideria, quibus exoptabam bonum & salutem animarum, præsertim verò conversionem Regni Angliæ, & residuæ, necdum ad fidem Catholicam reductæ Gallix, dum id magnis à Deo affectibus peterem, &c. Feriâ quartâ, secundâ Octobris, conspexi coram me crucem, habentem omnia brachia æqualia, & æquè latam ac longam, cujus brachiorum extremitatibus, non secundum latitudinem, sed longitudinem, affixa erant alia minora lignella. Averti oculos animæ, uti aliàs soleo, ab ista cruce, subterfugiens illius conspectum, mæque ab ea abstrahens, prout poteram, recurrendo ad præsentiam D E I: verùm ipsa semper durabat, donec me feriâ quintâ, horâ secundâ matutinâ Divina Majestas, consuetâ suâ suavitate, adegit ad eam aspiciendam, ut id non possem ampliùs evitare. Intuita igitur sum illam, & vidi, crucem esse quasi igneam & chalybeam, atq; in medio quatuor brachiorum quandam cuspidem instar sagittæ: post crucem autem quodammodo latebat absconditus Deus Dominus noster. Appropinquabat mihi Divina Majestas unâ cum cruce, in-
cutiente mihi eâ sagittâ majorem temper timorem: & accedens ad locum, in quo eram, affixit me eidem cruci, ita pectori meo inferendo sagittam, ut penetraret dorsum, ac dicendo: Vulneravi te sagittâ mei amoris. Disparuit, relinquens me affixam cruci, sicut dixi. Mox advenit Sanctus meus Angelus Custos, magnam exhibens vultu mæstitiam, & commiserationem, acsi ostenderet, se multum eo, quod acciderat, affligi. Mei quoq; Domini Angelus, qui mihi ordinariè assistunt, se è suis stationibus moverunt, & solliciti adven-
runt, quasi aliquid fuisset factum, magnam exigens curam. Omnes ad me accesserunt, mæque, quodam conopeo à se cooptam, derepentè sustulerunt ad cælum, & prostraverunt coram Beatissima Trinitate. Tum Sanctus meus Angelus Custos

provolutus in genua coram ea summa Majestate, eodem mæsto vultu, & velut illachrymans, dixit: Domine Majestatis, & Deus Omnipotens, en præsentio tibi hanc tuam creaturam, cujus vita jam est desperata, siquidem illam tuâ sagittâ adeò vulneravisti, ut nequeat vivere. Obsecro te Deus & Domine noster, per tuam bonitatem & misericordiam, ut nunc auxilio tuo adsis. His Angeli verbis Pater æternus clementissimè respondit, dicens, ita futurum, & effectum illius sagittæ attemperatum iri. Deinde se convertit ad Jesum Christum Dominum nostrum, nullo ipsi dicto verbo. Qui, acsi percepisset voluntatem Patris, ad me accessit, evulsitq; ex pectore, scaturiente cum impetu sanguine è vulnere, crucem & sagittam, quæ apparebat ignea & chalybea. Postea applicuit suas sacras manus, alteram dorso, ubi erant hiatus, quos fecerat sagitta, & quando eam amovit, quam applicuerat pectori, vidi ex pectore Patris æterni procedentem Divinum radium resplendentem, & præditum virtute confortandi, sanandi, ac vivificandi, qui feriens hiatus pectoris mei penetravit usque ad aperturam dorsî, refocillando me & confortando, tantumque mihi conferendo vigorem, ut novas recuperaverim vires, & ex debilitate, quam mihi vulnus sagittæ attulerat, convaluerim. His peractis dixit Divina Majestas meis Dominis Angelis, ut me suaviter reducerent ad meum angulum, quod factum est. Sequenti deinde mense Novembri, die S. Andrea, mihi Dominus dixit, illam formam crucis quatuor æqualium brachiorum, cum sagittâ (postquam mihi aliam magnam præstitit gratiam, eum in modum, quem nunc referam) fuisse figuram quinque vulnerum Christi Domini.

Dicto die S. Andrea, dum collecta versarer cum Deo, occurrit mæ memoriz difficultas, quam sum passa, in conscribendis ijs, quæ agebantur in mea anima, & quæ mihi Divina Majestas ex mera sua misericordia revelabat, eò quòd interdum non essem disposita, ad illa referenda meo Confessario, neque idoneam ullam habere personam, cui ea possem dictare. Id

mihî cogitanti, *Minimus* è quinque Sanctis Angelis, qui morantur in dextro latere mei cubiculi, dixit: Soror, ego scribam, quidquid scribendum erit. Vehementer mirabar hanc promptitudinem, & agebam: Nequaquam, mi Domine, nequaquam id fiet. Instat rursus dicendo, se habere, ubi dictata scriberet. Cumque ita concertarem, effluxit nonnihil temporis, quia id summo conatu detrectabam, quoadvisque me Deus, quemadmodum aliàs contuevit, suavi efficacîa compulit, ut verbis Angeli præberem assensum. Et postquam illi dixi, ut scriberet, dictavi ei epistolam ad Divinam Majestatem, quam mihi ipsemet Dominus conceptis verbis suggererat. Absolutâ epistolâ, quæ ab Angelo fuit scripta literis aureis & cæruleis, porrexit mihi chartam, ut illam scriberem. Ego quasi attonita tergiversabar: sed Sanctus Angelus apprehendit meam manum, fecitque ut eam scriberem. Expressâ epistolæ verba, & modus subscriptionis est ad literam, prout hic à me apponuntur.

Tam vehemens & flagrans est effectus amoris, qui ardet in mea anima, meumque cor exurit, postquam illud vulneravisti forti & potenti, atque efficaci cuspidè ferri & clayi tuæ quadripartitæ, & in extremitatibus decussatæ crucis, repræsentantis tuæ quinque vulnera, ut vivam moriendo, & vivendo moriar, utque mea anima te in Divina quadam caligine fruatur, & in te permaneat, perpetuò tibi unita.

† *Ancilla Jesu Marina.* †

Angelus subito complicuit chartam, & postquam ipsam singillatim reliquis quatuor Angelis porrexit, atque aliquid cum ijs contulit, quod ego non intellexi, ascendit ad conspectum Dei: ubi vidi, quòd se coram ea summa Majestate prostraverit,

tertioque chartam exosculatus illam tradiderit in Divinas ipsius manus. Suscepit Divina Majestas epistolam ex manu Angeli, quâ perfectâ dixit: Hæc Anima se subscribit ancillam Jesu, & ego sum illius Pater, atque Spiritus Sanctus ejusdem est Sponsus. Quibus dictis eam tradidit Spiritui Sancto, & spiritualissimo ac divino modo, in quadam subtilissima materia referente membranam candidiorem nive (erat enim quiddam præstantissimum, cui nihil in terra est comparabile), impellit ista ipsa verba, & sequentem hinc adjunctâ subscriptionem.

Accepi tuam epistolam; Anima, & exhilaratus sum tuis verbis, affectibus, animique tui expressionibus. Dolores tui convertentur in perpetua gaudia, & Divina tua caligo in lumen & claritatem æternâ, atque tua fruius, & unio cum Deo, in sempiternam ejusdem Dei possessionem.

IS QUI SUM.

Deinde cœlestem illam materiam, cui hoc responsum erat impressum tradidit Angelo, qui sese prosternendo, & epistolam hanc ter exosculando, sicut fecerat tradendo meam, abiit à conspectu Dei, venitque ad locum; in quo ego eram, ut ut ipsam mihi daret. Eram tota abrepta profundo, & reverentiæ pleno stupore, quòd viderem hos Divini amoris excelsus & affectus. Extimui autem amplius, & nullatenus fui ausa suscipere responsum, agnoscens me indignam, ut tam cœlestem rem attingerem. Quamvis autem Angelus instaret, ut responsum acceptarem, reluctabar, rogabamque ipsum, ut illud daret Sancto meo Angelo Custodi; quod fecit, & is acceptum servavit. Benedicte sit in æternum Divina Majestas propter suas misericordias, Amen.

CAPUT XI.

Continuatur idem Argumentum.

Insequissima sunt gratia, quas hac Anima mense Octobri & Novembri, Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto, est consecrata: Verum quia magnus Deus & Dominus noster amabilissime suarum gratiarum prodigus, si creatura se gratiam pro acceptis exhibeat, ac ad alias novas disponat, nullum statuit limitem in ijs praestandis; non destitit ab exhibendis ipsi majoribus huiusmodi beneficijs, efformando in eadem Virgine ardentem charitatis Aetnam, & caelestem divinorum suorum amorum fornacem. Hinc vigesima nona Decembris ejusdem anni, rursus ipsam vulneravit eo modo, qui ab illa refertur in quodam scripto sequentis tenoris.

Rogabam Deum die Dominicâ, vigesima nona hujus, inter tertiam & quartam matutinam, ardens desiderio & incensis affectibus, ut mederetur malis, quae comminabantur exorientia inter Principes Christianos bella; atque eodem desiderio compulsa mea anima exclamabat cum magna vehementia, invocando Deum, ajebatque: Ah mi Domine! Divina Majestas mihi respondit: Quid vis, Anima, quid petis? Erant haec desideria tanta, & adeo ferventes affectus, ad obtinendam istam à Deo misericordiam, ut existimem disrumpendum fuisse meum pectus, nisi mihi Eiusdem Majestas responderet. Respondit vero mihi bis, quamvis ego neutram vice quidquam ab eo petere sciverim: subito namque me occupabat quidem spiritualis formis, quo velut respirabam à mea afflictione, quiescendo in Deo. Tertio tandem ipsum invocans, dum mihi responderet, quid vellem, seque benevolam exhiberet ac benignum, quasi mihi non essem praesens (sicut mihi quandoque in huiusmodi occasionibus contingit) dixi: Volo Domine, ut mihi des omnia. His verbis, licet essent tam generalia, tantummodo significabam desiderium, quo tenebar, ut nulla anima periret, utque averteret mala, quae ex istis bellis metuuntur. Dominus mihi cum amabili gravitate respondit: Bene est. Et cum me sic toleraret, obdormivi quodammodo in ipso. Redij postea ad me,

& vidi oculis animae Jesum Christum Dominum nostrum crucifixum, & in cruce mortuum. Mea commotio orta ex isto conspectu fuit inusitata: quotiescunque enim taliter Majestatem Ejus conspicio, seu in cruce, seu in sepulchro, mea anima configitur dolore, atque si hic Dominus non attemperaret maestitiam & commiserationem, ad quam me comovet, proculdubio ea sufficeret ad me vitam privandam. Idcirco illi dixi: Mi Domine, estne jucundum istud festorum tempus conveniens, ut te ita spectandum exhibeas? Et avertendo oculos internos ab eo spectaculo, repetij meam orationem, rogans Deum, ut mihi daret lumen ad agnoscendas suas veritates, & implendam in omnibus suam sanctissimam voluntatem: hoc namque erat unicum desiderium meum. Perseveravi aliquamdiu in ista petitione, insistendo vehementibus desiderijs, donec me Divina Majestas adegit, ut rursus intuerer dulcissimum Dominum nostrum Christum cruci affixum.

Vidi igitur ex sacris vulneribus manuum, lateris, & pedum, stillantem sanguinem, id quod meam animam permovit ad ingentem teneritudinem & commiserationem: Animadverti autem prodeuntes quoque ex ipsis radiis velut aureos, cum in modum, quo spectantur in ardente candela, dum visus corporeus est imbecillis; atque observavi, eos radiis remanere in spatio intermedio, quin ad me pertingerent. Extimui ob hanc novitatem, iterumque supplex à Deo petij, ne me sineret decipi. Subito radij manuum, qui coaerant quasi ex auro, sanguine, & luce, ad me appropinquabant, cumque mihi essent vicinissimi, conspexi in medio eorundem acutam cuspidem chalybeam. Natura timore percussa non defuit suo officio, & ego tota contremui. Utraque radiorum cuspis me vulneravit in palmis meorum manuum, atque recedentibus statim his radijs & cuspidibus, adfuerunt radij è latere & pedibus, qui idem praestiterunt in pedibus meis & latere, ita ut radius pedis dextri, in quo Christus Dominus habet vulnus, feriret non pedem meum dextrum, sed

sed sinistrum. Tum meus spiritus penetra-
tis his radijs, eosdem pertransivit, donec
ingrederetur in apertum illius Domini la-
tus, ubi sui intimè unita amabilissimo Ser-
vatori nostro. Durante hac unione me
Ejusdem Majestas duxit ad cælum, in cujus
limine, priusquam intrarem, vidi prodeun-
tem Beatissimam Trinitatem, quasi ad ex-
cipiendum Christum JESUM Dominum
nostrum, qui protulit hæc verba: Ecce
adduco illam mecum unitam. Atq; tum
mihi disparuit ea figura Christi crucifixi,
vidique ipsum in illa specie, in qua alias à
me conspici solet. Ibi me sibi univerunt
Divinæ tres Personæ, & illuminaverunt,
ut intelligerem illud altissimum myste-
rium, cognoscendo distinctionem Person-
arum, ac Divinæ naturæ unitatem, &
quomodo licet tres sint Personæ, non sit
tamen nisi unus Deus. Vidi deinde meam
animam ita sicut aliàs constitutam, velut
inmersam in eodem Deo, quanquam nunc
in longè superiore gradu. Fruita sum
juxta mensuram meæ exiguæ capacitatis
eo summo & supremo bono, quo ad usque
mihi restituta, me reperi in meo angulo.
Deus sit semper benedictus.

*Alij admirabiles modi, quibus Christus Do-
minus hanc magnam servam Dei participem
reddidit suorum, tametsi occulorum vulnere
fuerunt alibi relati. Nunc tantum agimus de
sagittis amoris, & quasi chalybe duratis cuspi-
dibus, quibus Deus pectus illud transfixit, in
quo nova in dies suscitabat amoris incendia,
quæ his annis, de quibus scribo, fuerunt fre-
quentissima. Recensui hujusmodi eventum
pertinentem ad annum millesimum sexcente-
simum vigesimum quartum. De anno subse-
quente sic loquitur.*

Contulit mihi Deus, ex sua bonitate in-
gens lumen, ad agnoscendos hostes animæ,
& obstacula impediencia profectum ipsius,
atque salutem. Ita excitavit in meo cor-
de vehementes affectus & ferventia desi-
deria, ad ea omnia superanda, & comple-
tendum solum Deum, ipsumque in rebus
omnibus quarendum. Conspexi dere-
pente Personam Spiritus Sancti, qui me,
exhibendo mihi specialia amoris indicia,
vocabat, & invitabat, ut tecum abirem.

Abivi, quia non potui resistere. Paulo post
ad me venit, quidam Sanctus Angelus,
singulari conspicuus modestiâ, ferens in
sua manu baculum instar pedi episcopalis
dixitque mihi: Anima, accipe hunc ba-
culum, quem tibi adorandâ Personâ Spiritus
Sancti mittit, ut eo non solum recreer-
tur tuus spiritus, sed etiam natura corrobo-
retur, & evadat validior ac vegetior, eoque
mihi tradito discessit. Erat baculus præ-
ditus eâ virtute, de qua Angelus fuerat lo-
cutus, & mea anima, prætereaque portio
naturalis illam bene est experta: cum enim
pestumdatas habuissem vires, statim me
fensi magis robustam, & vividam. Non
dixero, cujus materiæ fuerit is baculus, si-
quidem videbatur esse coopertus rotis, &
nâq; confectus ex pretiosis metallis, & o-
doriferis compositionibus. Interea sui pro-
pinquius adducta ad Divinam Majesta-
tem, & non vidi præter Sacrosanctam Per-
sonam Spiritus Sancti, qui me excepit cum
magna affabilitate, & exhibitione amoris,
mandavitq; ut sibi aliquid offerrem. Ego
illi obruli baculum, mihi ab Eisdem Ma-
jestate donatum, quem in meis manibus
tenebam. Acceptavit illum, valde sibi in-
co complacens, morèq; humano applica-
bat suo vultui, & oscificabat. Tum con-
spexi Divinam Personam Verbi æterni,
quæ me etiam, paria præbendo dilectionis
indicia, est allocuta, & dixit mihi, ut
quoque aliquid darem. Domine mi, ro-
bam, nihil habeo: sum enim pauperimus.
Si quidpiam haberem, quam libentissimè
tibi totum offerrem. Et ille benigne re-
pondit: Ergone mihi nihil dabis, qui tu
causâ sum factus Homo, & assumptâ na-
turâ humanâ, pro te redimenda dedi-
mum sanguinem ac vitam? Erubui, & re-
petij, quod antè dixeram. Imponere manum,
subjunxit Dominus, in tuum
sinum: invenies enim, quod mihi potius
donare. Imposui illam, & exemi quan-
dam quasi mediam lunam, seu aureum dis-
cema, quod obruli Domino, & ipse susce-
pit, magnam præ se ferendo complacen-
tiam. Postmodum se mihi manifestavit
Sanctissima Persona Patris, qui me acci-
pente, & meo spiritu, & meo spiritu
stringebat, ac Verbum æternum. Dico-
bat

Mari
de
Escobar
R.
10

bat magnus Dominus, ut sibi quidpiam darem, eò quòd ipse mihi dedisset suum Filium, ut pro me Homo fieret. Jussit me pariter inferere manum in sinum, ubi reperi aureum globulum, qui, licet fuerit exiguus, habebat tamen in se delineatum totum mundum, & omnia eo contenta.

Eo momento prodiverunt ex tribus Divinis Personis radij, instar sagittarum, quæ penetraverunt meam animam, & Dominus dixit: Vulneravi te meis fortibus, potentibus, & efficacibus sagittis. Passa sum deliquium, & sensi contractas naturæ vires, idèoque concidi in brachia meorum Dominorum Angelorum, qui mihi aderam, occupata à somno spirituali, quem sæpe exposui. Postquam ex eo ad me redij, reperi me in meo angulo, ubi mihi fuit indicatum, quòd baculus, & ipsius ornatus significaverint gratiã Spiritus Sancti, ejusdemque dona, per quæ præparat, confortat, & corroborat animam; Diadema verò, humanitatem Christi Domini, & illius merita, nec non redundantes ex ipsis in nos fructus; globus aureus, seu mundus in compendium redactus, Essentiam Dei omnia replentem, & Divina ipsius attributa, quibus universa gubernat. Illuminavit me quoque Deus, ut cognoscerem, quid ad honorem Divinæ Majestatis in singulis ijs oblationibus præstiterim, præfertim per affectum, quem habui, ut illi donarem totum mundum, si esset meus. Ipsum oro, ut convenienter serviverim, deincepsque serviam, & sit benedictus in æternum, Amen.

Violentior fuit sagitta amoris, quã illam idem Dominus sauciavit decimã nonã Januarij, Anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo: id quod ipsa his verbis recenset.

Feriã tertiã, decimã nonã hujus, dum ardentè desiderarem placere Deo, ipsumque ex intimo corde meo invocarem, vidi Beatissimam Trinitatem, ex qua procedebant maximi splendores: inter quos prodijt ardens sagitta, in cujus cuspide apparebat color quasi chalybis. Evibrata tendebat rectã ad meum cor, & ingressa pectus pertransivit illud usque ad dorsum, tanto cum dolore & cruciatu, ut etiam

natura fuerit notabiliter immutata. Passa illum fui toto eo die, & sequenti vehementer torquebar, extendentibus se quibusdam velut radijs per totum pectus, dorsum, & brachia, mihi que ingentem afferentibus molestiam; donec nocte subsequenti diei, qui erat sacer Sancto Sebastiano, vidi Majestatem JESU CHRISTI Domini nostri, alloquentis Sanctos quosdam Angelos sibi assistentes: dixit illis, ut supponerent suaviter meo capiti suas manus, in quibus quiescerem. Et derepente me, ignoro qualiter (neque enim vidi, quòd Sancti Angeli ad me accessissent) deprehendi esse vestitam, atque coram eo Domino, qui procul distabat ab eo loco, in quo ego fueram. Ibi me coram ipsius conspectu prostravi, & adoravi illum, statimque concidi tanquam mortua, sicut accidere solet patienti deliquium, & S. Angeli suppoluerunt capiti meo manus. In his tantillum quievi, usque dum Majestas JESU CHRISTI Domini nostri, surgens è sua sede, evulsit sagittam, quã transixu habebam pectus, tactoque meo capite me refocillavit & confortavit, ablatã acerbitate doloris, quem patiebar, quamvis aliquæ illius reliquæ superfuerint in manibus, & alijs corporis partibus. Ita aliquamdiu abalienata mansi à sensibus, donec desinente mysterio mihi fui restituta. Deus sit bened.

Etiam in morbis merè corporalibus, quemadmodum legimus in Evangelio, Christus Dominus interdum solebat quasi sensim reddere sanitatem, non ob defectum Omnipotentia, cum sit Homo-Deus; verum ut ex spatio temporis clarius agnosceretur beneficium, quo integra differebatur curatio, vel ob alia mysteria. Utraque ratio magis urget in curandis doloribus mysticis, de quibus hoc loco agimus. Ac proinde non est mirum, Divinum Medicum permisisse, ut hac Virgo aliquas pateretur præteriti doloris reliquias.

Advertendum est, ab his divinis sagittis dolori, quem adferunt, tantam quandoque admisceri suavitatem, ut anima agrè ferat, se ab eo dulcissimo dolore, & illã suavitatem, quã affligitur, liberari. Extant aliqua hujus rei exempla in libris mysticis, cujusmodi est, quod nunc sequenti capite videbimus.

Vita Mar. de Escob. Paris 11.

G

CAPUT

CAPUT XII.

Alij admirandi hujus generis eventus.



odem Anno, vigesimâ Aprilis, illam Deus rursus vulneravit sagittâ, qua multo magis fuit mystica, & visio specialiores habuit circumstantias, quam his verbis refert.

Postquam aliquantum respiravi ex gravibus doloribus, quos his diebus sum passus, agebam hodie horis matutinis cum Deo, qui mihi dixit: Anima, veni mecum, & quiesces. Audivi subito ingentem in cœlo strepitum, & vidi descendentes ex eo Angelos Dei binos, elegantissime ornatos. Ultimò procedebat currus quasi triumphalis, circumdatus à multis Angelis. Vehabatur illo quidam gloriosissimus adolescens, quem non agnovi. Currus à me distabat ultra ducentos passus. Angeli descendebant per gradus ex cœlo ad terram, & inde procedebant longo ordine usque ad meum angulum. Quando primi advenerunt eò, ubi ego eram, fuerunt officiosissime excepti à meo Angelo Custode, & reliquis ipsius socijs, qui ex Dei misericordia morantur in meo cubiculo. Tum Angelus meus Custos accessit ad me, cum cæteris socijs, à quibus mihi dictum fuit: Soror, Deus mandat, ut te eo curru vehamus ad cœlestem patriam, veni nobiscum. Quamvis autem ego, ob meos solitos timores, tergiverfarer, duxerunt me tamen, stipantibus utrumque meum latus ijs Sancti Angelis, & collocatam in curru e-
vexerunt.

Ibi animam quam dixi curru fuisse vectam, agnovi esse mei fratris, qui cum magna virtutis opinione obierat duodennis, qui me salutata dixit: soror, non noscitis me? scito, me esse tuum fratrem, plurimumque desideravisse, ut te viderem & cognoscerem, atque intelligerem magnas gratias, tibi à Deo præstitas, & spectare gloriam, quâ in hac etiam vita mortali interdum fruere, quod mihi Deus concessit. Nunc venio te avecturus, futurusque hodie tuus comes. Fui vehementer gavisa, videndo illum tam gloriosum. Vecti sumus usque ad portam cœli, cum eo comi-

tatu Angelorum ascendentium iisdem gradibus, per quos descenderant. Postquam illuc pervenimus, descendi ex curru, & mihi præsentata Beatissimæ Trinitati. Ibi demum statim audivi alium sonum, ac si terra commoveretur, atque grandinaret, ac pestreperet pluvia cœlestis: cadebant verò pretiosissimi lapides. Fui non nihil turbata, quasi timerem, & Sancti Angelis videbantur deridere meos timores. Coruscabant quoque radij divini ignis, qui incendebant illos cœlestes spiritus. Deus me suscepit magna cum affabilitate & amore, manifestando mihi mirabilia suæ Divinitatis & attributorum, quæ nequit ulla lingua explicare, ac intellectus absque eo lumine pervelligare. Dum his fruerer bonis, audivi alium tumultum tonitruorum cum fulgetris inter quos, & inter splendores Divini illius vultus magni Dei nostri, erupit igneus & lucidus radius, instar aureæ sagittæ, quæ vulnerato meo pectore pervasit cor, permeans usque ad dorsum, totamque me afflamma vit, ac penetrarar ab ipso Deo, qui illius videbatur specie obiectus. Proci di in pavementum ejus cœli quasi mortua, cum ingenti dolore & afflictione, quam etiam natura patiebatur: Interea verò Divina Majestas communicabat meæ animæ magnas sui spiritus notitias. Et observandum est, licet mihi Deus frequenter præstet has gratias, quandam nihilominus semper in modo harum visionum reperiri diversitatem & novitatem: semper enim anima edocetur de pluribus, quæ ab illa clariùs ac perfectius percipi, & cognosci videntur.

Angeli me ex eo arcano somno optabant suscitare, existimantes, me ibi exspiraturam. Sed Dominus illis dixit: nolite eam suscitare, sinite illam paulò diutius frui bonis æternis, quæ nunc possidet. Ipsi autem responderunt: Domine, metumus ne moriatur, atque hic remaneat. Relinquit illam nihilominus, subjunxit Dominus. Post aliquantum tempus, quod ignoro quomodo fuerit

longum, Dominus jis dixit: Modò ipsam suscitare, ac deducite ad suum angulum. Illi non fuerunt ausi, dicentes: Domine, expirabit. Tum ad me accessit JESUS Christus Dominus noster, exemitque eam sagittam. Quamquam autem ob illam sentiatur quidam non exiguus dolor, est nihilominus ejusmodi, ut molestum sit ipso carere, ideòq; amanter conquerens Deo, dixi: Mi Domine, quare me spoliastis beneficio, quod mihi contulisti? Divina Majestas respondit: Non, Anima, non spolio te illo, verùm sicut chirurgus applicatis unguentis medicinalibus & ligaminibus, suo tempore ea deponit postquam fuerunt operata, remanente in curato & sanato vulnere eorum effectu; ita jam in tua anima remanet bonus effectus hujus sagittæ. Deus, qui omnia novit, scit, quàm salutaris mihi tunc effectus fuerit communicatus. Quod ego dicere possum, est, ipsam naturam fuisse afflictam, neque modicam extitisse molestiam, ortam ex doloribus, quos deinde sequentibus diebus toleravi. Benedictus sit idem Dominus per omnem æternitatem. Amen.

Alia insuper Deus, ad augendum amorem animarum, quas ad tam excelsum evehit statum, utitur formâ radiorum, qui etsi non vulnerent instar sagittarum, accendunt tamen, & inflammant tantopere animam, ut ipsum quoque corpus inter dolores, quasi torreatur, parumque videatur abesse, ut resolvatur in cineres. Tales erant, quas hæc fortunata Virgo est experta anno sexcentesimo vigesimo octavo. De his ita ait.

Iussit me Dominus, ut post multos dolores, quos fueram perpessa, quiescerem, ire secum ad cælestem patriam. Ibi me reperi coram quodam quasi Divino fulgentissimo sole, qui emittebat pulcherrimos splendoris radios, atq; tales, ut, quocumque feriebant, inflammarent ac deleterent. Videbatur Divinus iste sol habere faciem quaquaversum respicientem, licetque esset unicus, complecti in se omnia. Incepi timere, & volui quodammodo me subtrahere ac abscondere, eò quòd misera mea natura non posset sustinere vehementem vim tam divinatorum radiorum.

Vua Marin. de Escobar, Pars II.

Ita metuenti quidam Sanctus Angelus dixit: Veni huc, Soror, constituam te in eo loco, unde hunc Divinum solem possis intueri modo tibi magis congruo. Quamvis autem verum sit, me mutavisse situm, radij tamen permanserunt, quales antea fuerant. Vulneravit me illis Divinus iste sol, & paulatim ad se pertractam secum univit, quasi me sibi incorporaret. Fui adeò accensa, ut ardor etiam ab ipsa natura sentiretur. Anima diu tanto beneficio fuit fructa, sed certum est, meum corpus non solum fuisse affectum dolore, verùm etiam quodammodo tostum & exustum.

Postridie, dum tempore meæ orationis essem magnopere afflictâ, gravésque sentirem dolores, dixit mihi quidam Sanctus Angelus imperativè: Veni mecum, Soror, & absque mora, non expectato meo responso, apprehendit meum brachium, duxitq; me ad cælum per quasdam, tamen gratas, nebulas. Ibi vidi, à Divina Majestate evibrari splendores luminis, & ignis divini, vehementis, urentis, & nihilominus suavissimis, qui pertingebat ad Beatos, ipsosque summa cum abundantia & voluptate replebat omnibus bonis, ita ut illis nihil penitus deesset: etiamsi verò ipsidem perpetuò fruereur, non afficiebantur tamen propterea nausæ, vel fatigabantur; imò videbantur quovis momento inchoare suam fruitionem. Interdum prodibant ex eodem hoc Domino divinæ quædam flammæ, à quibus correpti transformabantur in ipsum Deum. Hoc viso cepi timere, ne me iidem divini radij ferirent, sicut pridie, & incenderent, dixi: Eheu, Domine Angele, quorsum me duxisti? Extimui amplius, & exclamavi: Quid est hoc, Domine Angele? qui mihi respondit: Eja, Anima, tace, ne timeas, ne timeas. Interea erupit ex Deo vehemens ignis, qui me inflammavit, & in momento arctè univit eidem magno Deo, totam in ipsum transformatam: atq; dum ibi etiamnum dego & maneo, animadverto, me simul esse in meo angulo. Benedictus sit Deus propter mirabilia opera sua.

Vult dicere, quòd superior anima portio univisa, in ea altissima contemplatione, suo Deo, quo

quo ita fruitur, ac si jam quodammodo degeret in caelo, portio inferior hic in terra, sine ullo impedimento peragat, quæcumq; illi obveniunt, quasi tota anima foret experta ejus fruitionis, quâ ipsam naturaliter oporteret rapi in ecclâsim. Iste gradus est ex supremis, ad quem spiritus in hac vita pervenit, quæ de re jam alibi dictum est. Concludo hanc materiam, de his amoris radijs & sagittis, aliâ visione, quam recenset eodem anno sexcentesimo vigesimo octavo, vigesimâ quartâ Julij, ubi pariter apparebit, quid in superiore scripto significare voluerit dicendo, se a Sancto Angelo imperatorem, non expectato ipsius consensu, ductam fuisse ad caelum. Describitur ab ipsa sequentem in modum.

Feriâ secundâ, manè vigesimâ quartâ hujus, cum versarer in præsentia Dei, more meo consueto orans, allocuta me est Divina Majestas, dicendo: Veni, Anima, veni citò mecum. Et compellebat me tantopere, ut non potuerim resistere, quem admodum plerumq; his divinis gratijs relictor, quia cognosco meam indignitatem, & propendo ad viam utilitatem, planam, & securam, sitam in exercitio orationis, & virtutum. Fui igitur celeriter ducta ad cælestem Jerosolymam, & constituta coram Majestate Domini Dei nostri, qui me iussit considere seorsim in quadam sede, cujus memini in alijs scriptis. Ibi manli in eo genere contemplationis, quam frequenter consuevi vocare somnum spiritualem, propter pacem, dulcedinem, & quietem, quâ tum anima fruitur, abrepta, & quasi absorpta in Deo, conferente ipsi profundissimam & suavissimam cognitionem perfectionum suæ Divinæ Essentiæ. Fruita sum aliquamdiu isto gratioso somno, post quem ad me reversa, disponente ita tunc Deo, (licet enim bene advertatur, & sentiatur, animam abstrahi ab ea quiete ad alium modum intelligendi, interveniente representatione figurarum: nihilominus vix potest vel obiter explicari, quid sit, jam in tali raptu quasi dormire, jam quasi vigilare) notavi procedentes ex meo vultu & pectore quosdam lucidissimos radios, qui pertingentes ad pectus magni Dei & Domini, sedentis cum magna

majestate in suo regio throno, efformabantur in ipso globum splendens instar solis, quo sic efformato, & quodammodo libidem insculpto, radij ex me procedentes se se contrahebant, donec disparerent.

Deinde vidi, multos ex ijs Sanctis Angelis se prosternentes corâ eo divino throno, & adorantes Deum, qui suis alijs videri enim ipsos, quales hic depinguntur)angebant suam faciem, quasi venerarentur illius judicia, & faterentur, à se non comprehendendi magnitudinem admirandorum eisdem arcanorum. Tum ille Dominus surrexit, & more humano est emensus aliquot passus, habens illum globum lucis in pectore, qui incepit emittere scintillas, partimque fuit in eisdem resolutus, partim ascendit ad quandam immensam altitudinem, ubi quasi est immersus Divinæ Essentiæ & magnitudini. Ista contemplabatur ea sede, in qua fueram ab initio collocata: & quamvis ignorem, quâ ratione ibi permanerem (dum namque talia fiunt, anima nequit, absque singulari Dei dispensatione, cognoscere omnes circumstantias, libere eas expendendo) videbar mihi tota illic existere, & ac si mea anima foret avertita ab illa, quæ me vivificabat, & ab ea, quâ intelligebam id, quod mihi à Deo manifestabatur, ita mihi is globus lucis videbatur esse mea anima: neque dubito, hanc per illum fuisse representatam, & superiorum ejusdem partem mansisse in Deo: Nam Divina Majestas, ex sua misericordia, nulli eâ ratione dignata est significare, quod ipsam apud se retineat, satisfaciendo huic in modum meo desiderio, implendi in omnibus & per omnia Dei voluntatem, atque non aberrandi ab ipsius veritatibus: quod quidem istud videtur esse unicum, nullumque aliud in hac vita, meum desiderium.

Ut autem me magis redderet severam, cum sit adeo bonus & misericors, postquam ad me redij, retinui in eadem illa audientia desideria, ut tota essem DEI, & quàm convenientissimè illi servirem, placeremque in omnibus, emisit radium lucis instar sagittæ, cujus longitudo erat quasi spithamæ, eoque meum cor, ac si Divina

Maje

Majestas hoc modo ejusdem possessionem confirmaret, tantâ vi transfixit, ut etiam natura inde aliquem, in ea parte, sentiret dolorem. Hac me occasione converti ad Deum, tanquam optans, ne mecum ita ageret, eò quòd semper propendeam ad serviendum illi viâ planâ, exercendo virtutes, & interrogavi ipsum: Domine, cur mecum sic agis, & in tam vili creatura operaris res tam insolitas? Divina Majestas respondit: Quia volo; neque à me est exigenda alia ratio. Cùm tamen tuum desiderium amplius requirat, dico tibi, me id facere, quia te semper inveni obsequentem meâ voluntati, itâ ut mihi, aliquid à te petenti, nunquam repugnaveris. Hoc cum ingenti meâ refero verecundia. Fexit Deus, ut semper ipsius voluntatem impleam, & sit benedictus in aeternû. Amen.

Quod ista admirabilis, sponsa Christi dicit, esse videlicet inexplicabile, quomodo in hoc genere raptum anima, ex eo somno spiritali, ubi mere intellectuales, & nobiliores habentur notitia, expergescit, ut evigilans, aliquid cognoscat intervenientibus figuris, qua in re su-

um exequitur munus imaginatio, est communis Patrum sententia, agentium, tamen si alijs verbis, de hac materia. Causam oportet eam esse, quia ibi non fit, quod suo modo hic evenit, dum naturaliter dormimus, prout nonnemo posset cogitare, ut sicut hic in quieto & suavi somno, ubi nulla obstreperat cogitatio, vel sollicitudo, varia interdum excitantur imaginationes, & species bene coordinatae, quas appellamus somnia; ita in eo somno spirituali, & pacata anima serenitate, Deus representet per figuras quadam mysteria, adeo ut aliquâ ratione dici possit, animam quoque, durante illo somno mystico, somnare mystice. Revera enim non videtur esse apta comparatio: nam hic, dum somniatur, verè dormitur; ibi esset somnus spiritualis, illudq; genus tranquille fruitionis. Et videtur anima ex eo expergescit, ut attendat figuris, quas ipsi Deus exhibet. Licet autem quandoque, cum his imaginarijs figuris, unde datur notitia intellectuales, qua in voluntate excitant ingens gaudium; iste tamen orationis modus, cum hoc additamento, non est ille, quem sancti propriè vocant somnum spiritualis, de quò hic serva Dei loquitur.

CAPUT XIII.

Revelatur illi à Deo varijs modis, quòd sit confirmata in gratia.

Anta perfectio Amoris, quo hac benedicta Anima, serviens suo Deo, fuit pradita, abunde ostendebat, gratiam ipsius & sanctitatem non fuisse simulatam: Nihilominus, quia etiam justae nonnullae animae, quae vixisse fuerunt similibus gratiarum statum attingisse, propter sua tamen peccata, & ex imperscrutabili judicio Dei illa permittentis, aut amiserunt gratiam in perpetuum, ut se tandem deprehenderent esse damnatas, aut saltem aliquando, commisso quoque gravi scelere sese ad tempus ea viderunt spoliatas; idcirco clementissimus Deus voluit hanc sponsam (quam sciebat nihil metere vel millenorum inferiorum, per totam aeternitatem sustinenda supplicia, praesui, etiam ad unum momentum, separatione à Divina ipsius

Majestate) reddere securam, revelando illi, quòd ipsam confirmaverit in sua gratia, ne illum unquam graviter offenderet. Hunc à Deo favorem varijs modis obtinuit: inprimis dum ad eam misit schedam, duodecimâ Decembris, Anno sexcentesimo vigesimo quarto, quod refert his verbis.

Istis diebus frequentissimè visitor à Sancto Patre Ludovico de Ponte, qui mihi dicit, meque docet multa de Deo, magnum adferentia solatium. Duodecimâ verò Decembris illum conspexi juxta me, cum adferret quandam chartam, quam coram me cepit legere, sicut facere consueverat, quando vivebat. Perlectam tradidit uni ex meis Dominis Angelis, ut eam mihi daret. Suscepit illam cum magna reverentia, & osculatus est: sed ego ipsam non

non sum ausa acceptare, ex observantia erga Sanctum Patrem Ludovicum, quem rogavi, ut traderetur meo Sancto Angelo Custodi. Nesciebam, quodnam esset scheda argumentum, tantumque notavi, quod tam Sanctus Pater, quam Angeli ea perlecta multum fuerint recreati, specialissime verò sit exhilaratus & gaudio perfusus Sanctus meus Angelus Custos, indicans se tunc intellexisse, quid scheda contineret. Deinde mihi Sanctus Pater Ludovicus dixit: Anima, noli refugere, aut tergiversari, ut nobiscum converteris, qui sumus beati: nosse enim debes, te unam ex nobis futuram, & in æternum fruituram eo, quo fruimur: neque sis meticulosa, cum non habeas, quod metuas, atque tui Confessarii approbent gratias, quas à Deo consequeris. Bene modò fecisti, quòd non susceperis schedam, dederisque illam Sancto Angelo servandam. Ego tibi assistam, docendo, illuminando, ac dirigendo te in omnibus operibus tuis. Unum duntaxat facere non potero, utpote absolvere te in Sacramento Pœnitentiæ, hoc namque est reservatum degentibus in vita mortali. Vidèris velle scire, quid illa scheda contineat: Jam tibi constat, Deum binis vicibus tibi, diversis occasionibus, fuisse dignatum dicere, te per ipsius bonitatem esse confirmatam in gratia: nunc autem per hanc schedam Deus id innotescere voluit tuo Sancto Angelo Custodi, eidemq; denuò, atque unà mihi revelari.

Postquam Sanctus Pater finivit sermonem, in quo mihi multa alia exposuit, Sanctus meus Angelus Custos ad me venit valde hilari & gaudens, propter gratiam mihi à Divina Majestate præstitam, dixitque: Anima, est ingens favor, & gratia tibi à Deo concessa prorsus extraordinaria, paucisque sanctis exhibita. Necessè est, ut illi gratias agas, & ex gratitudine hæc duo præstes, ut ipsum ampliùs ames, & majorem in ejusdem Majestate spem colloces. Ista, & alia mihi dicebat Sanctus Angelus: verum ego eram aliquantum distraeta, quia observabatur meæ memoriæ, quod mihi paulò antè dixerat S. Pater Ludovicus. Sanctus Angelus sile-

bat, expectabatque responsum. Postea rursus audiebam loquentem, sed post modicam auscultationem mihi denuò ea redibant in memoriam, quæ priùs cogitaveram: unde iterum distrahebar. Ob hunc defectum fui vehementer afflicta, obnoxioque rogavi Sanctum Angelum, ut illum puniret. Ipse tacebat, ego verò magis instabam, ne istam culpam relinquere impunitam, quia me illius commissa videbat. Precibus itaque meis victus, tres dies meo ictus infixit, præsentibus alijs Sanctis Angelis. Videbatur autem his meis Dominis Angelis displicuisse, quòd sic ab illo fuisset castigata. Tum Sanctus meus Angelus Custos, quasi stringendo humeros, dixit: Ipsa id voluit, fuitque mihi importuna. Benedictus sit Deus propter misericordias suas. Amen.

Hinc videtur colligi, Deum permisisse vobis Sancti Angeli Custodis, ut castigaret, aut ignosceret illam tam levem, & velis naturalem negligentiolam. Quapropter ipsa per motus precibus Virginis, & affectu, ut magis proficeret, eam castigavit: alij verò ducti affectu clementia maluissent, ut illi ignosceret. Neque est novum (ut novimus ex sacris literis) hos Sanctos Spiritus, licet summa sit voluntatum inter illos consensus, nihilominus in quopiam negotio discrepare sententijs. Ceterum quod attinet ad schedam, observandum est, singularissimum fuisse favorem, quem Deus huic Anima exhibuit, non solum confirmandam illam in gratia, verum etiam id ipsi revelando: inde tamen quoque inferri, rarissimam pariter existisse perfectionem, & perseverantiam in bono, quam Divina Majestas in ea agnoscebat, sciens ipsam, quantumcunque certa redderetur, non lapsuram graviter, neque alatenus remissiores futuram in sancto timore, circumspectione, & cura, ne se periculo vel minimi defectus, qui divinis possit oculis displicere, exponeret. Id probatur ex eo, quòd illi evenit anno sexcentesimo vigesimo octavo, & ipsa breviter sic describit.

Excitati fuerunt in meo corde vehementes affectus, ut assequerem, quomodo placerem Deo, unaque timor, quòd possem eodem magno Deo privari, & precipitati in aliquam ipsi displicentem culpam.

Quapropter mea anima cœpit exclamare, dicendo Divinæ Majestati: Mi Domine, latrones, mi Deus latrones; qui me volunt spoliare! Accurrit meus S. Angelus Custos, dicens mihi: Quid tibi accidit, Anima, quid vis? Domine Angele, ajebam, latrones, latrones! Tum ille imponens manum meo capiti, & postea humero, dixit: Noli timere, Anima, noli affligi: habes Deum intra tuum cor, & manes in DEO; illuc non ingrediuntur latrones, ne que te Deus derelinquet. Gratia agantur tam bono Deo, & sit benedictus, Amen.

Quamvis anima certò sciat, veram fuisse revelationem, quam de sui confirmatione in gratia habuit, nonnunquam tamen se hoc lumen occultat, & anima affectibus amoris admiscet affectus castissimi timoris, qui tamen præterita revelationis fidem minimè imminuunt, quin potius docent circumspèctionem, quâ hæc vita mortalis sit transigenda. Et incredibile est, inter motiva, ob que Divina misericordia quampiam animam in hoc favore confirmat, esse etiam istud, quòd prævideat sanctos timores, quibus illam interdum sit præoccupaturus. Anno sexcentesimo vigesimo quinto, ipsi Deus denuò gratiam istius confirmationis revelavit. Id illa (post narratam vehementiam affectuum, quibus arserat, ut se in omnibus rebus confirmaret Divino beneplacito) obstupescens, se, quòd amplius est, posse eodem esse tempore securam, unaque timere, inter alia recenset sequentibus verbis.

Allocutus est me Deus quàm benignissimè dicendo: Quid habes, Anima, quid vis? Cui ego: Mi Domine, plena sum superbiâ, & multis peccatis. Postea subjunxi multa mala, quæ in me reperiri dolebam, & conclusi dicendo: Hæc & alia plura habeo peccata, quæ tu Domine agnoscis. Dominus mihi pro sua bonitate respondit: Nihil tale agnosco: si verò ea haberes, non possent à me non videri. Non vides illa, ajebam ego, quia tuâ charitate & misericordiâ tegis peccata desiderantium tibi servire. Bene dicis, respondit Dominus: verùm non ita ipsa te go, ut remaneant in anima, sed mundando ab ijs animâ, ac dissimulando pœnam, quam propter illa fuerat promerita. Ut autem

videas, quòd in tua anima non reperiantur, converte huc oculos, & spectabis animæ tuæ statum. Aspexi, & vidi superiorem ipsius partem immersam Deo, intimèque illi unitam, quemadmodum ipsam aliàs spectaveram, & tum dixi: Bene est, Domine: nihilominus verò dego in statu mortali, in quo possum peccare, teque offendere. Verum est, dixit Dominus, quòd, quantum in te est, posses peccare: sed te ipsâ non peccabis, cum sis à me undequaque munita, & confirmata in mea amicitia, & gratia.

Ob hæc verba fui repleta magno solatio, aliunde tamen retinui eoldem, quibus nunquam careo, timores. Licet enim nesciam dicere, quomodo id fiat, video tamen, quòd Dominus Deus noster sublimi suâ sapientiâ, summâque dexteritate hæc conjungat, ut illuminet animam, certâmq; reddat, ipsum loqui, & ab eo proferti illa verba ad eò consolatoria, dum eam in ijsdem ipsius relinquit timoribus, ac suspitionibus, ut, quamvis id nesciat explicare, utrumque tamen in se clare experiatur.

Sequenti feriâ secundâ, nonâ Decembris, post peractam sacram Communionem, rursus mihi Dominus idem assertuit, quòd suprâ dictum fuit, confirmando per suam misericordiam, me ab eo ita custodiri & protegi, ut ipsum non offendam. Ego illi dixi: Profectò, mi Domine, ignoro, quâ ratione ista duo sint combinanda, mea mala vita, cum tantis tuis gratijs atque beneficijs. Et Dominus mihi respondit: Quid agitur in fundo tuæ animæ? (bene intellexi, Divinam Majestatem loqui de desiderijs, quæ mihi ex sua bonitate indit, ut in omnibus & per omnia exequar sanctissimam ipsius voluntatem) & subjunxit: Quid est præstantius in arbore, magis que necessarium? Manifestum est, meliorem esse radicem, fructum autem utiliorem. Sicut autem arbor habet folia, ita etiam in anima reperiuntur quidam defectus naturales, qui non obsunt radici, neq; fructui tollunt saporem, aut salubritatem. Benedictus sit Deus in æternum.

Notandum est, quàm sublimiter Dominus Deus approbaverit phrasim scripturæ sacræ, dum

dum utens consueto nostro more loquendi dixit, quòd regat peccata suorum amicorum ac dissimulet; atque præterea, quomodo conformiter definitionibus suorum Vicariorum, Pontificum Romanorum, & veritati, quam ipse Ecclesia tuetur adversus impios hereticos, doceat, qualiter oporteat intelligere, quòd interdum dissimulet pœnam, semper que animam à peccatis mundet, infundendo illi gratiam inhaerentem. Verùm ut revertamur ad beneficium ipsi præstitum, quòd nunquam esset ab eo deferenda, ita tamen, ut non penitus amitteret illum sanctum timorem; prorsus est admirabile, quòd ipsi accidit in Julio, Anno sexcentesimo vigesimo nono, & ab ea sic describitur.

Affligebant me valde mei dolores, & soliti cruciatus: atque cum vehementer languerem, dixit mihi Dominus: Anima, es fatigata, veni mecum, & quiesces. Duxit me Divina Majestas ad ecclestem Hierosolimam, ac dixit: Quiesce hic, ista est tua patria, tua quies, & perpetuum tuum domicilium. Mani ibi, meoque modo sum fructa æternis illis bonis. Hoc evenit aliquantò prius. Nuperimè verò vidi Dominum cum comitatu multorum Angelorum, cui dixi: Mi Domine, magnopere desidero securè his vijs progredi, quibus me ducis, & non possum nisi importunè semper instare, ut mihi largiaris tuum lumen, ne errem. Tum Divina Majestas vocavit unum ex ijs Dominis Angelis, qui videbatur esse ex majoribus ac dignioribus, & potrigendo ipsi auream clavim, dixit: Accipe istam clavim, & trade huic creaturæ. Accepit illam Sanctus Angelus, veniensq; ad me, comitantibus illum multis alijs, dixit: Anima, accipe hanc clavim Divini gazophylacij, quâ illud poteris aperire, ut inde lumas exoptatum lumen: quod etsi tibi Deus jam dederit, vult tamen te pro tuo libitu ingredi, ut idem lumen accipias, perinde ac si eo careres. Hæc proferebat cum singulari reverentia, tanquam debita Deo, cujus mandatum exequebatur. Et applicando clavim ad meum pectus, impressit eandem intra illud, ac imposuit, cumque mihi valedixisset revertebatur. Ego, tametsi essem vehementer turbata, illi dixi: Domine Angele ex-

pecta, noli abire: dic mihi, an taliter securè processura, & nullam in his vijs perillusionem? Sanctus Angelus respondit, quòd mihi aliàs dictum fuerat: Habe pro signo, te bene procedere, quòd non sit caritura hoc sancto timore Dei; Divina Majestas te non permittet errare, quia te habet scriptam in libro vitæ. Et hoc dicto discessit, neque tum amplius Dominum vidi, qui me fuerat allocutus, aut Sanctos illos Angelos, qui ipsum fuerant comitati. Mea anima fuit repleta solatio. Benedictus sit Deus. Amen.

Quamquam prædictæ gratia sint admirabiles, videtur tamen esse longe admirabilior illa, quam ad idem propositum pertinentem esse consecuta, & quæ saltem tenerius suavissima Christi Domini viscera manifestat. Hæc ipsi sunt præstita sub finem Anni sexcentissimi, & quòd serius, & ita à Sancta Virgine recensetur.

Excitavit in me Deus potentissimum effectum, complectentem multos alios, quo inflammata & incensa dicebam hæc tantum verba Divinæ Majestatis, eaque sæpe repetebam. Mi Deus, & unicum Bonum meum, tu es ultimus meus finis, mea hereditas, & possessio æterna, mi Deus, & mea salus. Dum id agerem, abrupit me derepente Dominus, uniendo me sibi, videbarque mihi quasi submersa in Divina Essentia; verùm ita, ut, quemadmodum piscis innatans mari, illas aquas quaquaversum permeat; vel sicut avis, quando fertur per aërem, huc & illuc volitat, & interdum jam in sublimissimis arboribus, jam in altissimis turribus, jam alibi quiescit, quòd à naturali suo ducitur instinctu, ita suo modo anima mea intra pelagus Divinæ illius Essentiæ immorata fuerit modo huic modo alteri Divinæ perfectioni ipsius attributorum. In hac profunda ecstasim accessi diu, & postquam ad me redij, exarserunt in me vehementia, & flagrantissima desideria, quibus cõpellebar ad me conformandam in omnibus & per omnia Divinæ voluntati, ut neq; minima ipsi contraria attimus in mea anima reperiretur. Licet autem hæc desideria in illa, per Divinam misericordiam, semper quasi fixa perseverent, unà cum igne amoris erga magnum De-

igne amoris erga magnum DEUM & Dominum nostrum, nunc tamen, ut sæpe aliàs, Divinus Spiritus sufflavit, & suscitavit grandem flammam. Interea consueti mei timores invadebant meum cor, petebamq; à DEO Domino nostro sanctum ipsius lumen. Tunc ejusdem Majestas mihi peramanter & blandè dixit: Anima mea, quid times? unde provenient tui timores? in his te ego relinquo, propter magnam securitatem, quam adfert animabus sanctus timor mei. Quia verò omnia mysteria, quæ in ipsis operor, & beneficia, quæ ipsidem confero, quando uniuntur meæ cruci, sunt tutissima, atque inæstimabilis pretij; ideo noli, Anima, mea nimium timere, & esto certa, in ijs rebus, quibus nunc distineris, semperq; distineberis, dummodo nolis voluntariè repudiare lumen, & sanctos affectus, quos tibi assidue concedo, hos timores semper duraturos, teque ex tuis operibus relaturam fructum, dum pro tui boni spiritus indicio id habebis, quod nullatenus defleat ab ijs, quæ tibi dicentur à tuo Confessario. Audiebam hæc divina verba cum magno meo solatio & satisfactione: nihilominus præsumpsi dicere: Domine & DEUS mi, quamvis omnia firmiter credam, quæ mihi dicis, tamen, quia infinitè desidero, ut hi affectus, quos mihi concedis, ad placendum tibi, & implendam in omnibus tuam sanctissimam voluntatem, non periclitentur in mea voluntate, quæ ex se est valde mutabilis, vellem eosdem à te tam firmiter in ea insigi, ut sicuti in hoc mundo eæ scripturæ, quæ continent omnes requisitas clausulas, dicuntur esse firmæ & irrevocabiles, quin revocare possit contractum, qui se ijs obligavit, ita mea anima nequeat retrocedere ab his intimis desideriis tuæ majoris gloriæ, quæ ipsi, pro tua misericordia, contulisti.

Audiens Dominus Majestatis mea ardentia desideria, quæ ipse in meo corde excitabat, ei que tum suggerebat, quam benignissimè, & acsi delectaretur præbendo mihi solatium, respondit: Bene est, Anima, bene est. Plurimum mihi placet, quod cum tanto profers affectu: decerno, ut omnino tuæ petitioni satisfiat. Subitò autem se mi-

hi CHRISTUS JESUS, Dominus noster, quem videbam præsentem, exhibuit videndum in splendido & admirabili throno, regiâ indutum veste. Habebat in suo sacratissimo capite diadema, & erat circumdatus ab innumeris Angelis, qui ipsi inserviebant ac deferebant honorem. Mox gravissimo sanctissimæ suæ manûs gestu quasi quempiam advocabat, vidique advenientem S. Joannem Apostolum & Evangelistam, qui sese inclinando, post profundam Divino illi Domino exhibitam reverentiam, cepit admirabiliter scribere id, quod ipsi dictabat. Absolutâ scriptione se gloriosus Apostolus prostravit humi, coram eodem magno Domino, tradiditque illi chartam subscribendam. Observavi autem eundem Apostolum, & duos Angelos, qui erant ex supremis, assumptis in manus pulcherrimis luminibus, lucentibus instar stellarum, sanctos fuisse quàm reverentissimè, tametsi eminus, munere velut facigerorum. Divina Majestas subsignavit scripturam, cujus tenor & expressa verba; aureis exarata characteribus, unâ cum forma subscriptionis, erant ad literam, prout sequuntur.

Ego JESUS CHRISTUS Filius DEI vivi, dico, me velle & annuere, ut omnes affectus, & vehementia desideria, quæ comunico animæ hujus creaturæ, simulque opera ijs conformia, perpetuò, & ad finem usque vitæ ipsius, in ea perseverent. Quapropter manu propriâ subscribo meum nomen.

Ego Rex Jesus Christus Filius Dei.

Subsignatum hoc scriptum Dominus reddidit sancto Joanni, mandando ipsi, ut id clauderet, ac deponeret in meo pectore. Sanctus accepit chartam ex manu illius summæ Majestatis cum magna reverentia, eamque exosculando, & statim venit ad locum, in quo eram, tactoque suâ manu spiritualissimè & admirabilissimè pectore meo, acsi referaret quampiam sacram lipsanothecam, illud aperuit, in eoque recondidit chartam, occludendo rursus, & relinquendo pectus, quale antea fuerat. Mea anima fuit summo repleta solatio, propter tam insuetum beneficium,

H

re-

remansitque aliquamdiu in profundissimam abrepta ecstasim. Postquam autem ad me redij, vidi, necdum abivisse Divinam Christi Domini nostri Majestatem, qui me peramanter & affabiliter alloquendo, & impertiendo mihi suam sanctam benedictionem, dixit: Vale nunc, Anima, & quiesce in tuo DEO. Fui tenerrimè commota, & quodammodo sopita, quiescens in Domino. Ipse sit semper benedictus, propter omnia sua opera & misericordias. Amen.

Semper immensa Creatoris nostri & Domini liberalitas est profusior in dando, quam creatura in petendo. Hæc Anima desiderabat se obligare Deo, quasi scripto irrevocabili, & DEVS se ipsi eundem in finem irrevocabili scripto obstringit. Ità idem Dominus ergo cum Noë, & omnibus nobis: quia dum nobis incumberet, ut nos ad servendum ipsi obtemperemus, ille, sicut ajunt sancti Patres, se obstringit authentica sui archæ scripturâ, quem populus in nubibus, quod nos non esset amplius diluvio perditurus.

CAPUT XIV.

Agitur de aliis, præcedenti similibus, scripturis, quæ comprobant perfectionem, & spiritum hujus Virginis.

Benignitas istius Virginis perfectio bene ex eo probatur, quod DEVS ipsi tam multum considerit, ut illi revelaret, eam esse confirmatam à se in gratia, quia confidebat, quod neque etiam tanta securitas sollicitam ejusdem circumspicionem esset imminutura, ut nihilominus impigrè semper studeret magis ac magis suo Domino placere. Attamen, cum sit prorsus specialis ac tenerrimus modus, quo ipsam DEVS prædictâ gratiâ in antecedente visione est dignatus consolari, adferam alios ejusdem generis, ut, si non efficacius, majore saltem numero testimoniorum demonstretur, tum ardens, illius desiderium perseverandi in bono, innovatòque fervore proficiendi in uberiore DEI gratia; tum etiam suavissima misericordia, quâ se Divina Majestas ei id ipsum potenti in dies magis faventem exhibuit. Quod nunc exponam, evenit anno sexcentesimo vigesimo quinto, & refertur ab illa his verbis:

Impellentibus me vehementer affectibus, quibus anhelabam ad exequendum in omnibus rebus Divinum beneplacitum, adeò ut mea anima videretur consumi, & colliquefcere, atque ipsa etiam natura deficere, dixi Domino: Mi DEUS & Domine, per te ipsum & tuam infinitam bonitatem oro, imprime in me, & in meo corde, literis sanguine meo scriptis, quòd

nunquam velim, aut consentiam, ut vel minimum quid faciam, quo tamen levissimè, offendaris; quin imò tantum desiderem, quoad potuero & scivero, ut te magis glorificem, nihilque mihi placeat, quam major gloria tua. Hæc, & alia hujusmodi Domino DEO dicebam, quasi præ vehementia amoris non essem mei compes, ipsique soli, tanquam unico mei desiderio centro, tota inharerem. Dominus me audiebat, ostendendo sibi placere, quòd me ita constitutam videret, dixitque mihi cum suavissima Majestate. Fiat omnino, Anima, sicut dicis: Volo tibi hanc scripturam, & istam velut obligatoriam syngrapham, ad præstandum tibi id, quod à me petis, conficere, ut, quemadmodum simili occasione aliàs dixisti, me possis compellere ad standum promissis, quæ quidem ego nunquam possum non servare. Hoc dictò intuitus est cum summa Majestate quendam Angelum ex principalissimis tibi assistentibus, dixitque: Angele mi, scribe, quod tibi dictabo. Sanctus Angelus continuo accepit ex manu alterius apparatus scriptorium, & quandam velut membranam candidissimam, atque scripsit, quòd à Domino dictabatur. Quo peracto, pariter, profundè sese inclinando, calamum Divinæ Majestati, ut scripturam subfigeretur, id quod Dominus fecit. Schemata però ipsius & subscriptio est ad verbum hæc, quam appono.

Anima fervens, accepto tuam petitionem, fateorque, mihi tuis desideriis, propositis, & cogitationibus, juxta omnem meam voluntatem, in perpetuum abundè esse satisfactum: atque suscipio libenter tuam oblationem.

Ego rex supremus, Creator celi & terra.

Deinde mihi mandavit, ut etiam ego illam subscriberem, venitque ad me is sanctus Angelus, adferens schedam & calamum, ut id facerem: ideoque, videndo tanta Divinæ bonitatis prodigia, eram turbatissima, & existimo me totam contremuisse. Angelus meus Custos me animabat & excitabat ad subscribendum, atque obtemperandum Domino: verùm ego eram, sicut dixi, ita comparata, ut putarem, mihi esse impossibile id facere. Tum sanctus Angelus, qui Domini fuerat secretus Scriba, apprehendens meam manum, imponensque illi calamum, me adegit ad subscriptionem, & scripsi:

¶ Ego ancilla Jesu Marina ¶

Observandum est, me, dum suscepi Sacramentum Confirmationis, eò quòd non fuerit bene perceptum meum nomen Marina (acceptum à me in Baptismo) vocatam fuisse Mariam. Unde intellexi dubium sancti Angeli, quod tum habuit: quia postquam dictam subscriptionem absolveram, conversus ad Dominum dixit: estne hic apponendum utrumque nomen? Verùm Divina Majestas ostendendo, se id modo nostro loquendi, quasi considerare, respondit: Nequaquam, nè propterea aliquando oriatur quæpiam confusio: præterquam quòd primum nomen, datum ipsi in Baptismo, sit præcipuum.

Itaque sanctus Secretarius complicit schedam, superscribens illi instar tituli: *Anima anhelanti, & aspiranti ad suum Deum,* eamque exosculans magnâ reverentiâ porrexit Domino. Quando Divina Majestas illam suscepit ad suam sanctissimam manum, statim mystica illa scheda adeò cœpit resplendere, ut referret speciem purissimi auri, & vehementis atque amabilis ignis. Venit tum ad me magnus ille Dominus, quæ eo tempore tolerabam gravem crucem amoris, timoris, & admira-

tionis: cùmque videretur aperire meum pectus, posuit in illo eam schedam, non jam complicatam, sed expansam, ut literæ & subscriptiones essent valde patentes, ac legibiles, iterùmque pectus clausit, sicut prius fuerat clausum. Ipse sit in æternum benedictus, propter omnia admiranda sua opera, & magnas misericordias, placeatque ipsi, pro infinita sua bonitate, ut hæc miserabilis ipsius creatura & ancilla, non perdat, ac dilapidet, per suam incuriam & miseriam, auxilia, dona, & beneficia, quæ à liberalissima ejusdem manu consequitur. Amen.

Eodem anno obtinuit aliam similem gratiam, cum ipsdem prerogativis amoris Divini, quæ tamen majus continet documentum, pro nostra instructione. Id illa sic post alia refert.

Agnoscebam, illuminante me DEO, meam vilitatem eò profundius, quòd plura intelligebam de magnitudine DEI. Anhelabam ad hunc magnum Dominum ingenti desiderio, & invocabam illum nonnullis versibus Davidicis, quos mihi idem Dominus in memoriam revocabat, præsertim verò dicebam: *De profundis clamavi ad te Domine &c.* atque alijs mille modis Dominum implorabam, colliquescens amore ipsius, & mea anima optabat uniri ejusdem Majestati. Ac tandem dixi: Modò, mi Deus, volo tecum convenire; incamus, mi Domine, pactum. Audivit me Divina Majestas, & respondit mihi peramanter: Anima, paciscamur; quid mihi tu dabis? Mi Domine, aiebam rursus, quid ego habeo, quod tibi dare possim? Dabo tibi, quidquid mihi à te datum fuerit. Fiat, licet, respondit Deus. Quid verò mihi dabis? Dabo tibi, mi Domine, reposui, meam animam, meum cor, omnes gratias mihi à te præstitas, & quidquid mihi deinceps dederis. Sit ita, Anima, dixit Dominus, accepto hæc. Et ego tibi dabo amorem mei, magnum lumen, & cognitionem mearum veritatum; atque non separabor à te, nec tu à me: & postea vitam æternam, quæ horum omnium est finis. Quamvis mihi omnia ista dixerit Dominus, possemque summum inde capere solatium, in fervore tamen meorum affectuum non

acquiescebam, ideoque dixi: bene scio, Domine, te ex parte tua servatum promissa: sed ego sum miserabilis, & non implebo, quod debeo: nam, sicut vides, plena sum defectibus in omnibus, quæ ago. Adverte Anima, respondit Dominus, ego omnes res creavi, dedique cuilibet suam naturam: à me dependent in sui conservatione, & contuli illis ea, quibus ad sui conservationem indigent; neque ipsas unquam fallo, sed nec illæ me, quia omnes debito suo satisfaciunt, secundum id, ad quod sunt creatæ, Solum hominem in terra condidi libero præditum arbitrio, ut me liberè agnosceret, mihi serviret, me amaret: atque in hunc finem illi præbeo omnia necessaria. Cùm igitur tu me seriò ames & quæras, utendo ex tuo arbitrio tam fideliter meâ gratiâ, nunquid ego tibi denegabo, quo opus habes? Non, non denegabo.

Post hæc omnia adhuc aliquantùm metuebam meam malitiam: conticui tamen, & non sum ausa amplius Domino respondere. Quia verò Divina Majestas omnia perspicit, cognovit meos timores, & solita suâ benignitate mihi dixit: Nonne autem nunc vis meam subscriptionem? Hoc audito fui tota turbata & confusa, atque incepi vehementer timere, an non fortasse hic aliquid, ex mea parte, interveniret deceptionis, & Dominus mihi dixit: Num ignoras, hoc tibi à me certum signum me esse, qui tecum loquor, fuisse datum, quòd nunquam sis caritura sancto timore, his occasionibus meæ communicationis? Istitis Domini verbis fui iterum pacata, Mox Angeli attulerunt necessaria ad scribendum, & Divina Majestas scripsit tres lineolas, eo ordine ac verbis, quæ hic appono. Ego sum tuus Deus & Dominus, Atque nunquam datam tibi fidem violabo.

IS QUI SUM.

Hæc ego omnia videbam magna cum teneritudine, & pari erubescencia mea, optabamque, ut Dominus mihi daret illam schedam, & non alicui Angelo, sicut aliàs fecerat. Divina Majestas agnovit meum desiderium, mandavitque Angelis, ut me ducerent ad locum, in quo erat, quod fe-

cerunt: atque tunc vidi clariss, quis mecum loqueretur, esse videlicet Personam Jesu CHRISTI Delicij nostri, idemque Dominus posuit illam chartam intra meum pectus. Rapta sum in ecclatium, & Divina Majestas me secum fortiter univit, duxitque ita ad cœlestem Jerosolymam, ubi sum millenis fruita bonis, quæ nequeunt explicari. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

Quamquam sit adeò amabilis & singularis modus harum divinarum schedarum, non est tamen alienum à Divinis literis, quòd Deus dicatur scribere, quòdve in his visionibus imaginarijs sancti Angeli compareant illustrati thesauri penarum, & omni apparatu requirito ad hoc ministerium. In scripto, quòd nunc referam, licet non fuerit deventum ad executionem, ut ab hac Virgine conficeretur, præcipit, nova scriptura proprio sanguine curata, quæ se Deo manciparet; nihilominus reperitur, quæ faciunt ad comprobandum id, de quo agimus, utpote varij modi, quibus illud Deus reddidit securam de sua perseverantia perfectione. Idcirco existimari esse hoc locum ponendum, eoque magis, quòd sanctorum Angelorum testimonio, nullam in hoc genere majorem fuerit gratiam affecta. Recenset hæc illustris Virgo favorem his verbis:

Impenderam nonnihil temporis confueto meæ orationis exercicio, quando acta impetu meorum affectuum, dixi Divinæ Majestati: Domine mi Deus, nunc tibi volo reddere rationem meæ pervitæ vitæ, & meorum gravium culpatum, quia, meâ opinione, multas in tuo obsequio committo, propter meam magnam fragilitatem ac miseriam: & aliunde ex toto meo corde, ex tota mea anima, & omnibus viribus meis tibi placere desidero, velle tibi quàm perfectissimè satisfacere, nihil aliud admiscendo. Quocirca, mi Deus, & mi Domine, te rogo, & toto meo corde, quàm demississimè possum, obsecro, ut, postquam, ex mera tua bonitate, mihi benepotentes affectus, & vehementia desideria dedisti, cùm ex me nihil valeam, nihilque sim, mihi gratiosè largiaris, quò ea desideria omnia impleantur. Respice Domine, meam peccatricem, & pauperculam

animam: summè enim proprium est tuæ magnificentiæ, & bonitati infinitæ, gratias superaddere gratis, & ipsa tua dona novis remunerati beneficiis. Eodem modo, & eodem desiderio te oro, per Jesum Christum amabilissimum Servatorem & Dominum nostrum, atque per sanctissimam ejus Matrem, ut, cum meam animam vijs tam insuetis digneris ducere, ipsam illumines, eidemque sanctissimâ tuâ directione ad sis, ut cognoscat, & assequatur tuas veritates, tuamque Divinam voluntatem, in quam ego toto meo affectu meam miserabilem transfundo, conculcando & pessumdando omnia, quantumvis minima, quæ in omnibus & per omnia non fuerint conformia tuo sancto beneplacito. His intenso fervore insistebam, quando audivi Dominum mihi dicentem: Quid agis, Anima mea, quid agis? quale est tuum exercitium? Accede ad me propius, nam procul quodammodo ab altissimo loco distas, & videamus, quid tanto affectu proferas, qualèmq; mihi velis reddere rationem.

His à Domino dictis, me reperi admirabiliter, & ita, ut ignorem, qualiter id acciderit, perductam ad cœlestem Jerosolyam, atque prostratam coram Divino conspectu, ubi humili & ardenti affectu denuò omnia prædicta repetij, addidique cum magno impetu & efficacia: Deus & Domine mi, offero tibi, donoque totum cor meum, totam vitam meam, ac animam, & quidquid sum, atque habeo: siquidem omnia tua sunt, & tu mihi ea dedisti; quod quidem deliberatissimâ meâ plenâ voluntate facio nunc, & in perpetuum, opitulante tuâ gratiâ. Hoc supposito, & tuâ infinitâ pietate, rogo te, quam possum humillimè & obnixissimè, per te ipsum, per Jesum Christum unigenitum Filium tuum, perque ipsum, & sanctissimam ejus Matris merita, ut de omnibus supra dictis formetur scriptura stabilis, exarata sanguine cordis mei, & vitæ meæ, quò id firmissimè in me in perpetuum perseveret, adjuvante tuâ gratiâ & misericordiâ. Dominus Majestatis audivit cum summa complacencia, quod dicebam, & conjici-

ens in me suos oculos, mihi dixit: Non vides, Anima, in rationibus, quas mihi dedisti, cur te reprehendam, aut castigem, sicut desideras. De cæteris, quæ tanto affectu postulas, videbimus. Et postquam se ille Dominus gloriæ, ac Pater æternus convertisset ad sacratissimas Personas Verbi Divini, & Spiritus Sancti, præsentem Majestatem Jesu Christi Domini nostri, Dei & Hominis veri, Divinæ eæ tres Personæ, quasi inter se conferendo, dicebant: Verè hæc Anima, & tota ista creatura est, quantum ad ipsam attinet, tam bene disposita, ut illi, quod petit, interveniente gratiâ, quæ illi negari nequit, concedatur. Et subito, velut idcirco, se ille Dominus Majestatis ad me convertit, dixitque: Audivimus, Anima, tuam humilem & ferventem petitionem, atque propter bonitatem nostram & misericordiam, tuamque bonam dispositionem, tibi libenter & amanter; quod à nobis petivisti, in perpetuum concedimus. Quamobrem, quòdque ita sit futurum, accipe, Anima, nostram benedictionem. Simul ac mihi illam Divina Majestas impetrata est, fuit abrepta in profundam ecstasim, magno affluens solatio, & obstupescens opera, ac misericordiam lavissimam hujus magni Dei. Quamdiu in ea manserim nescio, & reversa ad me, fuit in meo angello.

Cæpi magnas agere gratias huic Domino, & expendere, quid in me fuisset operata ea misericordia, quam susceperam, & habui ingens solatium, nihil in animo ambigens, quin prædicta verè evenerint, æstimando unâ tam singulare beneficium, meque pro ea gratam exhibendo. Deprehendebam me immerfam in sterquilinum meæ miseriæ, cum indesinenter perseverante sancto timore Dei. Ita occupatè apparuit quidam Angelus Dei, & dixit: Quid agis Anima, quales nunc sunt tuæ cogitationes & affectus? Ego, quia non erat ex mihi notis, me converti ad meum sanctum Angelum Custodem, ut me illuminaret; id quod ipse fecit, & ab illo instructa respondi cœlesti hospiti, dicendo: Angele Dei, considerabam attente ac sollicitè ea, quæ in me est operata hæc Domini

miseri cordia: siquidem summè exopto assequi veritates hujus magni Dei, & vivere ac mori in sancto ipsius amore & timore. Audivit me sanctus Angelus, & velut admirandus, mihi dixit: Profectò anima, vehementer me exhilaravisti, placetque mihi pariter veritas tui boni spiritus, & viæ securæ, quâ à Deo duceris. Nam obtentâ nunc ab hoc Domino tantâ gratiâ, mansisti in profunda tui ipsius cognitione, & sancto timore Dei, qui manet in æternum. Modò Anima, vive in pace & in tuo Deo, cujus sancto nomine fui missus, ut contestarer veritatem tui boni spiritus, tēq; consolarer in Domino Deo nostro. Ita mihi valedixit sanctus Angelus, & subito ad me venerunt Domini Angeli mihi cohabitantes, omnesque magno cum gaudio & júbilo laudantes Deum, millies mihi gratulabantur tantam gratiam à Domino præstitam, atque subjunxerunt; Adverte Anima, quamvis Majestas Dei Domini nostri tibi multa hujus generis, ac talia contulerit beneficia, nullum tamen tibi contulit hâc formâ & modo. Scisne Anima, qualiter tecum nunc tuus magnus Deus & Dominus egerit? Ecce sicut Rex, qui sibi absentem aliquam Principissam desponsavit, postquam missis ipsi magnis cimeliis, & ornamentorum aureorum opibus, adamantibus, margaritis, carbunculis &

smaragdis, aliisque hujusmodi gemmis, illam omnibus his pretiosis donis ditavit, insuper eidem mittit aliud longè pretiosissimum, licet ex eodem metallo auri, & pretiosis lapidibus confectum, à cæteris tamen cimeliis differens artificio, ornata encaustico, & elegantia, ut propterea à Principissa specialiter æstimetur: ita Anima, tecum aliquomodo videtur egisse tuus Deus ac Dominus. Redde illi magnas gratias, & laudes. Ego sum admirata magnum Deum nostrum, qui semper sit benedictus, propter opera sua & misericordias. Amen.

Modus ille conciliij & consultationis tres Divinarum Personarum, dum Divina Majestas locuta fuit de pluribus, ad significandam distinctionem suppositorum, non solum est conformis phrasi sanctorum Doctorum, sed etiam Divinarum literarum. Accommodatissimus ille Dominus, tam in representandis figuris imaginarijs, quam in argumentis sermonis, rudi modo, quo mortales formamus nostros conceptus. Atque id ipsum, quod ab æterno decreverat, videtur subire considerationi, & considerare adveniente occasione executionis, ut nos doceat, se non fortuito, & qualemcunque in modum: sed Divinâ Sapientiâ, & incomparabili consilio, à sua æternitate negotium ac dispositionem singularium animarum pertractavisse.

CAPUT XV.

Edocetur à DEO, de diversis perfectionis gradibus, ad quam anima ipsius progrediebatur.

Sicut gratia, quas benignissima Dei misericordia huic suæ dilectæ sponsæ, ab ipsis illius iniitijs præstitit, non eò dirigebantur, ut earum duntaxat suavitate oblectaretur; verum etiam animaretur ab amplectendis rigidis doloris & amoris cruce, quas illi ipsemet tolerandas injungebat, utque hac ratione altissimum consequeretur statum perfectionis: ita quoque ipsi eundem in finem multis modis, & symbolis manifestare voluit diversos status, quos ejusdem anima habuerat, & differentes

gradus, quibus progressa fuerat; eosdem, quo à Deo præveniebatur, & secundum ipsius cooperationem ducebatur viâ regis virtutum, per speciales tamen, quamvis tutissimos, sui ipsius timores. In quodam scripto anni millesimi secentissimi viginti quinti ita ait:

A multis mihi mensibus Deus exhibebat spectandam meam animam, constitutam in Divina ipsius præsentia, & post aliquot tempus conspexi eundem Dominum in specie Divini Solis, ex quo tam divini, tamque inexplicabiles prodibant radij lucis, ut nihil reperitur, cui possint comparari.

rari. Et vidi meam animam, non quemadmodum prius, sed unitam illi summæ Majestati. Ita ipsam sum frequenter contemplata. Præterlapsis autem multis diebus: quibus eam, nec hoc, neque alio modo videram, venit mihi in mentem, decimâ sextâ Octobris, quænam foret causa, quòd is visionis modus cessavisset, cum illam terties, tantòque temporis spatio habuissem. Id mihi expendenti fuit à Deo dictum, nè mirarer, eò quòd anima mea in alio longè superiore gradu existeret, quòd mea cogitatio non posset, absque speciali ipsius favore, pertingere: quem mihi exhibere volens Ejusdem Majestas subjunxit: attolle oculos, & aspice. Atque ipso operante in me, quòd jubebar, aspexi, & vidi meam animam, non figurâ præditam simili corporeis, prout antea, sed modo quodam tam spirituali, ut neque tunc sciverim, quantumvis attenderim, nec deinceps, licet hac de re cogitaverim, assequi potuerim, qualiter, aut quibus verbis exponerem spiritualissimum illum, & usque adeo à nobis imperceptibilem modum, quo mea anima erat constituta. Solum intellexi & vidi ab illa, præterquam quòd esset unita Deo, ac Deus ipsi, possideri Divinum illud Esse, eo tam singulari modo, quem nullatenus scio explicare, ut nihil aliud agere sciverim, quàm inusitatâ quadam ratione obstupescere, & mirari. Quare conversa ad Deum, dixi: Quid verò agit anima, Domine, & quid ibi operatur, ubi eam constituisti? Respondit mihi, illam oblectari, quiescere & cognoscere: quòd quidem egomet sum experta. Dixi rursum: Quid tandem tibi, Domine, præstitit obsequij, ut tantas obtineat gratias? Et Divina Majestas reposuit: si tu es oblita, quid fueris passa, ego non sum oblitus. Quo mihi indicavit, eas mihi ab ipso præstari gratias, propter multa, quæ præteritis mensibus passa fueram. Hinc nihil ampliùs interrogavi, cum nihil aliud appetam, aut velim, quàm solummodo, ut in omnibus & per omnia, in me impleatur Divina ejus voluntas.

Antehac, etsi eodem anno, tota fueram immersa supernaturalissimæ contem-

plationi, specialiter à Deo illuminata, ad cognoscendam admirabilem, & integram Christi Domini nostri resignationem, in sanctissimam voluntatem sui Patris æterni, ut tantis impensis suis, & commodo nostro redimeret genus humanum. Postea dum cogitarem de timoribus, quos plerumque habeo, ita ut mihi ab illis nequeam temperare, quamvis ipse Deus, & Confessorij mei me reddant securam, locutus est mihi Dominus, & ostendit grandem cimeliorum montem, ac thesaurorum maximi pretij: videbanturque esse rarissimæ, & protius supernaturales. Erat mons valde magnus & altus, in cujus vertice apparuit splendidissima crux argentea, emittens ingentes radios lucis, & representabatur mihi, quasi illa crux custodiret longè melius eas divitias, quàm milieni milites. Vidi eminus circa illos thesauros magnam impiorum turbam, sed valde procul distantem, quos sumè optabant diripere: sed non erat ipsis id possibile, propter fortitudinem illius tam potentis crucis, neque eos ullo modo potuerunt invadere. Dominus mihi dixit: Ecce Anima, iste mons divitiarum, quem vidisti, est tuus spiritus, qui his à me cumulat thesauris, & crux argentea, quæ illos custodit, representat sanctum timorem, tibi à me datum, ut tibi totus infernus unicus nocere nequeat: vive securè. Ipse sit in æternum benedictus. Amen.

Alia vice, per idem tempus, postquam fuisset à Deo ducta, ob quoddam mysterium, ad videndum sacrum sepulchrum Hierosolymitanum (de quo nobis alibi erit sermo) refert, quòd illi cum Deo evenit post reditum, multumque facit in rem presentem.

Postridie mihi dixit Divina Majestas, exhibens se videndam in Persona Spiritus Sancti: Veni Anima: quia te in hoc mundo exerceo afflictionibus. Et hoc dicendo me ipsâ quoque duxit ad cælum, ubi me conspexi coram Beatissima Trinitate, circumdatam ab innumeris Angelis, & Animabus beatis. Constituta verò coram ijs beatis Spiritibus, summam præ se ferentibus majestatem & gloriam, derisi memet ipsam, considerando, me illis comparatam

ita

ita esse egenam, sicut est pannosus aliquis mendiculus, comparens coram multis Aulicis splendide vestitis. Mox mihi visa sum à Deo fuisse elevata ad apicem cuiusdam altissimæ cognitionis Divinæ Essentiæ, ubi quasi submergebam, meque perdebam. Deinde quodammodo attemperans excessum illius sublimis cognitionis, fecit, ut quasi singillatim agnoscerem modò ipsius justitiam, modò misericordiam, & alia attributa, ubi anima videbatur sui magis esse compos. Tum illi dixi: solebas, Domine has mihi præstare misericordias, ostendendo mihi meam animam intra te constitutam, & jam à compluribus diebus id non facis. Adverte, respondit Divina Majestas. Sicut, quando Mater à se genitum parvulum filium, suis complectitur ulnis, fovet ac alit, & alia ipsi præstat beneficia, filius illa suscipit, licet non agnoscat; ita ego non cesso tibi conferre magna, quamvis ea non semper æquè cognoscas. Ideo, ut videas statum tuæ animæ, aspice. Et exhibuit mihi subito animam in specie pulcherrimæ aviculæ, quæ sine ulla intermissione, & ore aperto volitabat, intuenso magnum illum Deum, à quo quasi cibabatur, alebatur, fovebatur, & replebatur bonis. Mirabar hæc videndo, & abrepta fui in Deum, eique artissimè unita, donec mihi reddita, me reperi in meo angulo. Ipse sit benedictus. Amen.

Admirabilis hæc serva Dei se pro his, & alijs sui spiritus progressibus, quos deinceps recensebimus, preparavit ferventi actu amoris Dei, & experiente puritatem cordis, cujus exercitio tum intenta erat, quantum ex eo colligi videtur, quod illi evenit cum sancto Francisco Xaverio, decimâ quintâ Januarij, ejusdem anni sexcentissimi vigesimi quinti, & ipsa hunc in modum recenset.

Decimâ quintâ hujus, vehementer oppressa doloribus, vidi gloriosum sanctum Franciscum Xaverium, descendentem ex cælo ad meum cubiculum, cum multorum Angelorum comitatu, qui, postquam advenerunt, dulcissimè cæperunt concinere laudes Dei, Sanctus autem me salutavit, dicendo: Dominus sit tecum, soror. Venio ad te jussu Divinæ Majestatis, ut te in-

visam, donemque tibi ipsius nomine pretiosum cimelium, quod hîc adfero. Accipxi, & vidi, quod haberet in manu quiddam valde pulchrum, candidum instar nivis, & quoad formam simile umbellæ albi lili; habebat enim folia repanda, qualia hîc floribus habere solet. Interrogavi illum: Quid est hoc benedictæ Sanctæ? Et respondit mihi: Est flos summi pretij, cujus odor & fragrantia confortat & alit animas: & istum tibi, tanquam talem, nomine Dei offero. Tergiverfata sum more meo, & nolui illum acceptare, rogando Sanctum, ut daretur uni ex ijs sanctis Angelis ipsius comitibus. Nequaquam, subjunxit Sanctus, à me illum accipere debes: ita namque vult Deus. Et hoc dicto mihi appropinquabat. Ego quasi turbata & confusa, præ magna observantia, & veneratione, quâ Sanctum præsentem prosequerbar, reluctabar amplius: verum is illum inseruit meæ manui, quâ ab ipso applicatâ meo pectore, flos illud permeavit, ita meam animam immutando, ut ingentem sentiret suavitatem, plurimumque recrearetur & corroboraretur. Mirabar valde hos effectus, & cogitabam intra me, quidnam illud mysterium significaret. Sanctus verò me intelligens, mihi dixit: Præcedentibus diebus olivisti actus heroicis, quibus, dum Deus probaret tuum amorem, magno fervore, promptitudine, & generositate tui corporis & animæ, te obtulisti, quod non esses licenter commissura ullum peccatum veniale, quamvis inde emolumentum dependeret totius mundi, & eo admisso salvanda essent omnes animæ à Deo conditæ, quem tantopere amavisti, ut omnibus rebus renuntiaveris, nè ipse offenderetur, & eousque progressa fueris, ut malles penam sustinere inferni, quàm vel minimam culpam venialem advertenter committere. Propter hunc actum, quem Deus magnificè fecit, tibi ejusdem Majestatis misit hunc pretiosissimum florem, accensendum illis, qui præ cæteris erunt spectabiles in corona, quam tibi Deus dabit in cælo: quia per istum actum fuerunt tua merita mirum in modum exaltata & aucta. Cum autem tibi Deus præstiterit tam singularem gratiam,

tiam, æquum est, ut mihi aliquid è tuis rebus dones, quod tuo nomine præsentem Divinæ Majestati. Respondi illi; Quid habeo, gloriose Sancte, quod possim offerre meo Deo? siquidem Divina Majestas mihi sua confert dona, quæ minimè mereor, dulcèsq; suas traducit aquas, per hunc è malo limo factum canalem, in quo evadunt amaræ & falsæ. Bene est, dixit Sanctus: nihilominus da mihi unum filum ex tua veste; volo dicere, unum affectum tuæ voluntatis, quia Deus illum magni æstimabit. Tum respondi: Ago ipsi infinitas gratias, pro tam singularibus beneficijs, & amo illum super omnia. Sanctus ostendit sibi esse satisfactum, & apprecatus mihi pacem, redivit ad cælum, unaque cum ipso multi ex ijs Angelis: alij enim diu permanserunt in meo cubiculo.

Converti me ad Deum, postquam Sanctus abiit, dixique illi: Quid est hoc mihi Deus? quomodo te potero amare, & qualiter tibi potero præbere hospitium, & habitationem placentem in mea anima? hic te invocabo, & non cessabo, donec mihi præstes istam gratiam, ut te possideam, exequarque in omnibus rebus tuam sanctissimam voluntatem. Verùm cui exhibes mihi Deus, tam speciales gratias? quomodo ex conveniunt vitæ tam communi & vulgari, quàm est mea? Pro illis tam magnis obrinendis, me oportet degere in tertio cælo, & vivere absque cibo, sicut fecerunt, ac faciunt multi Sancti. Dominus mihi valde benignè respondit, dicendo: Non sunt necessaria hæc media ad hos fines: meæ sunt omnes viæ, quibus mihi servitur, & nisi cavissem, nè te affligerem, jam tibi id aliàs dixissem: nunc tamen tibi dico, me contulisse tuæ animæ tale robur, & naturali debilitati consuluisse eum in modum: ut absque his raptibus, & extraordinarijs medijs, possis mecum familiariter agere, & audire ac videre, quæ tibi manifestò. Fui vehementer, sumque etiamnum ob omnes Dei miserationes tantopere pudefacta, adeoque me illi, obstrictam agnosco, ut nihil in me deprehendam præter verecundiam. Ipsi sit gloria. Amen.

Quàm libenter Deus in purissimo istius

Vita Mar. de Escobar Parisi,

Virginis corde habitaret, atque ad qualem mentis sublimitatem illam exereit, colligitur etiam ex eo, quod ipsi sub finem Martij (quo tempore Ecclesia, hoc anno sexcentesimo vigesimo quinto celebrabat mysteria passionis amabilissimi Redemptoris nostri) & sub medium Aprilem, accidit agenti cum Divina Majestate. Id ab illa sic refertur.

Per hos dies Passionis mihi persæpe Dominus, nihil tale cogitanti in memoriam revocavit ea verba Evangelij: *Ecce ascendimus Jerosolymam, & Filius hominis tradetur &c.* Et illuminavit me specialiter, ut agnoscerem majestatem & magnitudinem Domini morientis, ipsique illatas injurias, atque permovit ad magnam tenerritudinem & commiserationem. Deinde in me Divina Majestas excitavit vehementes affectus, ac desideria illi serviendi, & ejusdem quærendi, ac possidendi. Dicebat illi mea anima cupidissimè: Deus & Domine mi, ubi moraris? ubi te inveniam? ubi te quæram? Certè, Domine, aliquando, dum poteram egredi domo, te quærebam per angulos Ecclesiæ sancti Pauli, tandèmq; te in omnibus reperiebam. Hoc dicebam cum tanto affectu, ut deficerem viribus, videarq; mihi fuisse expiratura, nisi mihi Dominus responderet, quod ejusdem Majestas fecit quàm clementissimè, dixitque: Bene dicis Anima ubi me quæravisti, & invenisti: modò autè quære me in angulis tui pectoris. Quærebam Dominum intra meam animam, & in ejus recessibus, ac inveniebam: præsertim verò ipsum reperi in meo corde, ubi erat impressum sanctissimum nomen JESU. Tum dixi ad Dominum: Mi Deus, quàm sunt sordidi hi anguli meæ animæ! Et Divina Majestas mihi respondit: sum natus in stabulo, & jam assivevi hujusmodi angulis; tuo tamen corde magis delector.

Decimâ sextâ Aprilis manè habui quædam indicia, quòd mihi Deus præstare vellet aliquam gratiam, prout solet. Rogavi, ob meos timores ac desideria, nè errarem, summo affectu Dominum, ut mihi largiretur suum lumen, & inter alia dixi Ejus Majestati: Mi Deus & mi Domine, per pretiosissimum tuum mei causâ profusum san-

sanguinem, & per quinque vulnera tua, te oro, ut removes à me omne mendacium ac illusionem; da mihi tuum sanctissimum lumen, ut cognoscam tuas veritates, & non decipiar. Deinde, quia mihi videbar excessisse in eo, quod intensis affectibus postulaveram, prostravi me coram Deo, & petij ab illo veniam. Divina Majestas mihi dixit: surge Anima, quia me non offendisti. Tum elevavi oculos, & conspexi Jesum Christum Dominum nostrum affixum cruci: non vidi ipsius faciem, sed quasi latus, siquidem mihi eâ occasione fuisset difficillimum, ut potuissem percurrere intuendo totum Dominum, tam lamentabili specie præditum. Vidi præterea, ex pretiosissimis ejusdem quinq; vulneribus effluentes quinque copiosissimos rivus sanguinis, quem quinque Angeli excipiebant quinque admirandis vasibus. Domini mei Angeli me elevaverunt, & erigentes me in pedes, effuderunt super meum caput totumque corpus, illum pretiosissimum sanguinem, supponente quodam Angelo meis pedibus vas vacuum, in quo sanguis residuus colligeretur. Postquam igitur eo fuisset perfusa, & omnes meæ vestes, deducta fui à meis Dominis Angelis ad meum pauperem lectum, tota madafacta, ut me velut siccarem, resplendentibus instar auri meis vestibus, quibus me statim exuerunt, & fui induta veste albâ.

Postea vidi, à sanctis illis viris, Josepho & Nicodemo, refigi corpus Christi Domini, jam mortuû, à cruce, percussis clavorum cuspidibus, ut eximerentur, resonantibus quasi ictibus in meis auribus. Idem deposito eo sacro corpore ex cruce, extensum in grandi lapide, & mundatum unxerunt, ac involverunt candidissimo lintamine, collocatumque in quodam velut feretro mortuali, quod carebat tegumento, tulerunt in suis humeris ad sepulchrum, comitantibus illud multis Angelis, & sanctis mulieribus, aliisque discipulis Domini. Dei Genitricem non vidi. Passa fui extasim, in qua deploravi Dominum, quasi per quadraginta horas sepultum, & acsi eâ præterivissent, dum ad me sum reversa, inveni ejus Majestatem resuscitatam, instar

foliis miro modo resurgentem, & insistentem lapidi sepulchrali.

Paulò post vidi Ipsius Majestatem in meo cubiculo, eo habitu, quo post suam resurrectionem versabatur in terra, & dixit: Anima, visne mihi præbere cibum? Bene intellexi, Dominum loqui de cibo spirituali, & respondi ipsi: Mi Domine, quid ego habeo, quod tibi dare possim, cum cor meum sit immundum, & factum & corruptum? Dominus respondit dicendo: Omnino habes. Hæc differebam cum Domino, quando vidi, à nonnullis sanctis Angelis instrui parvam mentam, quæ erat longior quàm lata, protusque admirabilis. Texerunt illam mappâ albisimâ, & posuerunt mappulas manuales, & elegantissimas parvas patinas crystallinas, ac sellam ad caput mensæ pro Domino, cuius Majestas accessit, & decentissimâ gravitate assedit in sella. Ducta sum ad mensam summè erubescens, quasi ad partem inferiorem, è regione Domini. Angeli ceperunt adferre cibum mysticum in patinis, quas collocabant in mensa: Dominus aspiciebat edulia, ac delibabat, quæ oratione ostendebat sibi bene sapere, & Angeli indicabant, se plurimum gaudere, quòd ea Domino placerent. Tunc mihi Dominus dixit: hæc patina est unctio Monialium, quas mihi dedisti, & collocavisti in Ordine Religioso; hæc est aliquot puerorum, quibus prospexisti; ista est gravium afflictionum, quas sustinivisti: & dicebat Dominus plura similia. Ego plurimum obstupui, attribui mihi opera, quorum ipsemet Dominus fuerat author. Post hæc Dominus dixit: Jam Anima, tu me cibavisti ac refecisti: modò ego te volere facere. Et acceptam ad manum placentalam rotundam candidissimi panis, illius magnitudinis, cujus est parva hostia, mihi visus est consecrare, quam mihi porrexit sumendam pro Eucharistia. Atque revera sensi in ore naturalem eorum accidentium saporem. Postquam me Dominus refecit hoc sacro epulo, dixit: Veni mea Anima, inecum ad celestem patriam. Dixit me secum, & præsentavit Beatissimæ Trinitati, immersique me in illud Divinum

Esse, ubi mansi. Sit in perpetuum benedicta Divina Majestas.

Quemadmodum est de fide, quod operibus nostris insit valor & meritum, per sanguinem Redemptoris nostri & Domini Jesu Christi, ita figura balnei, quo id hic significatur, non solum est conformis modo loquendi Patrum, sed etiam sancti Joannis Evangelista in Apocalypsi dicentis, quod sancti in sanguine Agni laverint, & mundaverint stolas suas, Mensa mystica, que hic fuit instructa, est ea, quam pariter (ut nonnemo interpretatur) in Apo-

calypsi Christus promittit anime victrici, ubi ait, quod in eadem cena, ac ad eandem mensam anima Dominum, vicissimque Dominus animam sit cibaturus. Eodem namque tempore, quo anima realiter cibatur sacra Eucharistia, videtur Dominus pasce affectibus & virtutibus anima; estque communis SS. Patrum phrasia, & imprimis usitata in Canticis, ut affectus nostri virtuosus vocentur fructus maturi, & convivium, que Divina Majestati exhibentur.

—(*)—

CAPUT XVI.

Progreditur in recensendis, quæ similiter concernunt insignia merita, & gradus perfectionis, ad quos ipsius anima pervenit.

Non incipit magnus Deus noster & Dominus animam, fideliter sibi servientem, provehere ad perfectionem, ut sua ei cesset elargiri beneficentia: continuat illa quam liberalissime usque in finem. Et immensa ipsius bonitas, per ea que prestatit, se ad alia denique prestanda obstringit. Id, quoad præfens propositum, ex eo patebit, quod Divina Majestas suavissime liberalis, paulo post jam dicta, est operata in hac sua dilectissima famula, mense Maio ejusdem anni sexcentissimi vigesimi quinti, & ipsa nobis his verbis descripsit:

Die Dominicâ, decimâ octavâ Maij, ipso die Pentecostes, cum fuisset à Divina Majestate præmonita, quod mihi inter horam octavam & nonam matutinam, singularem esset præstitura gratiam, vidi multos Angelos commeantes velut inter cælum & terram, aptantes & exornantes totum illud spatium, quod replebant luce, & splendoribus aureis, eum in modum, quo, dum magnus quispiam Princeps est egressurus ex suo palatio, aut dum prodit sanctissimum Sacramentum sacro die Corporis Christi, mundantur, adornantur, & investuntur tapetibus viæ, ob reverentiam illius magni Domini illac transitori. Ita Angeli adaptabant, & replebant ornatu atque gloria illam viam, totum videli-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

cet spatium, quod mihi inter cælum ac terram patebat. Derepente cœpit exaudiri magnus strepitus, isque, licet sùavis & gratus, nonnihil tamen vehemens ac potens. Tum mihi isti mei Domini Angeli dixerunt: Veni nobiscum foror, quod te volumus ducere. Et non expectato ullo responso, in momento me perduxerunt ad amplum & spatiosam campum, ubi me incessit desiderium, ut illuc adducerem quosdam mihi notas personas, unam præsertim meam sociam, quam apprehenso ejusdem brachio trahebam, ut adesset ijs, quæ Deus facere volebat. Vidi in eo campo procul à me distitos multos diabolos (quos etiam pridie videram) qui inmanis rabie sese invicem dilaniabant, gravem aliquid præ se ferentes dolorem & afflictionem, quâ divexarentur.

Protinus cœpit è cœlo ros cadere, instar lenis & minutæ pluvie, qui invalescebat: incipiebat enim turbari aër cum nubi- bus, ingenti & procellosâ tempestate, ruente ex cœlo copiosâ grandine, quæ tota videbatur esse gemmâ: cotuscabant fulgura, perstringentia meos oculos, proximèq; attingentia meam faciem. Quamquam essem securissima, aliunde tamen eram quodammodo attonita, audiens totam illam tempestatem, vidensq; tantam grandinem, & alia, quæ in me ex cœlo de-

12

cide-

videbant, licet omnia essent pretiosissima & suavissima, magnoque me afficerent solatio. Interea super me ruit ex cœlo ingens globus velut igneus & aureus, vehementer accensus, statimque inter illam pretiosam grandinem, & cœlestem pluviam emicuerunt duo radij, alter aureus, alter argenteus, qui penetraverunt corda duarum mihi notarum personarum, ibi in spiritu præsentium, & super illam meam sociam etiam cecidit pars magna ejus divinæ pluvie, præcipue vero pretiosorum è cœlo ruentium lapidum. Istâ quasi tempestate finitâ, continuò fuerunt eâ vehementi commoti cœli, ut tota illa machina videretur discerpi, ruitura ad terram. Omnis ille tumultus & commotio significabat summam potentiam & majestatem Dei, qui juxta nostrum modum intelligendi, & sicut id Deus tunc manifestat, descendebat ad campum, in quo eram, infinitâ stipatus multitudine Angelorum. Ita se mihi exhibuit Divina Persona Spiritus Sancti, qui me sibi tam fortiter & arctè univit, ut nihil unquam simile sim expectata, quia mihi videor fuisse tota intimè intronisa in illud Divinum Esse, & in eam immensam ac incomprehensibilem profunditatem, ubi me sibi admirandâ & suavissimâ vi adstringebat. Dum ita essem constituta, exsolvit me, more nostro loquendi, tribus vicibus ex eo sacro nexu & unione, tamen nihilominus manerem in illa Divina Essentia, ut possem singulatim contemplari, & cognoscere ipsius infinitatem, immensitatem, & magnitudinem aliâque divina attributa Potentissimi illius Dei & Dominini nostri. Ibi videbam, possidebamque eas divitias, & pulchritudinem ac suavitatem, quod qualiter fiat, lingua nescit explicare, atque etiam anima vix novit concipere. Post aliquod tempus (quantum id fuerit, ignoro) me reperi in meo angulo, vehementer admirans, quæ ibi acciderant.

Manè die sequenti, quæ erat feria secunda, vidi quosdam Angelos, perambulantes illum campum, qui in calathos elegantes & pretiosos, colligebant delapsas ex cœlo gemmas, & uniones. Omnia e-

rant pulcherrima ac pretiosissima, & ego illis dicebam: Domini Angeli, date mihi quæ colligitis. Responderunt mihi: quid petis Anima? desiste à tua petitione: factum enim habes, satisque tibi datum est. Cogitavi, quid agerem, & videbatur mihi magna esse mea aviditas. Tandem vidi, quod ablatis duodecim quasi corbiculis, seu canistellis eorum thesaurorum, ascendit ad cœlum, obtulerintque illos Deo: qui sibi in ijs complacens mandavit, ut deferrentur in thesaurum Ecclesiæ. Benedictus sit Deus. Amen.

Similis præcedenti, & quamvis aque mysticus, attamen deliciosior est alius favor, quem illi in hoc genere Deus præstitit, viginti quartâ Julij, eodem anno sexcentesimo vigesimo quinto, & ipsa ita recenser.

Habui hodie, quæ aliàs habere solet, præsagia, præstandam mihi à Divina Majestate magnam aliquam gratiam, vidique derepente, parari à meis sanctis Angelis magnâ celeritate mensulam, eandemque nitidissimè instructam repleri odoratis floribus, & patinis variorum fructuum. Deinde vidi, quod ad mensulæ caput gravissima cum majestate assederit sacratissima Persona Spiritus Sancti, speciem generens humanam, in qua tamen erat observare illam subtilitatem, de qua aliàs dixi, ac diversitatem, quâ (& verò maximè) differt à corporibus, quæ assument sancti Angeli, & Animæ beatæ, ut converterentur cum hominibus. Siquidem umbratile corpus, in quo se Deus exhibet videndum, est absque comparatione subtilius ac delicatius. In eadem figura mihi etiam comparuerunt aliæ duæ Personæ, repræsentantes mihi modo quodam arcanissimo, sed apertissimo, dogma sanctæ Fidei, de unitate Essentiæ in Trinitate Personarum. In hoc tamen opere, quia Deus illud specialiter attribui voluit Spiritui Sancto, magis se manifestabat hæc Divina Persona, quàm reliquæ duæ. Interea meus sanctus Angelus Custos, & cæteri mei Domini Angeli, me exornaverunt ijs vestibus, quibus aliàs, & abductam ex eo loco, in quo eram, collocaverunt ad mensam, è regione illius Divini ac Adorandi Spiritus, qui arreptos man-

manibus flores, superpositos mensæ, olfaciebat, & acie magnam ijs inesse adverte-
ret fragrantiam, aiebat: Oh speciosos flo-
res! quàm gratioſo me afflant odore! Et
accepto postea quodam fructu, applicatô-
que labijs, dicebat: Quàm pulcher fru-
ctus! quàm grati est saporis! Hæc verba
Dominus proferebat, ostendens, magni à
se fieri eos flores & fructus, qui (licet id
non absque magno rubore, & verecun-
dia mea dicam) significabant exigua
quædam obsequia, quæ sibi à me exhibita
Dominus dignabatur acceptare. Tum, ut
multis me cumulet gratijs, dixit: quan-
doquidem mihi tu tam svaves proposuisti
flores, adeoque delicatos fructus, etiam
ego tibi volo gratificari. Et apprehensâ
pretiosâ patinâ, imposuit in illam præstan-
tissima dona, ac elegantissima cimelia:
cùmque ego mirarer, videns tam magnû,
tamque pretiosum thesaurum, dixit mihi
Divina Majestas: Adverte Anima, sicut
dum in terra Pater aliquis magnâ suâ dili-
gentiâ & sollicitudine congregat multas o-
pes, & constituto inde fideicommissio illas
attribuit filio majori natu, præ cæteris cha-
ro, ita ut ijs fruatur, prospiciendo sibi de
splendido victu & amictu, cui commen-
dat reliquos minores natu fratres, ut ex
earum facultatum residuo, illis submini-
stret alimenta, vestes & vitæ necessaria:
ita ego tibi liberaliter impertior hæc bo-
na, ut diteris, eadèmq; dispertiaris inter
omnes tuos amicos. Cùm autem agerem
gratias pro tam specialibus donis, existi-
mans, mihi qualecunque abundè suffectu-
rum, tamen foret minimum, adjecit Di-
vina Majestas dicendo: Quando magnus
Princeps in terra init matrimonium, ad-
jecit Divina Majestas dicendo: Quando
magnus Princeps in terra init matrimoni-
um, non acquiescit, postquam suæ sponsæ
moderata quædam donavit cimelia, &
quadantenus splendida vestimenta, &
jubet illi fieri modò hanc, modò aliam ele-
gantem vestem, donatque ipsi diversa pre-
tiosa ornamenta: ita me ego erga te volo
exhibere liberalem, nullos meis beneficiis
limites præfigendo. Deinde sancti Angeli
collocaverunt eam patinam coram reli-

quis duabus Personis, quæ se mihi minus
manifestabant, & singulæ in illam etiam
tam multos congesserunt thesauros, ut
sint ineffabiles: neque enim, quantum a-
nimæ apparet, ea illorum erat copia, quæ
hic esse consuevit, sed sine comparatione
major. Tum quatuor sancti Angeli, acce-
pto eleganti velo, cujus singulos angulos
singuli apprehenderant, cooperuerunt eo
patinam, quam tulerunt ad me, replentes
me ijs pretiosis bonis. Interea Dominus
surrexit, & cùm mea anima absentiam i-
psius ægrè ferret, optaretque illum sequi,
mandavit Ejus Majestas meis Dominis
Angelis, ut me ducerent ad cælum. Quo
facto, mansi in illo Trino & Uno Domi-
no, arctissimè ipsi unita, donec mihi red-
dita, me reperi in meo angulo. Deus sit
benedictus. Amen.

*Licet articulus sit fidei, unam eandemque
esse operationem trium Divinarum Persona-
rum, quidquid Deus extra se operetur, & qua-
cunque bona communet animæ: nihilominus
in his imaginarijs visionibus, ut sage alius vi-
dimus, deincepsque videbimus, solent singula
Divina Persona representari operantes seorsim,
& communicantes sua specialia dona, ut
nobis Deus significet, quàm verè ipsius Eccle-
sia nonnullos effectus, quos novit esse commu-
nes & indivisos ejusdem Dei, attribuat, certâ
quadam conformitate & similitudine, uni Di-
vine Personæ; alios autem alteri: velut effe-
ctus potentia Patri, scientia Filio, amoris spi-
ritus Sancto. Multo posterius aliam à Deo,
famula ipsius, majorem ejusdem generis grati-
am obtinuit, ut intelligeret, in quo gradu sua
esset anima constituta, quanquam ea corpori
multis constiterit doloribus (qua de re alias di-
ctum est) quibus fuit oppressum. Ad singu-
larem insuper præsens beneficium excitabit
admirationem piæ animas, quæ id legerint,
quando illum Dominum Majestatis, qui nullo
negotio providere potest pauperibus, quibus
vult subvenire, adeo aliunde in sua gubernatione
animadvertent esse suavem, ut videatur
quasi studiosè exquisivisse vias, quibus per
hanc Virginem, tempore famis, succurreretur
quibusdam pauperibus, ac si humanis indige-
ret instrumentis, ad exequendum, quod facere
decevit. Conscripsit ipsa casum, ut sequitur.*

Mea quædam socia, & ego diu coram Deo deliberamus, essetne conveniens, eo anno, ob quasdam rationes id svadentes, plus in domuncula nostra remanere tritici, quam præcisè opus foret pro alenda familia. Interea mea anima fuit abrepta in suum Deum, cujus Majestas modo gravissimo & sublimi (ac tali, ut eo ipso multa, nisi fallor, significarentur) mihi dixit: Adverte, congrega quantum poteris tritici, singula namque grana erunt valde proficua, quia ego illa supra modum multiplicabo, in remedium necessitatum. Mea anima fuit his verbis auditis vehementer turbata, & dixi Divinæ Majestati: Mi Deus, & mi Domine, considera id, per temetipsum te oro: siquidem ingens videtur oriturum scandalum, si occurrente occasione innotescat, à me hanc tritici copiam fuisse accumulata, cum habeat pro paupere. Res hæc tuum concernit honorem & gloriam; nam honoris mei, prout scis, nullam gero curam, quem tibi quam libentissimè offero. Divina Majestas prædicto modo respondit, dicendo: Noli hac de re sollicitari, & confide mihi. Ego ita fui comparata, ut nesciverim desistere à replicando, & interrogavi: Quomodo fiet istud? quomodo faciendum est, cum annexas habeat dictas difficultates? Non interroga me amplius, agebat Dominus, fac quod dixi. Mea anima fuit affligta, quamvis resignata in Divinam voluntatem. Dico autem (nescio, an, ut me ipsam consolet, quanquam loquar vera) sæpe à Domino Deo intimari animæ, ut aliquid faciat, quod discrepat à legibus ordinariis, & ejusdem animæ propensione, ad probandam ipsius humilitatem, resignationem, fidem & fiduciam. Dum ita essem perplexa, & consuetis meis angerer timoribus, obversabatur meæ animæ occulta quædam cogitatio, & quasi eminus adveniens reflexio; fueritne tamen Deus, qui mihi id dixerit? At tamen dubitare non poteram, quin ipse mihi sit locutus. Hac occasione dæmon me est conatus intricare, eo duntaxat fine, nè illi veritati fidem adhiberem. Verùm mea anima id bene agnovit, quidquid ab ipso simularetur, i-

deoque abscessit. Tum mihi Dominus dixit: bene dæmonem agnovisti; agnosce & me, quandoquidem te illumino, ut familia discernas. Tenebar nihilominus adhuc desiderio rogandi Deum, ut hæc res, si foret ipsius voluntas, non ageretur serio, sed esset experimentum, quò memet agnoscerem, totamque ipsi committerem. Divina Majestas exequatur in sua indigna ancilla, quidquid conforme fuerit ejusdem voluntati & beneplacito.

Sequenti postea nocte Deus idem repetivit, dicendo: Congere, quantumcumque poteris, pro pauperum necessitatibus. Atque dum considerarem, & propter meos timores (qui esse videntur nimii), sicut mihi Divina Majestas significavit, & meo Confessarij multoties dixerunt) cum anima mea iniret rationem, quam esset certum, id à Deo dici, deprehendebam aliquo dubio, verè ita se rem habere, adeo ut, si à me exigeretur juramentum, omnia esse vera jurarem, quantum quidem intellectus meus à DEO illuminatus, poterat judicare. Et tamen aliquid senti difficultatis in petenda elemosyna, quanquam ad eam petendam essem prompta. DEUS nihilominus me hæcenus non reprehendebat ob hanc meam tergiversationem, nec me aliquantum, & svaviter, ob excessum meorum timorum redarguit.

Post hoc, dum more consueti agerem cum DEO, invasit me quoddam delirium, modo mihi patum usitato, ut viderem & intelligerem, quam rem occuparet superior pars meæ animæ, & quali à Divina Majestate distineretur obsequio: siquidem illam, post aliquot admirabiles ascensus, animadvertēbam esse quasi procul à me abstractam in suum magnam DEUM, & in eam Divinam caliginem, ubi quam secretissimè cognoscebat & amabat illam gloriam, eaque fruebatur. Id quidem percipiebam confusè, non autem videbam distinctè, quid ageretur: atque hoc fuisse videtur, quod tum cognoscere optabam. Eveniebat mihi, exempli causa, quod viro cuiquam nobili, qui, postquam dilecto suo filio, deducto ad aulam prospexit de officio in palatio, & procurator

vit conspicuum in obsequio Regis gradū, revertitur contentissimus in suam patriam, gaudens relinqui à se filium tam bene, & in gradu tam proficuo collocatum: licetque careat ipsius conspectu, solatur se tamen verā & fideli notitiā, quam habet, quod juvenis non solum serviat Regi, sed etiam ejusdem protectione fruatur, & gratiā. Talis autem Parens etiam si id sciat absens indistinctè, vivatque plenus solatio, quando interdum recordatur sui filij, nequit tamen, quaptumcunque desideret, scire, quali negotio & obsequio speciatim eo tempore occupetur, inserviēdo Regi: an videlicet ipsi ministret assidenti mensæ, an illum comitetur, an operam navet eidem induendo, aut recreando, vel aliud simile præster servitium. Ignoro, utrum ista comparatio sit alicujus momenti, quia, cum mysterium sit arcanissimum, nec scio, neque possum me explicare, sicut vellem.

Hanc itaque in modum propendebam ad sciendum, quid tum ageret superior pars meæ animæ, quando audivi Dominū mihi dicentem: Anima quid vis, ac desideras? Adverte, non suffecturas tibi vires, ad sustinendum tantum lumen, quanto indiges, ut videas, quod optas. Meus affectus fuit auctus, & respondi avidè: Omnino, sustinebo illud, adjuvante tuā gratiā. Animadverte, iteratò dixit Dominus, te non fore sufficientem ei ferendo. Utur sit, ajebam, quamvis non sim sufficiens, mi Deus, fac mihi istam gratiam. Tum Divina illa Majestas patefecit ingens fulgur luminis, quod propter ipsius magnitudinem vocavi inaccessibleē (& nihilominus nescio, quid hæc vox *inaccessibile* significet) vidique, eam partem superiorem meæ animæ ardere, ac totam penetrari ab eo lumine inaccessiblei, esseque in illud quasi transformatam. Deinde ipsam etiam conspexi intra intima penetralia & profunditatem Divinæ Essentiæ, ubi illi Deus altissimas communicabat cognitiones, de suis Divinis perfectionibus, de sua æternitate, omnipotentia, & sapientia, adeo ut mea indigna & pauper anima videretur spatari intra suam DEUM, sicut piscis pertransit, & liberè percurrit aquas, quousque potest

pertingere (nequit autem unquam omnes permeare) intra fluvium, in quo progignitur. Taliter constituta fuerit eo circiter temporis spatio, quo ter dici posset symbolum Apostolorum, donec penitus perditā & submersā in illo immenso mari Divinæ Essentiæ, cum obtinuit statum, in quo, per Divinam misericordiam, plerumque esse consuevit. Ex ista cæcitate remanserunt in paupere corpusculo molestissimi effectus: siquidem mihi ita intumuit pectus & stomachus, ut ipsa quoque ossa perciperent dolorem. Fui vehementer afflictus, & graves sum passa dolores totā die, atque, opinione meā, non sine indicij lethalibus: quia tamen necdum advenerat hora mea, intra quinque aut sex horas præterite acerrimum hoc tormentum, in quo me existimabam expiraturam: per intergrum nihilominus diem magnos sustinui cruciatus. Gratias ago DEO, qui semper sit benedictus, & impleatur in me sanctissima ipsius voluntas. Amen.

Cum hæc Virgo ad tam sublimem erecta gradum viderit suam animam, miram non est, quod desideraverit, ipsam jam prorsus à carcere corporis videre absolutam, ut plene finiretur bonis, ad quæ anhelabat. Deus tamen, volens ipsius perfectionem adhuc alius progredi, confortando ejusdem naturam, contra tam vehementes impetus spiritus, & milenos alios dolores ac afflictiones, extraheret illius vitam, quoadusque suis passibus impletet cumulum meriti, ad quem ab æterno fuerat prædestinata. Id quod ipsa breviter adnotavit in scheda scripta undecimâ Augusti, anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, cujus hæc sunt verba:

Undecimâ hujus, dum ægerimè haberem, & gravissimos paterer dolores, videbatur mihi anima, modo spiritualissimo, & quem explicare nescio, egredi per oculos, nares, & os, ac si separaretur à corpore. Quomocunque demum fuerit constituta, abivit ad cælestem patriam, comparuitque coram Majestate Domini DEI nostri. Fui benignè excepta ab hoc magno Domino, qui mihi dixit: Bene veneris Anima, nonne venis ad capiendam possessionem æterni domicilij, quod perpetuo

tuò inhabitabis: Ita, mi Domine, dixi ego, ideòque jam statim hęc vellem manere. Nequaquam, respondit Dominus, modò non convenit: verùm servi, sicut fecit Jacob, septem annis pro formosa Rachele, atq; nunc adjuva tuam imbecilem ac debilitatam fororem. Noluit DEUS dicere (quod mihi tamen fuit clarissimè significatum) me victuram septem annis, sed solum eà est usus comparatione, quòd tempus ac servitium respondere deberet præmio à me expetito, utque nunc anima terret opem corpori, quã indigebat. Gratia reddantur DEO, qui sit benedictus. Amē.

Finem capiti huic impono, adnectendo singularem gratiam ipsi à DEO præstitam, in qua videtur compendium contineri omnium, que de illius perfectione dici possunt, quando ipsi DEUS concessit, ut in omnibus rebus se conformaret divino ejusdem beneplacito. Istud evenit in Januario, anno millesimo sexcentesimo vigesimo nono, & refertur ab illa his verbis.

Agebam instanter cum DEO, abrepta à vehementibus affectibus, & ardentibus desiderijs, ut me in omnibus rebus conformarem sanctissimæ ejus voluntati: videbar mihi confecti, & dixi Divinæ Majestati, toto conatu meæ animæ, intimèq; sentiendo, me dicere verum: Mi DEUS, si tota terra, & cælum, etiãque ipsius gloria foret mea, omnia tibi darem, & ex toto corde meo, modò tu mihi largireris, ut id unum assequer, quòd in omnibus implerem tuam voluntatem. Hoc animo meo agitabam magno fervore, quando juxta me conspexi sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, quo fui multùm recreata, dixique illi: Sancte Pater, audivistine, quid dixerim? Omnino Anima, bene audivi, respondit Sanctus. Roga igitur DEUM,

& ora quàm impensissimè, ut tibi concedat, quod ab eo peto. Sanctus elevavit oculos ad cælum junctis manibus, petivitque id à DEO. Mihi, pro mea illa aviditate, petitio Sancti videbatur minus fervens, & dixi: Sancte Pater, ora DEUM quàm instantissimè, quod si non feceris, rogabo hos meos Dominos Angelos, ut ipsi orent. Tum vidi meum DEUM, qui mihi amantissimè & benignissimè dixit: Certè Anima, placuisti mihi, & satisfacisti plurimum tuâ oblatione, ac precibus. Accepto, quod mihi offers, ac mihi id re ipsã dares, & verè tibi dico, me annuere tuæ petitioni, ut omnia agas conformiter meæ voluntati. Obstupui mensam magni hujus Domini bonitatem, audiens hæc ab eo dici, & aspiciens Patrem Ludovicum de Ponte, dixi illi: Sancte Pater, animadvertistine magnam DEI bonitatem?

Paulò post mihi dixit Dominus: Anima veni mecum, ascende hæc. Erat ibi quoddam quasi sustentaculum, cujus est usus in scalis loco fulcri, protensum usque ad cælum; nõ aderant tamen scalæ, ideoque respondi: Hæc mi Domine, non potero ascendere. Omnino poteris, agebat Dominus, ascende. Reposui: non video, quã viã. Tum quidam Angelus DEI mihi dixit: Angelis suis DEVS mandavit ut in manibus portabunt te. Et absque mora suppositis meis pedibus volam suæ manibus, tulitque me ad cælum, innitentem dicto sustentaculo. Ibi me sibi DEUS tribus vicibus univit (quia subinde aliquantum quodammodo egrediebar ex ea divina abyssu) donec illic perditam me repertum meo angulo. Laudetur DEUS in æternum. Amen.



CAPUT XVII.

De admirandis quibusdam ipsius eventibus, dum ascenderet ad cælestem Patriam.



Vanquam in reliquis omnibus materijs, quas antehac pertractavimus, jam viderimus, hanc purissimam Virginem plerosque

divinos favores, à munificentia magni DEI nostri & Domini obtinuisse, quando ipsa anima (atque interdum etiam corpus, sicut superius diximus) ad cælestem rapiebatur Patriam.

riam: visum mihi nihilominus est, convenire, ut seorsim per aliquot capita referam quosdam ejusdem admirabiles ascensus, ad beatum illum montem, ubi triumphat Civitas Dei, in quantum in his clarius exprimentur afflictiones ac dolores, quibus gravabatur, & meritum, quod is si inde augetur (que est materia presentis nostræ descriptionis) dum illi has Deus gratias conferret. Residui alij ascensus similes, commodioribus alijs interserentur locis, pro diversitate argumentorum, que pertractabimus. Quem nunc describo, accidit sub finem Februarij, anno sexcentesimo vigesimo quarto, paucissimis diebus ab obitu sancti Patris Ludovici de Ponte. Id ipsa sic narrat:

A multis diebus patior gravissimos & exorbitantes dolores, in omnibus præcipuis miserabilis corporis membris, ortos ex eo mysterio, quod in alia charta fusè descripti, quando Delicium nostrum Christus Dominus, affixus cruci, mihi eo modo, cujus mea imbecillitas & exiguitas erat capax, & qui illi placuit, tormenta communicavit ac dolores suæ sacratissimæ Passionis. Dum igitur in asperitate hujus crucis veritater, multumque affligerer, vidi Dominum, qui mihi peramanter & benignè dixit: Creatura & Anima mea, si forem capax commiserationis & afflictionis, haberem illam, quia à te video tolerari istam crucem, in qua te constitui: quod quidem facio ad majus tuum bonum, & gloriam meam. Ideò nunc modicum in me quiesce, & conscende gradus illius mysticæ scalæ, quam ibi videbis, atque ingredi in meam cælestem civitatem. Hæc divina verba me ingenti repleverunt solatio. Vidi scalam, & cucurri ad illam quam celerrimè; cæpi velociter ascendere, fuitque tanta, nescio quomodo, mea festinatio, ut non observarem, an me comitarentur, necne, mei Domini Angeli. Pervenii cum eodem affectu usque ad summitatem scalæ, & cum vellem ingredi portam cælestis Jerosolymæ, occurrit mihi Angelus, unus ex principalioribus, & magnæ autoritatis, qui me detinens, vultu ad majestatem composito, mihi dixit: siste anima, quò pergis tam festinanter, & cur? quid vis? Audiendo hæc verba, quæ

Vita Mar. de Escob. Pars II.

mihi magnâ gravitate, & imperiosè dixit sanctus Angelus, sui quasi turbata, ac tota meticulosa respondi, prout potui, dicens illi: Domine Angele, ego huc veni jussu Domini Majestatis, permittite me in nomine ipsius intrare. Tum ille eodem modo, quo antea: Quâ ratione tu vis, inquit, ut tibi credam, verum esse, quod dicis: quale signum, aut quod nuntium adfers à Domino, ut te intromittam, sinamque ingredi in hanc cælestem Patriam, quam nulla creatura in carne mortali vivens potest introire? Fui propterea magis turbata, & confusa, quàm initio. Lustravi meas manus, & pectus, an aliquid in hoc, aut in illis adferrem: cumque nihil penitus viderem, perplexa verecundabar. Aspexi me iterum, & vidi, me habere manibus & pectori inscriptum manu Dei, literis autem, mandatum, ut permitterer intrare. Læta idcirco, & plena solatio, dixi illi cælesti Janitori: Domine Angele, aspice meas manus & pectus, ubi gero facultatem mihi datam à Domino Majestatis, estque ipsius privilegium: permittite me ingredi amore hujus Dei. Tum ille quodammodo admirabundus, considerando quod videbat, sibi que in eo complacendo, statim dixit: Bene est Anima, optimas adfers commendatitias, ingredi cum benedictione Dei. Ita me admisit, & ingressa sum subito, quò desiderabam.

Vix intraveram cælestem Jerosolymam, quando me vidi circumdatam ab omnibus illis meis Dominis Angelis, commorantibus in meo cubiculo. Obstupecebam, & eram attonita, contemplando gloriam, & pulchritudinem illius loci. Circumspiciebam quaqua versum, videbâmq; multos Angelos, & fortunatos spiritus, atque à DEO illuminata cognoscebam, quomodo ipsos Divina Majestas sui visione redderet beatos. Tunc mei Domini Angeli ad me accedentes mihi dixerunt: Anima, hic tibi manendum non est, oportet te ad alium locum hujus Civitatis Dei progredi, sicut mandavit Dominus. Mei Domini, ajebam, ego locorum istorum non habeo notitiam, nec scio, quâ mihi sit eundum. Veni nobiscum, dixerunt ipsi,

K

duce-

ducemusque te, quò convenit: sumus enim harum viarum periti, habemusque illas perspectas. Atque de repente fuit mea anima ducta ab his meis Dominis quadam viâ planâ, quæ tota apparebat abundans gloriâ. Inde me eduxerunt per quosdam gradus ad immensam altitudinem, ubi videbatur habitare, & quasi residere Majestas Dei Domini nostri, & totius Beatissimæ Trinitatis. Ibi fui prostrata coram hoc magno Domino, in quo situ diu permansi. Deinde sum elevata, & cum omni ex parte perlustrarem illas altitudines immensas, ubi omnia erant Deus, & amplius Deus, nihil præterea aliud videbam, nec Angelos, neque Animas beatas. Rapta fui in ecstaticum quendam stuporem. Postea defixis oculis intellectus (quem Deus suo lumine replebat) in eo Divino Esse, & in Beatissima Trinitate, vidi, & cognovi illud sacratissimum Mysterium, atque quomodo Sacratissima Persona Patris, intelligendo & cõprehendendo seipsû, producat Conceptum ac Verbum mentis; & hoc Verbum æternum, seu Conceptus sit, voceturque Persona unigeniti ipsius Filij. Vidi, qualiter hæc duæ Personæ, se amando producant Amorem, & hic Amor productus sit, ac vocetur Persona Spiritus Sancti, sintque tres Personæ distinctæ, & unum tantum Deus, una Divina Essentia. Hunc in modum sui bono temporis spatio constituta: & cum Deus alio me, atque sublimiore lumine illustraret, cognovi, quâ ratione ille Triunus Deus, ob suam immensam magnitudinem sit incomprehensibilis, quòdque à nulla creatura possit concipi, & plenè cognosci; ipsæmet tamen Deus suâ sapientiâ & magnitudine se comprehendat, habeâtque intra suum Divinum Esse venam suæ gloriæ, ita ut idcirco nullâ indigeat creaturâ. Id significabatur eò modo solitarij secessus ab omnibus creaturis cœlestibus, in quo degebat illa summa Majestas, prout se mihi tunc repræsentabat. Hæc omnia cognoscebam tam clarè, ut mihi verba non suppetant, quibus ea possint explicari. Inter has divinas illustrationes ita eram abrepta, ut nec de me quidquam scirem, neque me

agnoscerem. Tum me Dominus archangelicum unione univit.

Quando ad me redivi, apprehenderunt me suis brachijs mei Domini Angeli, atque coopertam splendidissimo velo deduxerunt, quasi non advertentem, per gradus, quibus ascenderam, & postquam me constituerunt in eo primo loco, in quo fueram, quando sum ingressa illam Civitatem Dei, spoliaverunt me velo, quo me contexerant. Lustravi undique, sicut antea, totum illum locum, & cognovi, quomodo omnes illi Angeli & Beati viderent Deum, eòque fruerentur, juxta diversitatem meritum, quæ ipsis divina gratia liberalissimè communicaverat, quin tamen ullus comprehenderet infinitum illud Esse Dei. Deinde, licet manerem in eo raptu, mea anima aspexit se ipsam, viditque se totam accensam, & penetratam à quodam divino igne, instar ferri, quod ex fabri fornice extractum, quamvis naturam retineat ferri, speciem nihilominus & effectus habet ignis. Videns me ita constitutam, pulsa fui spirituale deliquium, quasi deficiens viribus. Tunc me Domini mei Angeli denudè texerunt illo velo mystico, per quod videbatur promicare ignis, & radij lucis, sublatamque rursus ad sua brachia, posuerunt in meo angulo, me propemodum insensiente, auferentes mihi ibidem iterum illud velum. Totum hoc mysterium me tam profundâ affecte admiratione, ut ed aliquot diebus durante, perquam difficulter ad me reverti potuerim.

Quinque aut sex diebus post, præstitit Divina Majestas aliam magnam meæ animæ misericordiam, similem ei, quam reperi, etsi diversus fuerit illius modus, habueritque alias nonnullas circumstantias, quas, nè me hic magis diffundam, & quæ jam alibi descriptæ fuerunt, prætermittam. Adde solum, me tum ita fuisse submersam in immenso mari Divini Esse, ut multis diebus ad me redire nequiverim.

Uno horum dierum, post sacram Communionem, se mea anima in momento temporis deprehendit, quasi induram sensu Christo Domino nostro, fuitque ipsi communicata, quantum exigua mica ferre

bat capacitas, & debilis natura, virtus Divina, unâ cum doloribus, quos idem Dominus in sacratissimo suo capite, pectore & humeris sustinuit. Sic multis diebus fui constituta. Benedictus sit Deus in æternum: ipse novit meam verecundiam, quâ, ut obtemperem meo Confessario, ista refero. Fiat sanctissima illius voluntas.

Ad finem hujus chartæ fuit adscripta manu Confessarij ipsius, Patris Michaëlis de Orenja, velut explicatio, quam audierat ex ore sanctæ Virginis: licentiam videlicet, quam in manibus & pectore gerunt Anima justæ, ut ingrediantur in ea æterna habitacula, habeantque conversationem suam in celo, esse opera virtutum, & charitatis, atque affectus amoris, conjunctas ardentibus, placendi quàm perfectissimè magno Deo nostro & Domino, desiderijs.

Atrocissimi fuerunt dolores & cruciatus, quos ista famula Dei hoc tempore toleravit, quia nempe illi porrigebatur bibenda portio, ex Calice Passionis Christi Domini. Ingenti ringebatur invidia diabolus, dum ipsam ita videbat constitutam: major tamen erat animus, quo illa patiebat, & suavissima complacencia, quâ Deus, acceptando ipsius sacrificium, eam quandoque consolabatur. Patebit hoc ex eo, quod eodem tempore, eademque occasione evenit, & sic ab illa, paulo post modo dicta, refertur.

Verfanti mihi in dolorum meorum & tormentorū ardenti fornace, indidit Deus ferventissima intensorum actuum resignationis desideria, utque me totam, & in perpetuum subjicerem sanctissimæ ipsius voluntati. Obfistebat illis diabolus, crudeliter me oppugnando, suggerens mihi, me non posse tam multum præstare. Scisne verò tu, ajebat, an non Deus velit, ut hoc modo diu patiaris? quid si illi placeret, ut in æternum? Id ipse optimè sciet, poteritque efficere, tu autem non poteris sustinere. Et inculcabat mihi multa alia ad idem propositum, quæ me vehementer vexabant & angebant. Resistebam illi & repugnabam, iterando magna cum difficultate & molestia meos actus resignationis. Dum id agerem, fui ducta à meis Dominis Angelis ad cælum, ubi provoluta

Vita Mar. de Escob, Pars II.

in genua coram illius magni Trinius Dei Majestate, circumdata ab ipsidem meis Dominis Angelis, qui me adduxerant, & adstante mihi sacratissimâ Virgine Dominâ nostrâ, præsentem totâ Curia cælesti Angelorum & Sanctorum, elicui ferventissimū actum resignationis in voluntatem Dei, quo ipsi obtuli sanitatem, vitam, corpus, animam, ac voluntatem, & quidquid aliud haberem: specialissimè verò me præptam exhibui quoad meos dolores & afflictiones, eaturndemque durationem, desiderans toto animo in his omnibus divinum beneplacitum, etiam si Divina Majestas vellet, ut hi mei cruciatus, in summo suo rigore, durarent in æternum. Omnia ista, quàm optimè sciebam, proposui & suscepi. Post hunc actum mei Domini Angeli me prostraverunt humi in co cælo, texeruntque pretioso panno aureo & nigro. Pulsatæ fuerunt campanæ, quarum sonus, licet agnoscerem easdem quasi in signū funeris pulsari, referebat jucundam & suavissimam musicam. Finito hoc pulsū, fui discooperata, & postquam mihi benignissimus Dominus imperitū est istam benedictionem, reducta sum ad meum angellum. Benedictus sit Deus. Amen.

Deinde trigesima Martyj ejusdem anni, recensendo specialiter aliud quoddam genus tormentorum, quibus fuit afflicta à demonibus, & gratiam sibi à Deo præstitam, sic ait.

Per sex Quadragesimæ hebdomades, gravissimos sum passa dolores, & extraordinarios dolores, atque martyria tam terribilia, ut, quando nunc illorum reminiscor, existimem, mihi impossibile fore, ut ea rursum salvâ vitâ sustinerem: omnia verò proveniebant à diabolo, quia illi Deus indulserat, ut me non aliter exerce-ret ac Jobum, sicut ipse diabolus minas mihi intentando est falsus. Cùmque ego ipsum appellarem, patrem mendaciorum, & irriderem, respondit mihi: Non credis mihi, videbis id autem. Quod revera sum experta, etiâque ij, qui mihi aderant, ad me curandam & consolandam, adverte-runt, ideòque vices meas dolebant. Affligabar verò tunc, diseruciabar, sentiebâ-mque ingentem internam angustiam, & tri-

stissimam solitudinem, quoad operationes divinas. Quando enim hæc fiebant, licet superior pars meæ animæ semper sit suo Deo unita; inferior tamen illius portio, natura, & ejus potentiæ patiebantur derelictiones, tantumque in ipsis remanebant quædam desideria continuæ in Dei voluntatem resignationis, quod equidem durantibus his afflictionibus facere conabar. Sic se res habebat, quando ex consuetis mihi signis animadverti, Deum mihi velle extraordinariam aliquam exhibere misericordiam, sicut antehac erat solitus. Et re ipsâ me id affligebat (nam quæ ipsius est bonitas, bene mecum agitur, dum amore ipsius patior) conabaturque me abstrahere, ne attenderem prodentibus se indicis consolationis.

Hodiernâ tamen die, quæ est Sabbathi, trigessimâ hujus, priusquam diesceret, adverti, quod mei Domini Angeli, qui incolunt aulam auream, referant illius januam, & omnes quatuor confidentes in quodam velut scamno, Angelus autem *Minor* in sella, quæ tantummodo habebat reclinatorium dorsi; illi instrumentis aliis musicis, hic verò tibiâ, inceperint personare, & canere laudes Dei, insumentes aliquam textus partem in eo specialiter laudando, ob victoriam, quam ipso concedente, his diebus retuleram de diabolo. Tum reliqui mei Domini Angeli, commorantes in meo cubiculo, tractando sua instrumenta, cantumque suo concordando cum alijs existentibus in aula, formaverunt suum chorum, sibi que tanquam alternatim utrinque respondentes, continuaverunt diu musicam, quæ supra omnem modum erat savis, admirabilis, & divina. Eâ absolutâ accessit ad me sanctus meus Angelus Custos, cum suis quinque socijs, & dixerunt mihi: Soror, Dominus tibi vult gratificari, dispone te. Insonuit interea grandis in cælo strepitus, & hi mei Domini subjunxerunt: soror, Divinus Sponsus venit, ad invisendam suam sponsam. Ego fui afflictâ, dixique: Absit, mei Domini: necesse est ut me abstraham, sum namque maxima peccatrix, & miserabilis, indigna tantâ misericordiâ. Optimè mihi est in

meo simeto, ubi me Dominus his diebus collocavit: non est, ut de hac te agatur. Talis erat quoad hoc meus affectus, ut multa hujusmodi verba ingeminarem, neque mihi id finem persuaderi. Nôta verò, soror, responderunt ipsi, debes velle, quod vult Deus, & exequi ejus voluntatem? Permite Deum in te agere, quod illi placuerit. Hoc audito, me resignavi in Dei voluntatem, quamvis retinuerim semper nescio quid repugnantia.

Eo momento viçi in porta cæli terrarium, quod videbatur occupare universum mundum, & intra illud sacratissimam Personam Spiritus Sancti, absque figura, seu specie imaginaria, sed quasi totam quadam Divinâ caligine, circumdatam à millenis Angelis, progredientem ad me. Pervenit ad meum cubiculum, cum summa autoritate & majestate, resonante dulcissimâ musicâ illorum cælestium Angelorum. Eâ præsentem omnes mei Domini Angeli, sepositis instrumentis, quæ manibus tractabant, se prostraverunt humi, ipsamque adoraverunt: & rursum allagentes, profecuti sunt stando priorem musicam. Ego ceppi timere & formidare; Divinus autem ille Dominus arcantissimo & spiritualissimo modo ad me accessit, elevavitque me modicum ex meo loco, dicendo mihi, me quidem esse promptam ad parendum, non tamen sine aliqua repugnantia, atque ita me reliquit. Accessit Eiusdem Majestas secundò, iterumque me paululum elevavit, & statim recessit. Cumque me jam plenè resignatum videret in divinum suum beneplacitum, accessit tertio, & elevavit me, secumque univè ac duxit ad cælestem Jerosolimam, unicum omnibus sanctis Angelis. Ibi in reperi coram Beatissima Trinitate, & in eo ipso loco, ubi superior pars meæ animæ solet morari. Hic mihi peramanter & benignè dixit Pater æternus: Bene veneris, mea; & Verbum æternum mihi dixit: bene veneris amica mea; atque Spiritus Sanctus: bene veneris sponsa mea. Cape possessionem beatitudinis, quâ in æternum perfrueris. Nequit humana lingua explicari, qualia sint ea bona, quæ tibi vidi, &

quibus sum fructa eo modo, quo possibile est ijs frui in hac vita mortali. Hæc visio & fructio exiguo duravit tempore. Deinde me Divinus Spiritus tertio sibi univit, sicut prius, deduxitque ad meum locum; & postquam huc perveni, impertiendo mihi suam benedictionem dixit: Benedicta sis à Patre & Filio, atque à me tu, & omnia, quæ in te habes, & supra te. Habebam prorsus fortuito supra lectum quædam corollas precatorias, & Ipsius Majestas illas specialiter benedixit. Rapta sum in ecstasim, & quando ad me redij, mysterium erat finitum. Laudent hunc magnū Dominum universæ creaturæ. Amen.

Qualis hæc sit aula aerea, & qui sancti Angeli, in illa commorantes, fuisse sicut narratum in prima parte. Post hunc, & præcedentem ascensum, ubi insinuat, quid hæc admirabilis Virgo sit passâ à demone, visum mihi est, referre illum, in quo Regina cæli, Dei Genitrix, & Domina nostra ipsi contulit potens contra communem hunc hostem tutamen. Effluxerant duo menses, & amplius, post prædicta, quando id evenit (utpote in Junio ejusdem anni) ideòque dilatis aliò alijs intermedijs visionibus & ascensibus, existima hæc magis facere ad propositum contextus, quo in tantum formibus materijs diversa assumimus argumenta, pro historia tot divinis abundante prodigijs. Describit illam ipsa sequentem in modum.

Maturino quodam tempore vacans consuetæ meæ orationi, vidi ex Divino Sole, qui erat ipsemet Deus, prodeuntes divinos radios, ferientes meam animam, & me per illos ascendentem, donec pervenirem ad eum ipsam locum, in quo moratur pars superior meæ animæ, quæ, uti in multis alijs chartis scripsi, habitat in Deo. Comitabantur me omnes mei Domini Angeli. Postquam illuc perveni, prostravi me coram Sanctissima Trinitate, adorans illum Dominum, meòque modo fruens eo Divino Esse. Sacratissima Persona Spiritus Sancti mihi dixit: bene veneris Anima mea ac dilecta mea, veni & quiesces in cælesti Patria; statimque alloquens meos Dominos Angelos, dixit illis: Angeli mei ducite ipsam per Civitatem, & recreate il-

lam. Mihi ad eò bene erat apud pèdes Domini, ut noluerim ire, neq; aliquid amplius præter id, quo fruebar, videre; & quasi innuebam meis Dominis, qui me volebant ducere, ut me relinquerent. Dominus mandavit denuò, ut me recreationis causâ circumducerent. Ego deliciahar & reluctabar sicut prius, fixè intendo Divinum illud Bonum, quod oculis meis observabatur. Divina verò Majestas, idem tertio præcepit Angelis, dixitque mihi: Nunc tandem Anima, perge cum meis Angelis; jam te intelligo, ego te comitabor, & non derelinquam te. Itaque fui circumducta per totius illius cælestis Jerosolymæ interiorem ambitum, & vidi amœnissimos campos plenos majestate Dei, & quadam divinâ distantia spectabiles, quæ erat Divina solitudo, ubi mea anima quiescebat, penitusq; solitaria fruebatur suo Dilecto, ac Divino Domino.

Hic mihi disparuit ille Divinus Sol, cumque fuisset paulatim circumducta per hanc divinam solitudinem, postquam finivi circuitum, & perveni ad locum, ex quo abiveram, conspexi pulcherrimum & admirabilem thronum regium, in quo sedebat gloriosissima Virgo Domina nostra circumdata à magna Angelorum multitudine, qui illam certo adorationis modo honorabant tanquam Dei Genitricem. Erat obtupescenda, & specialissima pulchritudo hujus magnæ Reginæ, plenæ gloriæ & majestatis. Gerebat elegantissimum cingulum ex auro, unionibus & gemmis confectum, symbolum purissimæ suæ conceptionis, immunis à peccato originali; & maximum torquem inestimabilis pretij, qui erat symbolum integerrimæ ipsius virginitatis; pendebat pretiosum cimelium ad ejusdem pectus, significans multa merita, quæ sibi juxta pedem Crucis accumulaverat, & magnam, quam illi sanctissimus ipsius Filius ibi virtutem sui pretiosi sanguinis, communicaverat. Habebat suas manus plenas annulis aureis, quibus erant insertæ præstantissimæ, & lucidissimæ gemmæ; representantes admiranda opera, quæ fecit degens in hac vita mortali. Adduxerunt me eò Domini mei

Angeli, ubi erat Ipsi9 Majestas, & procubui in genua. Tum hæc magna & amabilissima Domina assurrexit, descendensque per aliquot gradus throni, salutavit me valde affabiliter, pari me amore est amplexata, atque ego strinxi sacros ipsius pedes. Jussit me crigi, elevavi caput, quod vicinissime admoverã pedibus meæ Dominæ, & mansi provoluta in genua, obstupescens illam divinam ipsius pulchritudinem, quæ est ineffabilis. Dixit mihi Eiusdem Majestas: Soror, nolo te discedere, quin aliquid è meis rebus auferas. Detrahit annulum ex sua manu, posuitque illum in mea, dicendo: Accipe hunc annulum, qui tibi erit tutela ac defensio adversus diabolum, ut tibi non possit nocere, ipsùmque à te repellas; præterea per illum efficiaris particeps mearum virtutum. Sicut attrèctanti chirothecas imbutas ambrã, aliquid il-

lius odoris adhæret; sic etiam tibi, dum accipis hunc annulum, adhaerebit aliquid è meis virtutibus, usque redolebis. Egi, quantas potui, meæ Celsissimæ Dominæ gratias. Et postquam mihi utraque Majestas, primùm Dominus, deinde Sacratissima Mater, dedissent benedictionem, jussit me Dominus reduci ad meum angulam, quò me Domini mei Angeli reduxerunt.

Quodam postea die sum bene experta virtutem annuli, quem mihi Dei Genitrix dignata fuerat donare: nam advenit dæmon, volens mihi suo more nocere, exposui manum, & ille infelix, conspecto eo annulo, non potuit tolerare lucem, quæ emicans ex resplendente, illi inserta gemma, offuscabat ipsius oculos, atque ita aditus in rabiem profugit. Benedictus sit magnus hic Deus, & sanctissima ejus Mater, in æternum. Amen.

CAPUT XVIII.

Pergit referre alios similes admirabiles animæ suæ, unà cum corpore, ascensus ad cælum.

Hoc eodem anno, post præcedentem visionem, priusquam à Deo rursus raperetur in cælum, vidit demones, torquentes quandam animam ipsius figuram. Suspicata est, sibi eã ratione significari, illos rabiem suam saltem exere in sumenda vindicta de ejus effigie, cum ipsammet aggredi non possent, eò quòd protegeretur ab annulo, quem acceperat à Beatissima Virgine; cum in modum, quo hic ministri Justitiarum, qui fugã salvare potuit corpus, castigant in statua. Id illa, pariterque ascensum ad cælum, breviter enarrat dicens:

Vidi his diebus in meo cubiculo, è regione mei paupertini lecti, quatuor ferocissimos demones, & inter eorum manus humanam effigiem, mihi similem, quam vexabant ac torquebant, ultrò citròque ipsam versantes. Quamvis autem conarer avertere vultum ab hoc spectaculo, meque ab eo abstrahere, non poteram: abripiebat enim meos oculos, & vehem-

enter me affligebat. Quidam sanctus Angelus ex ijs, qui mihi cohabitavit, illi aspexit, statimque celeriter auferens, & illa figura humana instar fumi. Deinde vidi descendentem ex cælo sanctum Angelum maximã præditum potentia. Postquam advenit, agnovi esse sanctum Michaëlem, qui è mei regione consistens, me salutavit dicendo: Creatura Dei, Omnipotens Deus te adjuvet ac defendat. Audita hujusmodi salutatione sui afflicta, cogitans, ipsum sic loqui, quòd dæmon grande adversus me machinaretur malum. Sanctus tamen Angelus me reddidit locuram, asserens, id non propterea à se dici, quin imò se venire, ut me ducat ad Patriam cælestem; & magnã autoritate, non relicto mihi spatio ullius exceptionis, arripuit mea brachia (atque, ut mihi videtur, animam unà cum corpore) & impolitam suis humeris, derepente me sustulit ad cælum, præsentavitque Divinæ Majestati, dicendo: Domine mi, hæc est creatura, quam à tua Majestate sum jussus adducere

ad tuum Divinum conspectum. Dominus me est elementissimè intuitus, & quasi eximendo animam ex corpore, accepit illam in suas Divinas manus, meque sibi univit, relinquendo, meâ opinione, corpus animâ destitutum, quod tamen ideo non fuit afflictum aut debilitatum, imò potius vehementer recreatum, & confortatum. Ego expeñdebam mysterium, dicebámq; intra me: Quomodo hoc potest fieri? non tamen interrogabam. Tum mihi Deus: dicam, inquit, tibi. An non vidisti, adferri corquem, seu vellus aurcum Regi, impositum pretioso scrinio, ex quo aureum vellus eximitur, & collocatur prope Regem; scrinium verò custoditur, ad aservandum in eo rursus corquem? hoc igitur tibi contigit. Exemi tuam animam è scrinio corporis, & nunc tibi illam reddo. Restituit Deus meam animam suo corpori, & mei Domini Angeli me reducerunt ad meum angulum. Benedicita sit Divina Majestas in aeternum. Amen.

Admirabilissimus est hic raptus, ob multas circumstantias, quas docti possunt ex ijs observare, que sancti Patres, & sacri interpretes annotant in illa verba Apostoli 2. Corinth. 12. v. 2. Scio hominem &c. Subsequentes non sunt majoris considerationis, plus tamen continent instructionis, & omnes diversimodè probant, qualis fuerit vita, & perfectio affectuum hujus Virginis, quibus se pro tam extraordinarijs favoribus disponebat. Proximus accidit in Julio ejusdem anni sexcentesimo vigesimo quarti, referturque ab illa his verbis.

Hoc tempore matutino, in oratione consveta, multos eliciebam actus amoris Dei, & aliarum virtutum. Eram quodammodo mei impos præ affectu, & ebria amore divino, ideoque dixi vehementi æstuans desiderio: Mi Deus, cupio tibi aliquid dare è meis rebus. Postquam hoc dixi, Dominus mihi respondit: fiat omninò, Anima, da mihi aliquid è rebus tuis, suscipiam id libenter. Statim adverti meum excessum, & audaciam ortam ex vehementia mei amoris, ac dixi: Ah mi Domine, nihil habeo, quod tibi dem; sum pauper creatura tua: quidquid habeo boni, tuum est, & jam tibi donavi; si verò ali-

quid habeo, quod sit meum, est malum, sunt peccata & miserix. Dominus respondit: ita Anima, da mihi aliquid ex ijs, quæ habes. Domine mi, respondi, accipe cor meum, renova, munda, purifica illud, & redde rectum. Dixi insuper alia eò tantum tendentia, ut me totam resignarem in voluntatem hujus magni Dei. Divina Majestas acceptavit hanc oblationem. Tunc me Domini mei Angeli elevaverunt, & posuerunt in quodam frusto cœli, quod erat coloris cærulei, quale hic videmus, ex quo prominebat meum caput & brachia, dixeruntque mihi: Dispone te, Anima, veni enim Divinus Sponsus. Audivi subito ordinatissimum sonum campanarum, & inter has tintinnabulum valde sonorum, quo mihi videbantur intimari mundo gratiæ, quas Deus præstat suis creaturis. Vidi postea multos sanctos Angelos, in hoc spatio intercedente inter cœlum & terram, præparantes, sicut aliàs scripti, viam pro adventu Domini. Interrogavi meos Dominos: estne, sancti Angeli, necesse, ut præpararetur via Domino, cum Ejus Majestas nullâ re indigeat, præterquam se ipsâ, contineâtq; in se omnem magnificentiam & pulchritudinem cœli ac terræ? Et responderunt mihi: Ita prorsus est, foror, verum nos Angeli significamus subjectionem, & cultum, quo in his, quæ vides, veneramus Deum. Descendit interea ex cœlo Divina Persona Spiritus Sancti, resonante jucundâ musicâ illorum factorum Ministrorum, magna cum majestatem ac pompa, & appropinquavit mihi, non gerens speciem aliquam, aut figuram, sed spiritualissimè, quod solus potest advertere, & cognoscere intellectus. Vidi quoque ibi adesse JESUM Christum Dominum nostrum.

Tunc mihi dixit Deus Spiritus Sanctus: Anima, venio, ut, quod de dando mihi tuo corde promisisti, exequaris. Ego statim, plurimum gaudens & exultans, obtemperavi Domino, dicens, ut in me adimpleatur sanctissima ejus voluntas: adesse enim me obsequentem, tanquam ancillam ipsius. Accessit interea ad me Christus Dominus, discooperuit meum pectus, quod

quod erat tectum eo frusto cœli, atque digito suæ sacrosanctæ manûs formavit crucem in latere sinistro, apertumque fuit illud meum latus, & sensî magnum dolorem. Advenit sacratissima Persona Spiritûs Sancti, & exemit meum cor ex suo loco, dicendo: Veni Anima mea, & fruëris mecum meâ gloriâ, bonisq; æternis meæ cœlestis Patriæ. His peractis Dominus denuð ascendit ad cœlum, ducens secum meum cor, & memetipsam, quæ radijs quibusdam luminis eram conjuncta eidem cordi, adeò ut existimem, me intra illum Divinum Spiritum & Dominum nostrum, totam fuisse ductam ad cœlum, tam meam animam, quàm corpus. Inde, & ex eo Divino pectore, ubi eram, vidi, postquam illuc perveni, totam illam cœlestem aulam & gloriam Beatorum, quâ etiam ego meo modo fruebar. Oculi mei corporei viderunt stupenda opera Dei, quamvis longè aliter, quàm ea viderit mea anima; hæc namque illa videbat illustrata lumine multò excellentiore ac admirabiliore; ij verò illuminati luce longè inferiore, & velut è longinquo, quasi ex pulchritudine illius Palatii conjectantes majestatem Divini Regis. Postea Dominus dixit meis dominis: Ducite, Angeli mei, istam creaturam ad suum locum, usque ad tempus, quod determinavi, ad eam ex vita mortali educendam. Redij ad me ex raptu, & inveni me in meo angulo. Deinde intellexi à Domino causam, ob quam mihi Jesus Christus Dominus noster latus aperuerit, efformatâ super illud cruce, ut Divinus Spiritus cor meum inde eximeret, eam fuisse, quòd omnes misericordiæ & beneficia, quæ à Deo consequimur, nobis conferuntur propter universa merita Passionis, Crucis, & Mortis JESU CHRISTI Servatoris nostri. Ipse sit benedictus in æternum, Amen.

Hunc in modum ista Virgo ad cœlum, cum anima & corpore, hoc anno sexcentesimo vigesimo quarto, ascendit quàm sapissimè: id quod magis apparebit ex sequentibus, quæ scripsit proximo Augusto, ubi mira narrat, à me verbis ipsius exponenda, & sunt, quæ subiungo.

Dignatus est me Deus his diebus magnâ vi elevare, diversis temporibus, in ecclasiim, secumque unire, ita ut abripere non tantum quoad spiritum, & superiorrem partem animæ, verum etiam corpus & naturam, qui raptus erant diuturni: unde postea in meo loco experiebar corpus vehementer contractum, & naturam valde afflictam. Eo nihilominus tempore, quo durabat unio, fruebar Divinâ Majestate magno cum solatio, ac proinde dum ab ea separarer, difficulter & perquam invitè illud solatium deserebam, atque hæc revertebar. Cogitabam, quid Deus à me vellet, frequenter, adeoque præter morem me visitando. Feriâ quintâ, quæ erat Octava Assumptæ in cœlos Deiparæ Virginis, mihi dixit Divina Majestas: Anima, visne venire mecum, ut fruaris meis æternis bonis? Mi Domine, respondi, duxisti me his diebus, & sentio me vehementer fatigatam. Verè Anima, subeunda tibi erit molestia, si venire velis. Resignavi me in Divinas illius manus, utque in me impleretur sanctissima ipsius voluntas. Postquam præbui consensum, aspexit me Dominus omnes meos Dominos Angelos acli ipsis indicaret, quid illis esset agenda. Unde accesserunt ad me, dicentes mihi Soror nostra, debemus te exornare, ut ab eas cum Domino, atque tum quinq; ceteris familiarioribus, qui mihi cohabitant, me exuerunt vestibus, quas ordinariè gero, relicta mihi solum unâ albâ. Deinde singulis me eo, quod quisque adferebat, quàm spiritualissimè, & contactu Angelico luminis gravitatis ac modestiæ, ut aliàs retuli, exornabant. Primus me cooperuit illo quali peplo grandi caruleo, eleganter acu picto, quo tota tegor, & alijs quoque occasionibus ab ipsis obvelari soleo. Secundus superimpofuit peplo brevem pretiosissimam penulam. Tertius textit caput meum velâ Quartus Angelus mihi dedit in manus litteolû, quod adferebat pendens ex uno angulorum. Quintus ad me venit, & induit natis me induit nitidis caleis, quos prius fuerat exosculatus, ideòq; magno sui infusa rubore. Sanctus autem Angelus mihi dixit: Permitte id fieri, soror, quia

illos exſculor, eò quòd tibi ſint dati à Divino Sponſo.

Sic exornatam me Spiritus Sanctus, Deus & Dominus noſter, qui his aderat, accepit ad ſua Divina brachia, tulitque ad cœleſtem Jerofolymam, comitantibus me Dominis meis Angelis. Exiſtimo, me dubio procul totam eò fuiſſe ductam, ſecundùm corpus & animam. Non poteram conſiſtere pedibus, & propterea, quando illuc perveni, fui collocata in pavimento illius cœli, quod erat coloris cœrulei, quale hic ſpectamus, vultu converſo ad Dominum Deum Triunum. Divina Majeſtas coniecit in me oculos, deditque mihi ſuam ſanctiſſimam benedictionem. Mox Angeli inchoaverunt cœleſtem muſicam, concinendo laudes Dei, gratias ipſi agentes, inprimis pro infinita ejus bonitate, ac deinde pro beneficijs, quæ præſtat ſuis creaturis, præſertim verò mihi, quaſi admirantes ea, quæ ego conſequebar. Finiſſimâ hac muſicâ fui elevata ab Angelis, necdum tamen potui pedibus inſiſtere, ideòque me ruruſum poſuerunt in pavimento, ſuique ſepulta in eodem cœlo, eminentibus, inde ſolum capite, brachijs, & pectore, vultu quaſi ad latus reflexo. Interrogavi meos Dominos, cur fuiſſem ſepulta? & reſponderunt, id eſſe factum, ut mihi ſic indicaretur, quòd in ea cœleſti Patria nemo poſſit totus permanere, dum vivit in carne mortali. Tum conſpexi è regione mei Divinum Solem, qui erat meus Dominus: emittebat pulcherrimos ſplendores, ac divinos lucis radios, quibus me attingit, attraxitque ad ſe, elevans me inde, ubi eram ſepulta, quoaduſque me totam ſibi univit. Fruita ſum diu Ejus Majeſtate, atque Divino Eſſe, cum magno meo ſolatjo.

Hæc unio me non impedivit, quòd minus animum ad me reflecterem, & conſiderarem tot, ac tam extraordinarias miſericordias & gratias, quas mihi Deus præſtitit, & continuè præſtat; atque intimam familiaritatem, ad quam me Ejusdem Majeſtas, ex mera ſua immenſa bonitate, admittit. Dum igitur me viderem exornatam eleganti veſtitu, quo me Domini mei

Vita Mar. de Eſcob. Pars II.

induerant, & memoriâ repeterem, quàm invita aliàs (ſicut initio dixi) deſererem illud Bonum, ac redirem ad miſerias terrenas, dixi tum ferventi affectu ad Deum: certè mi Deus, vehementer miror tuam bonitatem, quòd talia mihi conferas beneficia: quibus tamen quàm libentiſſimè renuntio; neque ijs frui volo, ſi tu id velis; nec tecum hic permanere, ſed reverti ad meum angulum, ac ad meum nihilum, atque ita pati, quamdiu ſanctiſſima tua fuerit voluntas, & propter te omnia derelinquere. Audivit Dominus meam oblationem, ex ſinceriſſimo animo, mihi que poſſibili promptitudine profectam, & dixit: Verè Anima, id agendo mihi complacuiſti, & ſatiſfecuiſti. Polliceor, daturum me tibi omnia, quibus renuntia viſti, duplicata, & me ipſum in æternum, quod tibi etiam aliàs obtuli.

Post hoc, unita eidem Domino, fui reducta ad meum angulum, ubi ad me ex raptu redij. Eram deinde ſolicita, & quaſi perplexa, revolvens animo, quæ acta fuerant: quia mihi videbar tota fuiſſe translata ad cœlum, quoad corpus & animam, ſpiritum & naturam, atque obſervaviſſe, quòd ibi tota exiſterem; aliunde verò etiam judicabam, quòd interdum ſenſerim, me quaſi hic degere in meo angulo, propterea me non poteram ſufficienter intelligere, aut cognoscere tam arcanum myſterium. Tunc mihi Dominus dixit: Veni huc Anima, cur vacillas, ac dubitas? Nonne ego integer exiſto in Sacramento Altaris, & in quavis illius parte, atque in multis templis? Ita mi Domine, reſpondi: verum iſte eſt articulus Fidei, & ſic ſe rem habere credo; quod autem mecum agitur, eſt longè aliud. Eſt quoque Fidei articulus, reſpoſuit Dominus, me eſſe omnipotentem & facere, quod volo: deſcendo, quin deſeram dextram Patris mei, & me ſpectandum animæ, cui bene volo, multumque ſum addictus, præbeo, licet rarè, & ob graviſſimas cauſas: atque ſic poſſum præſtare, quod te dubiam reddit, eò etiam magis, quòd ſecundùm Divinam Eſſentiam ſum ubique, & ubicunque ſum, ibi mihi ſit cœlum, atque hic opus iſtud exequi poſſim, qui ſum

L

ſum

sum omnipotens. Hoc mihi dixit Dominus, qui sit benedictus in æternum. Amen.

Responsum Christi Domini, quantumvis breve, est, quia ab illo datum, plenum mysterijs. Ex eo eruitur solutio quorundam dubiorum, de quibus hodièque altercantur Theologi, & sacri Interpretes, multum ab invicem opinionibus discrepantes. Dubitatur, an aliquando Christus Dominus, postquam ascendit ad caelum (excepto admirabili modo, quo Fides docet, ipsum realiter advenire ad Sacramentum Eucharistiae) personaliter descenderit ad terram; an verò, quotiescunque à Sanctis videtur, id per imagines tantum fiat ac figuras, genuinè Dominum representantes; an tandem anima ipsorum elevata, illum videant in caelo, ac si ab ipsis videretur in terra? Hic dicit Dominus, se, licet raro, & ob gravissimas causas, revera personaliter descendere, quod est valde conforme sententia sanctorum Patrum, & sacrorum Interpretum (neque, exiguo meo iudicio, negari potest, nisi manifesta fiat verbis sacri textus violentia) existimantium; ita Dominum descendisse, ad convertendum sanctum Paulum. Dubitatur praeterea, multo magis disceptatur, an, dum Dominus ad terram descendit, deserat tunc caelum, an verò realiter occu-

pet duo loca circumscriptivè? Videtur autem hic Divina Majestas significare, quid hoc nomine implicet, possitque ipse omnipotentia realiter suum corpus in diversis constituisse locis, per distinctas, non tantum definitivas, sed etiam circumscriptivas ubicationes. Atque notandum est, quòd Eadem Majestas, ex potentia, quà, prout nos docet Fides, pollet quoad ubicationes definitivas, sumpsit argumentum ad circumscriptivas, ut has facilius crederetur. Et tali ratione quietam reddidit hanc imaginem, instruendo illam, non esse impossibile, quòd adveniens, se totam degere in caelo, quandoque una sentiret, se existere in terra, cum ipsam potuerit, per suam Omnipotentiam, tenere totam in duobus locis. Adjunxit Dominus, pro solatio hujus dilectæ suæ sponsæ, aliud suæ potentia miraculum (quod est extra controversiam) docendo illam, se ab ipsis, sicutique, in quantum est Deus, existit, ita potest aliter operari, ac in caelo; ac si, ni fallor, significaret, id non semper evenire, ut eam constituat in duobus locis, sed quòd, relinquendo illum realiter hic in terra, & in eo angelo, ibi manifestet arcana caeli, & semetipsum in circumscindere potuerit, se, dum ipsis morret, degere etiam in caelo.

CAPUT XIX.

Recenset ejusdem generis gratias, ex quibus colligitur magna ipsius perfectio.

Quamvis non reperiam adnotatum diem hujus gratia, quam nunc describam, invenio tamen illam eodem consignatam anno & mense, quo praecedentem: & spectat à chartarum serie, fuerit ipsi praeserta paucis ab hinc diebus. In hac porro sic ait.

Vacabam aliquando his diebus manè meæ consuetæ orationi, & vidi Christum Dominum, Delicium nostrum, affixum cruci, vehementer afflictum. Conabar, ob meos timores, abstrahere imaginationem ab hac visione, & prosequi meum exercitium; Dominus autem clementissi-

mè insistebat suo proposito, ut me ad se pertraheret, & ego perseverabam in mea tergiversatione. Tunc mihi ejusdem Majestatis dixit: Desiste Anima, affligis enim me: aspice, qualiter sim constitutus. Tandem me Dominus, nihil immutatus, ad se pertraxit, ac transversam superpositam cruci, in eum modum, quo pastor his imponit humeris oviculam. Interea adverti, Ipsius Majestatem velle ascendere ad caelum, & dixi intra me: Quæ connectio caeli cum CHRISTO crucifixus? Ibi iste Dominus degit resuscitatus, & gloriosus. Ille verò tanquam dominum habens cogitationum, quas vel excellentissimas perspicit, mihi respondit: Nihil

Noli iudiciorum meorum scrutari veritatem, aut mea diiudicare decerere. Tum idem Dominus paulatim suâ virtute ascendebat ad cœlum, ferens me ita impositam cruci. Postquam pervenit quasi ad portam cœlestem, disrupti fuerunt cœli, & prodijt Pater æternus, qui peramanter, & benevolè dixit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi plurimum complaceo. Vidi præterea, quòd illum ipse Pater æternus deposuerit ex cruce, exterserit ejusdem vulnera, eaque sanaverit, relictis illi tantum vestigijs quinque vulnerum, atque unâ quasi intra ipsummet (quod quâ ratione factum fuerit, explicare nequeo) radice Passionis ejus & Mortis. Induit illum pretiosis regijs vestibus, imposuit capiti ipsius coronam imperialem, & manu apprehensum introduxit ad cœlum. Ducebat me Christus Dominus secum, & visa sum mihi ipsum comitari gerendo speciem oviculæ, mansique apud sanctissimos illius pedes.

Interea Pater æternus exhibuit illam sanctissimam Humanitatem, Verbo unitam, toti cœlesti aulæ, dicendo: Hic est Filius meus dilectissimus, in quo mihi multum complacui; est Deus vester, Rex universalis cœli & terræ: adorare ipsum, semperque glorificate, & canite illi infinitas laudes, siquidem propter illum, & Divina ipsius merita vobis data est gloria, quam possidetis; gaudete in eo, tanquam Salvatore vestro. Tum omnes Beati se prosternentes præsterunt, quòd à Deo jussi fuerant. Post hoc Jesus Christus Dominus noster, alloquens Patrem suum æternum, ita dixit: Pater mi, hinc tibi adduco, & præfero istam oviculam, instar exemplaris animatum degentium in mundo, ut ipsi exhibeas gratiam & misericordiam. Comparui derepentè in mea propria specie, pro voluta in genua ad pedes Patris æterni, induta, calceata, & exornata splendidis vestibus, cimelijs, & coronâ, quæ aliàs refero, mihi fuisse data à Divino Spiritu. Obstupui, videns me ita constitutam, & Pater æternus me intuitus dixit: O quàm egregium exemplar! verè mihi magnopere placet. Et post multa insuper alia in hunc

Vita Mar. de Escob. Pars II.

sensum dicta, mandavit suis Angelis, ut me, recreationis gratiâ, circumducerent per totam illam cœlestem Patriam: quod illi fecerunt, & ego tum conjeci oculos in Deum nostrum, existentem in divino quodam Sole, qui me radijs suis corripuit, sibi que arctissimè univit. Redivi postea ad me, & reperi me in meo angulo. Laudetur Deus in æternum. Amen.

Sanctus Ambrosius & alij Patres, super parabolam ovis perdita scribunt, humeros, quibus Divinus Pastor suam tulit oviculam, ut illam ad cœlestem ovile reduceret, esse brachia Crucis, seu brachia Domini crucifixi, eò quòd nos per Crucem recuperaverit. Hanc veritatem nos ad literam docere voluit Deus in præfenti visione. Dum intra Christum Dominum jam gloriosum dicitur remanere radix mortis ipsius ac Passionis, videtur significari, quòd illa mors reliquerit in Domino radicem semper vivam, non ut rursus moriatur, sed semper fructificet, nulliòsque producat quotidie fructus, ac si in dies actus pro nobis moreretur.

Concludo gratias, quas hoc anno sexcentesimo vicesimo quarto ejusdem generis obtinuit, eâ, quam est affecta, interveniente Regina cœlorum, & ipsa ita enarrat.

Feriâ quintâ, decimâ nonâ Decembris, sub horam secundam matutinam, vidi sanctissimam Virginem Dominam nostrâ, quæ ad me veniens mihi dixit: Veni mecum soror, & ducam te viâ, quâ hæcenus necdum ivisti. Cùmque reluctarer, ob consuetos meos timores, non valens amplius resistere, circumspexi, & vidi scalam tendentem ad cœlum, similem ei, quam aliàs videram: hanc illa præpotens Dominâ coepit conscendere, ducens me secum, diverso tamen modo procedentem; cùm Ejus Majestas progressâ fuerit per scalam medium, & ego extra illam, ad ejusdem latus. Mirabar, me ita ab ea magna Dominâ duci, ut non sustentarer à scala. Ubi pervenit ad januam cœli, priusquam eò ingrederetur, dixit mihi: Declarabo tibi mysterium, cur te duxerim extra scalam, donec huc perveniremus. Ascensus iste significat, quòd, sicut naturaliter est impossibile, ut corpus ascendat in altum absque scala, aut alio adminiculo, cui innitatur, &

& ubi suum sustentet pondus; ita fieri nequeat, ut ulla anima spiritualiter & supernaturaliter sic ascendat, quin feratur à Deo, & favoribus gratiæ ipsius adjuvetur. Intravimus cælum, statimque me præsentavit Beatissimæ Trinitati, ubi sanctus meus Angelus Custos, qui nos comitabatur, me prostravit. Pater æternus mihi dixit amanter: bene veneris Anima. Post hæc verba, Virgo Domina nostra protulit alia, quæ non intellexi, unde consecutum est, ut singulæ Divinæ Personæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, mihi singulas porrexerint quasi hostias parvas, eum in modum, quo sumimus sacram Eucharistiæ. Dum vehementer mirarer, considerans hoc mysterium, Dominus mihi dixit, his tribus hostijs representari tres Missas, quæ celebrantur in festo Nativitatis Christi, & mysteria, quæ ijs recoluntur: utpote natiuitatem æternam Divini Verbi, quæ gignitur ex ipsa substantia & natura Patris, Deus de Deo; natiuitatem temporalem, quæ Verbum Incarnatum ex purissimis natum fuit visceribus Virginis Domine nostræ; natiuitatem spirituales, quæ per gratiam & charitatem nascitur in animabus. Finitâ visione me inveni in meo angulo. Laudetur Deus in æternum. Amen.

Explicationem mysterij trium Missarum, quas die Nativitatis singuli peragunt sacerdotes, prorsus apparet esse divinam, atque doctrinam à magno Deo & Domino nostro. Laudetur à suis creaturis, quandoquidem usque adeo animas amat, ut pro illarum honore, ipsummet Sacramentum (in quo Christus, seu realiter se reproducit, seu novum occupat locum) sicut est symbolum duplicis ipsius ineffabilis natiuitatis, velit quoque esse symbolum illius, quæ per gratiam nascitur in animabus, quas just. ficat. Non multo post, decimâ Januarij, anno sexcentesimo vigesimo quinto, ad alium fuit mysticum invitata ascensum, quem sic describit.

Feriâ sextâ, decimâ currentis, fui vehementer integrâ nocte afflicta ardoribus & æstibus, exurentibus totum meum corpus, ita ut nè quidem modico possem tempore somnum capere, aut quiescere. Vidi tum Majestatem Domini Dei nostri,

qui compatiens meis doloribus, mihi dixit: Quid tibi est, Anima? quid habes? Domine mi, respondi, patior, ut vides, dolores, insuperque etiam affligor ab internis meis timoribus. Infirmus tua, reposuit Dominus, non est ad mortem, sed ut magis manifestetur gloria mea; indicans mihi, iudicio ipsius, non esse me infirmam quoad animam, quamvis ego me talem reputarem. Tum ego: Mi Domine, quando tot in corpore sustineo dolores, & molestias in anima, videor mihi à te non amari, quia te occultas. Et quando ego, dixit Dominus, Filium meum tradidi in manus peccatorum, à quibus fui afflicus, dedisti diabolo facultatem, ut illum persequeretur, amabamne ipsum? ita profectò. Taliter verò tecum ago: si enim me quandoque subtraho, ideo id facio, ut possis pati, & patiendo me glorifices.

His omnibus aderat sanctus Pater Ludovicus de Ponte, qui mihi, quasi subridendo, dixit: Modò Anima, libenter cum Domino ires ad cœlestem Patriam: ego te ducam, veni mecum. Omnino, respondi, libenter eò pergerem, fateor: nolo tamen sancte Pater, ut à te ducar. Quare autem, quæsiit ipse. Quia es vir, ajebam ego, & non soleo comitari viros. Quamprimum id protuli, comparuit Marchio seipsem Ecclesiæ modum hilaris, dixitque: Etiam ego illam pati ratione aliquoties invitavi, & noluit ire. Subiunctum Pater Ludovicus: Nonne verò Sancti Dei, qui te visitaverunt, & interdum duxerunt, sunt viri, quales nos? Ita est, respondi, sed quia illos in hac vita mortali non noveram, non me reddiderunt ita perplexam. Si Deo placet, ut proficiam ad cœlestem Patriam, ducent me sancti mei Angeli, sicut plerumque solent. Sancti approbaverunt meam tergiversationem.

Venerunt deinde ad me Domini tres Angeli dicentes, Deum velle, ut ascendam ad cœlestem Jerosolimam: & animadverti, Sacratissimam Personam Spiritus descendere ad meum cubiculum, non cui strepitu & pompa, uti alias, sed quiete. In meam animam sibi arcè univit, dicens

me secum, comitantibus me Dominis meis Angelis. Sensi inde summum in anima mea gaudium, voluptatem, & læticiam; aliunde verò etiam maximos in corpore dolores & cruciatus. Hoc ego valde sum mirata, quia propè nunquam fueram experta. Tunc mihi Divina Majestas dixit: Quid miraris? Quod sentis, est aliquale specimen eorum, quæ gesta fuerunt in anima Filij Dei, Christi JESU, Servatoris vestri. Postquam pervenimus ad cælum, præsentavit me Divinus Spiritus Patri æterno, qui mihi dixit latinè: *Sedo à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quo audito supra modum obstupui, & extimui. Divina verò Majestas addidit: non dico tibi id, sicut dixi Filio meo, sed tanquam uni è meis charioribus filijs adoptivis. Audi, nōne tuis calcas pedibus omnia creata, quandoquidem propter me universa dereliquisti? Ita, mi Domine, respondi, quidquid est reperire in mundo, dereliqui, tametsi imperfectissimè, mallèmq;e millies mori, quàm scienter, & ex proposito committere vel unicum peccatum veniale; & quamvis ab eo dependeret salus mundi, non committerem illud, sciens tale esse. Cùm igitur ita sit, agebat Dominus, cur miraris, quod tibi dixi? Mansi ibi aliquamdiu fruendo his delicijs in ecclasi, posteaque sum reversa ad meum angulum. Deus sit benedictus. Amen.

Marchio iste septem Ecclesiarum, est Dominus Rodericus Calderonius, cujus penitentia, & gratia, quas illi Deus in carcere contulit, sunt fusissimè, jubente ipsomet Deo, descripta in prima parte. Circumspectio hujus Virginis, quæ in sua juventute cavebat virorum conspectum & consortium, adeò illi profunde inhaesit, ut etiam grandævâ modèstè recundaretur, sanctèque metueret, visâ tantùm humanâ virorum specie, quâ se ipsi spectandos exhibebant sancti. Cujus rei mira exant in prima parte exempla, & supersunt nonnulla, quæ deinceps suis locis adnotabuntur.

Visioni, quam initio hujus capituli retuli, ubi se hæc Virgo vidit in specie oviculæ, est aliquantum, licet novas prorsus continens cir-

cumstantias, similis illa, quam modo describit, habuitque vigesimâ sextâ Februarij, anno sexcentesimo vigesimo quinto.

Feriâ quartâ, vigesimâ sextâ Februarij, vidi ingredientem in meum cubiculum sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, qui consedit in mystica illa sella, sicut aliàs, ibique modico tempore moratus est, nihil loquendo; postea surrexit, me stupente, quòd abiret, nullo verbo dicto. Tum conspexi advenientem magnâ multitudinem Angelorum, quorum aliqui gestabant cereos, alij parvâ vexilla, alij alia insignia. Sanctus stabat, dum omnes ingrederentur, erantque plurimi. Deinde vidi sanctum Patrem se prosternentem, vultu ad terram usque, in eo loco, quem occupabat, demisso acsi profundâ illâ inclinatione honorem exhiberet cuiquam advenienti. Interea adfuit, qui magnus aliquis videbatur esse Princeps, & erat postremus, claudens grandem illum comitatum. Substitit, postquam pervenit ad sanctum Patrem, & jussit ipsum assurgere, capiteque eundem alloqui. Quid dixerit, ignoro; vidi tamen, sanctum Patrem, auditis ijs verbis, descendisse per quosdam velut gradus, qui comitantibus illum aliquot Angelis, mihi appropinquavit, & consistens ad dextrum meum latus, dixit super me quandam orationem, datâque mihi suâ benedictione, redijt ad priorem locum. Tum prædictus ille magnus Princeps, in habitu & cultu pastoritio, accessit ad idem latus, & magnâ majestate mihi dixit latinè: *Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* atque subitò me spiritali ac decentissimo modo abripuit, & imposuit suis humeris meam animam, præditam figurâ mansuetissimæ oviculæ. Dum me sic teneret is Divinus Pastor, ascendit ad cælum, cum comitatu illorum cœlestium spirituum, ibique coram tribus Divinis Personis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto, deposuit oviculam, & collocavit in pavimento illius cœli, ubi ea figura fuit derepente mutata in speciosam animam, sicut hic depingi consuevit.

Tunc amabilissimus iste Pastor dixit ad Patrem æternum: Hic, Domine, tibi ad-

fero hanc meam oviculam, sanguine meo redemptam, in qua mihi complacui, gerentem mea insignia in manibus, pedibus, & latere; atque apprehensis meis manibus, discooperuit signa, quæ in ijs, & in reliquis partibus habebam. Pater æternus, præ se ferens ingens gaudium, dixit: vivo ego, nunquam illam deseram. Postea Divina Majestas arripiens meas manus aspexit, signa, quæ in illis gerebam, pariterque Filius, ac tum etiam Spiritus Sanctus. Ego his attendebam, licetque, dum similia eveniunt, raro persona, cui exhibentur, animadvertat, quid agat; hac tamen vice ego id interdum feci, & notavi, me aliquoties præ vehementia symptomatum quæ his diebus patior gravissima, exspuifse. Mirabat magnopere advertens, quodd existimarem, me ibi quasi totam existere, atque hic nihil remansisse, præter exuvias corporis (sicut, quando hic fortiter exprimitur pomum aureum, nihil remanet, præter corticem, ac pelliculas, & grana) atque nihilominus sentirem, etiam hic ab anima corpus animari, quia exspuebam, & experiebar effectum ipsius symptomatum. Ista sunt mysteria, quæ difficulter possum comprehendere, & nullâ ratione scio melius explicare.

Re ipsâ mansi apud sacratissimam Personam Spiritus Sancti, qui me elevavit ad quandam altum locum, ubi vidi meam animam quasi in duas divisam partes: imprimis in ea specie, de qua mihi in hoc scripto fuit sermo, iterumque illo modo spirituali, & longè sublimiore, quàm sit is, de quo aliàs dissertui. Et acsi revera forent duæ, pars illa superior est allocuta alteram, dixitque ipsi: bene veneris Amica, quæ his bonis tecum es fruitura in æternum: nunc illa videre non potes; verumtamen accede, & percipe quantum poteris. Tum super me cecidit quædam velut nix candidissima, à qua fui confortata, & arbitror, ab ea superiore parte fuisse in me derivatam quandam occultam virtutem ac vigorem, ut aliquomodo ea bona, quæ assequi erat impossibile, viderem, usque fruerer. Taliter fui brevi tempore constituta, & postquam descendi ad locum, in quo

antea fueram, ostendit mihi Jesus Christus Dominus noster choros Angelorum, & ordines Beatorum. Subito vero demonstrans suam omnipotentiam, apprehensio unico capitis mei crine, me retulit quam suavissimè ad meum angulum, ubi me collocavit in manibus meorum sanctorum Angelorum, quibus mandavit, ut me refocillarent & confortarent: quod ipsi præstiterunt sollicitudine ac dexteritate, quâ dexter quispiam, & singulari prædicitæ charitate ægrorum curator, tractare consuevit infirmum valde debilem, & moribundum.

Deinde sanctus Pater Ludovicus de Ponte descendit, sicut ab initio, ex prædicto suo loco, dixitque rursum super me quandam orationem, & rediit eo, ubi quies fuerat. Dum autem ego ita mirarer, & optarem scire, quidnam significarent, dixit mihi sanctus Pater: Noveris, te mihi specialiter esse commendatam à Deo, ac proinde sicut degens in vita mortali, non annis curam tui gessi, non quoad res duntaxat spirituales, sed etiam naturales, moderando afflictationes corporis, & omnia ita disponendo, ut non deficeret natura sic etiam nunc, Dei iussu, gero curam tuæ animæ, unaque corporis, nè natura adeo debilitetur, ut deperdatur vita: quibus deus à me discessit.

Postridie vidi IESUM Christum Dominum nostrum, in specie pulcherrimi Solis, qui mihi appropinquans, ita me suis radiis totam occupavit, ut propterea contremuerim, & derepente tantâ me ad se abripuit, ut eam vehementissimè sentientia dixerim: Domine, evellis mihi cor, & viscera! Ita mansi apud Divinam Ejus Majestatem in magna ecstasi, postquam me inveni in manibus meorum Dominorum Angelorum, quibus Deus præcepit, ut me refocillarent & confortarent, quod ei præstiterunt curâ & charitate, quâ præstiterunt. Sit Iplius Majestas benedicta. Amen.

Dum hæc admirabilis Dei serva ait, quod etiam existimaret, se quasi totam degeri in cælo, remanentibus in terra tantum exarere corpus, nihilominus anima visâ fuerit in mare corpus, siquidem in illo sentiret effectum

sua egritudine, arbitror ita contigisse, ut Deus benedictam eam constitueret in duobus locis (sicut supra fuimus philosophati de anima & corpore) hic unitam corpori, illudque informantem; ibi praeclaram ubicatione, praescindente illi ab his effectibus, nunquam tamen illos alibi excludente. Hoc doctis sufficit, ceteri credant: quia iste modus opinandi est probabilis, atque si Omnipotentiae conceditur, posse id fieri à Deo in corporibus, erit evidens in animabus.

Alter a difficultas est de anima se ipsam alloquente, ac si forent aë, eo solvitur, quod nobis evenit in statu naturali, ubi superior anima portio melioribus collustrata Divinae gloria rationibus, semet instruit, & convincit, ut suas deferat rationes inferiores, quibus proprium spectabat commodum, ne amplecteretur, quae sunt perfectiora. Advertendum autem est, hic à me portionem inferiorem non illam vocari, cui communiter ista appellatio attribuitur, & quae est sola potentia imaginativa, ejusdemque appetitus; sed intelligi à me etiam id, quod ad intellectum spectat & voluntatem, quando minus perfecto reguntur lumine,

& fervore, qui ex eo oritur. Dicit igitur Virgo, nisi fallor, animam, id est portionem ipsius inferiorem, compulsam à superiore (qua, ut antehac diximus, erat in altissimo eo statu, quem ipsa non comprehendebat) fructam fuisse nonnullis analectis illius beatitudinis, non quod appetitui & potentiae imaginativae aliquid inde obtigerit (modo tamen in hac fruitione nihil intervenit sensibile: quanquam etiam sic difficile foret explicare, quomodo considerat à illa ubicatione caelesti, potentiae sensitivae aliquid possent percipere, quae ibi non aderant) sed quod fructio intellectus & voluntatis, propter lumen magis attemperatum, quam sit illud habituale & rarissimum, fuerit aliquantulum sensibilior. Multis alijs modis id posset explicari, quibus omnibus probaretur, quod, licet sint adeo admiranda, ut vix, quantumvis remotissime valeant apprehendi conjectando, quae magna haec mulier cognovit de rebus spiritualibus, nihil tamen in ijs sit reperire, quod vel transversum unguem deviet à Catholica veritate, & vera doctrina.

— (✻) —

CAPUT XX.

Arcana quaedam ipsi à Divina Majestate manifestata, quam diversimodè se Beatis communicet, atque alij hujusmodi favores.



um haec Virgo usque ad in ea caelesti domo DEI esset familiaris, ut juxta literam videatur, omnis jam ipsius conversatio fuisse in illa sacra Aula; non modo ipsi Divina Majestas concessit, ut in ijs mysticis ascensibus fruere analectis ejus gloria, sed etiam quadantenus cognosceret differentiam, quae in caelestibus Palatinis, pro suorum diversitate meritorum illa fruuntur, ostendens hac ratione, qualis esset hujus sanctae Animae perfectio, cui non solum se faventem exhibebat, sed etiam indicabat, & exponere gratias, quas alijs praestabat: sicut hic Princeps aliquis non tantum intimo amico est bene addictus, verum & ordinem pandit, quo alijs gratificatur. Vigesima Junij, anno sexcentesimo vigesimo quarto, ita ait.

Hodie manè me Dominus, nihil tale cogitantem, vocavit, & dixit mihi: veni mecum. Quis me vocat? respondi ego. Et sic mansi cogitabunda ultra horae quadrantem. Iterum me Dominus vocavit, dicendo: veni mecum Anima, & edocebo te, quae sit gloria mea. Quis me vocat? respondi. Ego sum Dominus Deus tuus, respondit Divina Majestas: an me non novisti? jam te novi Domine, subjeci. Almi Domine, quomodo tibi tam inurbanè respondi, cum tu sis meus Deus! Id inde provenit, dixit Dominus, quia es terrea. Duxit me Dominus secum ad caelestem Patriam, & ostendit mihi beatitudinem, quae perfruuntur illi superni spiritus, inprimisque Infantes, qui suscepto Baptismo absque proprijs moriuntur meritjs. Erant veni-

venustissimi, videbanturque singuli totidem Reges coronati: hi excedunt omnia, quæ reperiuntur, & sunt considerabilia in terra. Incolebant vastum campum, quasi à cæteris separati, intra cœlestem tamen Patriam, videntes, & cognoscentes, amantisque immensum illud Esse Dei. Quia verò hac primùm vice vidi, quod seu locū concernit, quem inhabitabant, seu etiam modum, quo fruebantur Deo, videbatur mihi spectaculum obstupescendum. At quando perveni ad spectandos alios Beatos, qui proprijs suis operibus, adjuti à Divina gratia, suam obtinuerunt beatitudinem, adverti maximum, quo ab invicem differunt, intercedere discrimen. Inter fortunatos hos Infantes, specialiter à Deo illuminata, agnovi animam filioli Comitissæ de Alba, qui recēter paulò antè baptizatus, intra tres horas obierat, & erat gratiosissimus.

Post hoc vidi vastum, & amœnissimum fluvium, in quo navigabant multæ animæ sese objectantes, quasi veherentur pontonibus. Hæ associatæ multis Angelis canebant divinas laudes. Erat musica suavissima, & resonabat per illud flumen dulcissimè. Contemplata sum illas diutissimè, & vidi, quòd subinde attollerent oculos, quasi ad ætherem illius cœli, ac intuerentur quandam velut Lunam plenam lucidissimam, & insolitæ prorsus pulchritudinis, atque ab eadem reciperent cœlestes influxus, quibus admirabiliter recreabantur, & exhilarabantur. Hæsi attonita, videndo illud mysterium, quia ignorabam, quid significaret: & cùm taliter esse constituta, Dominus mihi dixit: scias Anima, pulcherrimam eam Lunam, quam vides, symbolum esse meæ Sanctissimæ Matris, cujus visione & amabili contemplatione Beati redduntur participes specialis, & maximæ gloriæ accidentalis.

Inde sum ducta ulterius intra illam cœlestem Patriam, ubi mihi fuerunt ostensi simul omnes reliqui Beati. Universi intuebantur Divinum quendam Solem, ineffabilibus plenum splendoribus, & ab hoc ipsis communicabatur gloria essentialis, quam eorum Animæ obtinebant. Erat ille

symbolum magni Dei & Domini nostri. Vidi, quòd, cùm Animæ cognoscere de amarent illud Divinum Esse, idem Divinus Sol eas intimè penetraret, ipsaque vicissim illum. Ità satis diu contemplabatur istud mysterium, fruebaturque eo juxta modum, quo ad usque fui abrepta in ecstasi, & restituta mihi reperi me in medio angulo. Deus sit semper benedictus.

Fortunatorum istorum Infantino, de quibus hic loquitur, meminit in alijs visis, quas alibi referemus. Ut nostram præsequamur materiam, specialiter est notatu dignum, quod vidi vigesima primâ Aprilis, anno sexcentissimo vigesimo quinto, & sic recenset.

Feriâ secundâ, vigesima primâ hujus, intenta meæ orationi, vidi scalam, quæ meo cubiculo pertingebat usque ad cœlum, & erat ascensu ardua: conabar me subtrahere, quantum potui, prout solo, quando mihi relinquiverat mora, id quod ita feci, ut mihi Christus Dominus dixerit. Age Anima, attende, quia te jam diu præstolor. Hac ratione acquievi. Dominus subjecit: Ascende mecum Anima, per hanc scalam ad cœlum, duxitque me Evangelicæ Majestatis sursum indutam meâ convellit veste per eam scalam, non sine meâ magna molestia. Sub ipsa erat spatiosus campus, & in illo multi truculentissimi demones, qui adversum se pugnabant, mordentesque instar rabiosorum canum: & postquam ego coepi ascendere, summum præ se ferrebant dolorem. Duxit me verò Divina Majestas secum per scalam, comitantibus me omnibus meis Dominis Angelis, & postquam illam à nobis superatam, fuit apertum cœlum. Ingressus est Dominus, & ego illum sum secuta. Ibi me præsentavit Sanctissimæ Trinitati. Deinde fui ab eodem magno Domino per quandam velut declinatam illius sanctæ Civitatis ducta, inter duas Beatorum ordines, quos quidem tales adverti esse, quòd fruerentur Deo, essentque contentissimi: sed nescio quid in ipsis viderim, ut existimaverim, ab illis non obtineri, aut possideri illam gloriam eo modo, quo ab alijs Beatis. Erat gloria & beatitudo æterna, sed plurimum differens ab ea, quam videram in alijs. Id ego multum

considerabam, & mirabar: siquidem, licet ipsos viderem Beatos, nihilominus respectu beatitudinis aliorum, præsertim verò insigniorum Sanctorum, erant, ut sic dicam, velut mendici, quemadmodum præsentente Sole obscurantur stellæ. Postea me Eiusdem Majestas duxit ad quendam locum eminentem, ubi mihi ostendit gloriam aliorum Beatorum longè diversam, admirabilissimam, atq; abundantem magno lumine & splendore. Vidi specialiter quosdam maximos Sanctos, distinctis conspicuos gloriæ prærogativis, qui plurimum super alios eminebant, & priores illos videbantur infinitè excedere. Inde sum ducta à Domino ad aliam multò superiorem ac diviniorem altitudinem, ubi sublimiore modo morabatur Majestas Trinitus Dei. Ibidem vidi supremam, & plenissimam gloriam. Univit me sibi Deus, & mansi intra illud Divinum Esse.

Postquam ex intima ista Divina communicatione redivi, meque reperi in meo loco, revolvebam animo, quæ videram, & reddebat me attonitam eorum, quos primos conspexi, gloria quodammodo imperfecta, aliorum collata gloriæ. Non intelligebam, quid significaret arduitas illius scælæ, cujus mihi ascensus accidit tam molestus, aut unde provenerit rabies, quam dæmones ostenderunt. Et quamvis, per Dei misericordiam non desiderem scire amplius, quam ipse velit, ac disponat; eam tamen velut sollicita, quòd Dominus tunc dissimulabat. Verùm Divina Majestas, pro sua magna bonitate, videtur non potuisse ferre, ut me videret hac afflictam sollicitudine, dixitque mihi post unam horam. Scias Anima, illos Beatos, quorum vidisti duos ordines, quòsque tantopere es mirata, esse animas eorum, qui in hoc mundo vitam egerunt scelestam ac perversam plenam mortalibus & gravissimis peccatis, sæpe resurgentes, denuòque relabentes; tandem autem, per meam clementiam & misericordiam, obiverunt in mea gratia: & postquam fuerunt mundatæ in pennis Purgatorij, data fuit ipsis gloria, quam vidisti, quæ licet sit gloria, cæterorum tamen gloriæ comparata est minùs

Vita Mar. de Escob. Pars II.

perfecta. Scælæ, quam vidisti, repræsentat magnam difficultatem, quæ eam gloriam obtinuerunt, propter persecutionem dæmonum, & suam maximam tepiditatem. Alia gloria, quæ tibi fuit ostensa, longè hæc præstantior, adeoque excellens, est præmium animarum, quæ mihi in hac vita perfectè serviverunt. Tum ego dixi Divinæ Majestati: Quare verò, Domine, mihi manifestas hæc mysteria? Libenter, respondit Dominus, pando meis servis mea arcana: præterea ut cognoscas gratiam, quam tibi præsto, dum te duco eà viâ, quæ progredieris; utque homines sciant, quid amittant, quando mihi non serviunt, sicut debent; ac etiam ut pro talibus ores. Hoc mihi dixit Dominus, qui sit in æternum benedictus. Amen.

Subdit postea, quod hæc quoque pertinet, postremis hujus mensis diebus videt, & sic ait.

Sub finem Aprilis, post extraordinarios affectus amoris Dei, quibus mea anima & cor ardebat, mihi dixit Divina Majestas: Modò Anima, es fatigata, veni mecum, ducam te, & videbis hortum, quo meliorem nunquam vidisti. Duxit me Deus ad cælestem Patriam, ostenditque mihi spatiosum, & pulcherrimum campum, atque in eo omnes Beatos. Cognovi ibi naturam, & essentiam Angelorum, & omnium reliquarum Hierarchiarum, unaque Patriarcharum & Prophetarum, ac cæterorum Beatorum, & Parvulorum, de quibus sum aliàs locuta, atque illorum Beatorum, quos ante paucos dies videram, & qui, nostro modo loquendi, videbantur gloriam habere imperfectam. Fuit visio admirabilis, ubi tantam vidi cælestium ac divinorum magnalium varietatem. Dixit tum Divinæ Majestati: Domine, istène est hortus? Ego illum voco immensorum pompam bonorum. Postea mihi DEUS ostendit sanctissimam Virginem Mariam, & sacratissimam Humanitatem JESU Christi Domini Redemptoris nostri, ac deinde Beatissimam Trinitatem, omniumque gloriam, modo possibili, & accommodato meæ exilitati. Vidi tamen divitias gloriæ ac thesauros Divinos, qui me rapuerunt in admirationem; præterea qualiter

M

hic

hic Dominus, instar Divini Solis, suis in-
fluat radijs in illos Sanctos, eosque reddat
Beatos, communicando ipsis sua inmensa
bona.

Vehementer mirabar hanc magnifi-
centiam, quando ad me venit sanctus Pa-
ter Ludovicus de Ponte, mihi que, dixit:
Soror, veni mecum ad tuum angulum, jam
enim est tempus. Ego, quia eram quam
contentissima, dixi: Relinque me sancte
Pater, & reluctando nolebam cum ipso
ire, quamvis insistere, ut me abduceret.
Eo tempore ad me venit Dominus, dicens:
Age Anima, veni mecum, ego te ducam.
Paulò post reversa ad meum cubiculum,
ducente me Domino, conspexi illum quasi
Solem lucidissimum, evibrantem divinos
radios, qui erat figura sacratissimæ Per-
sonæ Spiritus Sancti. Tum se coram illo
prostravit Pater Ludovicus de Ponte, ro-
gavitque ipsum, ut differret, si ei liberet,
mysterium, quod volebat operari, siqui-
dem esset nociturum meæ valetudini, pro-
pter meam debilitatem: verùm Dominus
id ipsi eâ vice noluit concedere, perstrin-
xitque ijs radijs divinis meum pectus &
cor, atque unitam illi Divinæ Essentiæ me
transformavit in se ipsum, ubi hæcenus
permanſi, ita ut propè cum nemine pos-
sim conversari, nisi perquam difficulter.
Benedictus sit in omnem æternitatem. A-
men.

*Videtur sancta Virgo hac occasione indica-
re, quod non solum viderit gloriam Sancto-
rum, sed etiam naturalem eorundem essen-
tiam, quandoquidem dicit, se cognovisse natu-
ram & essentiam Angelorum, & caterorum
Beatorum, posteaque ait, se vidisse ipsorum
gloriam. Verùm utcunque se res habeat, longè
admirabilior est gratia, quam in hoc genere ob-
tinuit tertiâ Julij, hujus anni sexcentesimi
viginti quinti, ubi non quomodocunque glo-
riam vidit Beatorum, sed etiam illam, quam-
vis brevissimo tempore, videtur delibavisse.
Audiamus eventum, qui est singularissimus,
& ab illa refertur his verbis.*

Feriâ quintâ, tertiâ Julij, dum versaret
cum Deo, & commoverentur, eo præ-
sente, affectus meæ animæ, dixi ejusdem
Majestati intensissimo affectu: Certè Do-

mine & Deus mi, pluris facio, si tuam ex-
quat voluntatem, quam quicquid repa-
re est in cælo & in terra. Atque hoc affi-
ctu durante mihi multa in mentem vene-
runt, præsertim verò judicabam, nihil pro
me existere extra Deum, quod magis zeli
mem, meque amplius delectet, quam si
impleam ipsius voluntatem, licet id agere
do jacturam facerem vitæ, unaque omni-
um aliarum rerum. Dominus magni fa-
ciens hanc meam oblationem, & quam e-
mantissimè mihi respondens, dixit: Opte-
mè es locuta, Anima, plurimum mihi ista
actu placuisti, quem eliciuisti. Pollicetur
tibi per memetipsum, quòd tibi propter il-
lum sim singularem præstiturus gratiam.
Fuerat mihi pridè dictum, solvere ex An-
glia ingentem classem hæreticorum, con-
tra Regna Hispaniæ, & quia mihi id in me
in mentem venerat, dixi: Iraque mi Do-
mine, cum mihi sis gratiam istam præstaturus,
fiat, si illi hæretici non sunt converten-
di, quin inò ab ipsis es offendendus, per-
severantibus in suis erroribus, & sua vitiosa
vita, ut illos destruas, & auferas ex hoc
mundo, ubi tantas moluntur injurias,
voluntque injurijs afficere tuos serps, ve-
ramque sanctam Ecclesiam. Dominus gra-
vissimâ quadam mansuetudine respondit:
Bene est Anima, bene est; significasti mi-
hi, non istam esse gratiam, quam multum es-
set præstiturus.

Mox conversus ad meos Dominos An-
gelos, commorantes in meo cubiculo, dixit:
accipite istam creaturam, vestite illam,
& exornate, sicut alias consuevistis,
& imponite curru triumphali, ac vestite,
quo ipsam ego volo proficisci. Sancti An-
geli responderunt; profundè sese inclina-
ndo: Domine hunc vestitum custodite.
Divinus tuus Spiritus, utpote illius deus
nus. Sit licet ita, dixit Dominus; ipse id
circo mittet sui Præfectum vestiarum. Au-
diebam hæc verba, obstupescens immen-
sam charitatem hujus magni Domini me-
stri, qui ad ostendendum nobis suum at-
dentem amorem, tantopere se nostris ac-
commodat modo loquendi, & communi-
rerum usui, ut ista præmittat, quòd melius
intelligamus ipsius benevolentiam, quam
Ejus

Ejusdem Majestas non sciret melius, ubi esset ille vestitus, & Angeli ignorarent voluntatem sui Domini, aut cogitarent ipsi esse ignota, quæ illi referebant. Domini mei Angeli me re ipsâ sustulerunt in altum, & Divina Persona Spiritus Sancti, præmissis suis vestitiarj Præfecto, descendit stipata innumerâ multitudine Angelorum. Adveniebat Ipsius Majestas speciem gerens humanam, assumptâ subtilissimi corporis figurâ, quale aliâs videre soleo. Est autem corpus phantasticum, assumptum à Divinis Personis, absque comparatione, ut in alijs chartis dixi, delicatius eo, in quo comparare contulerunt Angeli. Postquam Divina Majestas cum omni illo cælesti comitatu advenit, sui quàm spiritualissimè induta eo vestitu & ornatu, cujus alijs occasionibus memini, & elevata ad cursum triumphalem. Eratis parvus, & supernè totus discoopertus: materia erat similis solari, & pulchritudo ipsius ac splendores erant stupendi. Trahebatur à quatuor sanctis animalibus (voco verò animalia, quia id mihi Deus modo quodam, què nescio explicare, ita representabat) & singula gerebant insigne ac symbolum distinctum, unum Lunæ, aliud Solis, aliud Aquilæ, & aliud Leonis. Isto curru, & cum hoc comitatu sui vectâ ad cælestem Jerusalem, ubi me ille Divinus Spiritus, ac Deus noster, magnâ majestate & pompâ, deposuit ex curru, & paribus mihi exhibitis indicij amoris, dixit: Veni Sponsa mea, & cape possessionem bonorum, quibus fruëris in æternum. Jam dixi, quanto cû rubore & verecundiâ, eò quòd sim vilissima creatura, audiam hoc nomen Sponsæ: hinc autem vel maximè erubui.

Duxit me Divina Majestas ad quendam altissimum locum, ubi videtur cumulatissimè replevisse meam animam gloriâ, collatâ mihi speciali cognitione Divinæ Essentiæ, & ipsius perfectionum atque attributorum. Et verè existimo, mihi hac vice fuisse certo modo, quem exponere nescio, communicatam beatitudinem illorum, qui fruuntur Deo. Sicut si diceremus, à quopiam percipi saporem alicujus cibi, quem tantum admovisset labijs, non

Vita Mar. de Escob, Pars II.

tamen comedisset: ita, licet mea anima non frueretur eâ gloriâ, quam possident Beati, videtur nihilominus dictâ ratione illâ fuisse fruita, ipsamque velut delibavisse. Finitâ hac visione & fruitione, tota Sanctissima Trinitas me sibi univit, ubi mea anima fuit quasi submersa in immenso Divinitatis pelago, donec post breve temporis spatium me reperi in meo angulo, sed ita, ut mihi videretur aliquid deesse, & quamvis viverem, corpus tamen meum carere animâ.

Interea me denuò est allocutus Dominus, dixitque sanctis Angelis, ut me ducerent ad cælum, quò etiam pars inferior ac natura ipsius bonis frueretur. Inveni me subitò rursus in cælesti Patria, nescio profectò an cum corpore, an absque illo: scio tamen prorsus mirum mihi accidisse modum, quo tum videbam, quæcumque erant in ea fortunatissima Civitate. Quia dum contemplerer pulchritudinem & splendorem ineffabilem Beatorum Spirituum, & gloriosarum Animarum, quæ erant inter ipsos, debui manu oculos obtegere, sicut illos tegimus, quando perstringuntur à Sole. Primum, quòd mihi Divina Majestas ostendit, fuit, quòd viderim meam animam unitam illi Domino, & quasi intimè penetratam ab eo Divino Esse. Deinde conjeci oculos in totam illam cælestem multitudinem Angelorum, & Animarum sanctarum: ac denique, etli velut eminus, vidi gloriosam Virginem Mariam Dominam nostram, cujus conspectus me singulariter exhilaravit. Inter hæc, juxta supputatum postea à me tempus, præteriverunt tres circiter horæ: cùm enim inchoata fuissent horâ noctis duodecimâ, quando plene ad me redij, jam erat tertia matutina. Adverti, dū fruerer eo glorioso cōspectu, nescio quomodo, seu in me fuerit excitatus antiquus ille meus affectus agendi cum Deo viâ ordinariâ, seu existimaverim, dictum mihi fuisse, ut reverterer: adverti, inquam, me, sive repugnando tunc illi affectui, sive resistendo ei, à quo jubebar abire, dixisse Deo, quia nempe mihi erat bene: Expecta mi Deus, expecta paulò diutius. Verum tandem operâ meorum

rum Dominorum Angelorum sum secundò reduc̃ta ad meum angulum. Laudetur Divina Majestas in æternum. Amen.

Quadam hujus scripti difficultates sunt superius sufficienter explanata. Quod attinet ad cetera, non tam nostrã indiget explicatio- ne, quã incitat ad affectum gratiarum a-

Etionis, erga magnum Deum nostrum, qui usquoadeo sublimibus modis, liberaliter & mansuetè communicat suis creaturis. Anima mystica procul dubio fuerint Angelu. Possent præterea dici alia, sed qua ex sacris Interpretibus, agentibus de curru Ezechielis, facili intelliguntur.

CAPUT XXI.

Concluditur horum ascensuum materia, admirandis quibusdam eventibus.

Dixi jam capite decimo septimo, omnes propè descriptas à nobis gratias, quas hæc Virgo à Deo est consecuta, præstas ipsi fuisse, dum à Divina Majestate elevaretur ad cælum; atque hoc loco, ubi pertractabamus argumenta perfectionis, ad quam pervigerat, illos tantummodo ad cælum ascensus esse collectos, ex quibus id ipsum clarius concluderetur. Tales sunt, quos nunc referam. Qui sequitur, evenit, anno sexcentesimo vigesimo sexto, sic ab ipsa descriptus.

Die secundâ Decembris, à media nocte ad horam usque quartam matutinam, egi cum Deo, eliciens ferventes affectus contemptus mei ipsius, depromptos ex mei cognitione, quam mihi Ejus Majestas communicabat. Erant adeò vehementes, ut deficerem viribus, & rogando Deum, ut me adjuvaret ac illuminaret, dicebam summâ mihi possibili devotione Psalmum: *De profundis.* Deus meus solabatur & confortabat, tandèmq; duxit ad cælestem Jerosolymam. Ibi me Domini mei Angeli prostraverunt super pavementum illius cæli, & acclinavi caput ad fasciculum delicatissimorum, & suavissimè redolentium florum, qui illic erat, atque obdormivi. Somniavi, ostendi mihi, viderique à me Divinam Essentiam, & ejusdem attributa, eo modo, quo in hac vita mortali possunt in mysticis videri figuris. Expergefacta sum ex somno, & visa mihi fui, non somniasse, sed sicut dixi, vidisse illud Bonum: atque re ipsâ non fuit aliter. Postquam evigilavi ex isto quasi somno, ducta sum à

meis Dominis Angelis ad Majestatem magni Dei nostri, qui mihi dixit verba, quæ aliàs, & referre semper plurimum erubescio, sed à Confessario meo scribere sum jussa: fuerunt autem hæc: *Tota pulchra es amica mea.* Cùm ita me compelleri audirem, abalienata fui à me præ verecundia, ac dixi: Mi Domine, noli me taliter compellere, alioquin dicam, istud alloquium non esse tuum. Divina Majestas dissimulavit hanc meam opposicionem. Angeli verò me derepente immerferunt in quandam velut puteum illius cæli, qui totus quoque erat cælum, & coloris celestis. Intravi ipsum usque ad pectus, atque me, nescio quâ ratione, renovavi, & videor mihi inde exivisse alia. Tum Dominus speciem gerens Divini Solis, me pulcherrimâ irradiavit luce, ita ut etiam ego resplenderem, & propter radios prodeuntes ex meis brachijs, manibus, digitis, ac pectore, quibus perstringebantur mei oculi, cæcutirem. Ita hoc visum fuit constituta; postquam sum reduc̃ta ad meum angulum. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

Die decimâ nonâ Augusti, anno sexcentesimo vigesimo septimo, refert in scripto subsequentia.

Toto fermè hoc mense Augusto sum passa gravissimos oculorum, pectoris, & dorsi dolores. Exurebant me vehementer quidam æstus, integris durantes diebus & noctibus, meque continuè excruciantes, langvente ac deficiente naturâ, ut mihi viderer expiratura. Fiat Divina voluntas. Interea conspexi Majestatem Jesu Christi

Sec.

Servatoris nostri, qui mihi dixit: Anima mea, veni mecum, & respirabis à tuis afflictionibus: non videor enim posse amplius permittere, ut tam multa patiaris. Ducta fui à Domino ad cœlestem Patriam. Ibat solum mea anima, quam videbam in specie quasi quadrimestris infantuli, candidissimam, gerentemque longos & flavissimos capillos. Taliter constitutam me Dominus duxit suis sanctissimis manibus, & præsentavit Beatissimæ Trinitati. Pater æternus me suscepit ad sua brachia, in quibus vidi meam animam, non jam in ea priore specie, sed modo spiritualissimo. Univit me sibi idem Dominus, & reliquis duabus Divinis Personis, unione forti & svavi. Ibi mea anima mansit, atque eternum manet, dum id scribo, fruens dulcissimis illis delicijs ac amplexibus: & aliunde natura hic patitur, quæ antea. Benedictus sit Deus. Amen.

Simili occasione, ut supra retulimus, illi dixit Dominus, hunc modum gaudendi, unaque patiendi, esse specimen quoddam eorum, quæ in hac vita mortali acciderunt Christo Domino amabilissimo Servatori nostro, qui summam gloriam conjunxit tremendis doloribus. Admirandus est sequens eventus, qui contigit decimâ sextâ Maij, anno sexcentesimo vigesimo octavo, & ab illa his verbis describitur.

Rogabam in mea oratione Deum, ut me illuminaret ac doceret, quomodo me conformare deberem ipsius voluntati, cumque desiderarem, ut mihi Divina Majestas gratiam præstaret, prout illi placeret, cœpi subito dubitare, an non fortasse optarem res extraordinarias? unde statim dixi magno fervore: non mi Domine, non volo, nec desidero quidquam præter te, nihilque magis cupio, quam tibi servire, ac te querere, quacunque ratione volueris. Quodsi mihi dæmon ingesserit aliquam imaginationem, ut sceter viam quampiam singularem, nullo modo illam admitam: non habet ille quod hac super te mecum agat: alioquin ipsum comburam & concremabo. Dominus me benignissime audivit, dum id dicerem, responditque mihi svavissime: Anima, quid di-

cis? quomodo poteris comburere, & concremare dæmonem? omnino mi Domine, aiebam ego, dico, quod ipsum sim combustura, & concremata, si mecum hac de re egerit. Advette, quid dicas, respondit Dominus. Omnino mi Domine, rursus dixi: jam enim scio, qualiter me id facere oporteat. Debeo nempe, mi Domine, illum exhibere ac deridere, & nihili facere, quidquid mihi fuerit locutus: nam nihil magis urit dæmonem, quam dum se videt despici, & vilipendi. Nunc Anima, dixit Dominus, veni mecum, es enim fatigata, & refocillaberis in me.

Duxit me secum Dominus ad cœlestem Jerosolymam, & præsentavit prostratam Patri æterno, qui bene mihi precatus, me iussit surgere. Et animadverti, quod, postquam meam animam, dum hac vice ascenderet, vidissem in specie parvæ puellæ, me viderim, quando hic fui à Domino iussa surgere, transformatam quasi in virgulam fumi ascendentis ex thure, quodque directissime ascenderim in altum. Hunc itaque in modum, ubi surrexi, sum à Domino ducta ad maximam altitudinem, quod, ut mihi videretur, nunquam hæcenus ascenderam: an quia tam eximia sunt bona cœlestia, ut quotiescunque obtinentur, aut conspiciuntur, appareant nova? Postquam ascendi ad prædictam altitudinem, vidi stupendissima magnalia immensæ Essentiæ Dei, quæ excedebant omnia, à me aliàs visa. In summitate & vertice illius altitudinis, vidi, supra sublimissimos Cherubinos & Seraphinos exaltatam, speciosissimam & gratiosissimam Dominam, quam nulla potest lingua dignis efferre laudibus. Eminerat admirabili majestate super omnia ibi spectabilia, videbaturque mihi, ipsiusmet Dei sustentari brachio. Quando agnovi, esse Celsissimam Virginem Dominam nostram, non capiebam me præ solatio. Salutavi illam quam optime potui; petij ab ea gratias pro multorum, qui se mihi commenderant, remedio; rogavi ipsam, ut instanter intercederet apud suum sanctissimum Filium. Audivit me peramanter, dixitque mihi, se id facturam. Dum isto

fruerer conspectu, univit me secum Deus, ubi, disparente mihi sanctissimâ Virgine, sum satis diu fruita stupendis bonis, & quivi in Divino Esse.

Postquam ad me redivi, dixit mihi Dominus: Anima, jam est tempus, ut abeas ad tuum angulum, & scribas epistolas pro meo honore, & profectu ac solatio tuorum proximorum. Non mi Domine, dixi ego, non abibo, nisi me tua Majestas comitetur. Nescio, qualiter anima hujusmodi occasionibus sit comparata, ut, dum summè reveretur Deum, nihilominus sic loqui non vereatur. Omnino Soror, dixit Divina Majestas, abi, dabo tibi aliquem, qui te comitetur. Et ostendendo mihi quandam beatam & elegantissimam puellam circiter sexennem: hæc inquit, te comitabitur. Non Domine, rursus respondi, non abibo, nisi te comite. Itaque comitetur te etiam, subjunxit Dominus, Ludovicus de Ponte, & Marina Hernandez tua socia. Tandem, quantumcunque invitata, debui redire, comitantibus me tribus sanctis Animabus, quas mihi Dominus assignaverat. Quando perveni ad meum angulum, accessit ad me illa pulcherrima, ac beata puella, & dixit mihi: amita mea, non me novisti? atque artissimè me est amplexata. Tum illam agnovi, & respondi ipsi: ita, delictolum meum, bene te nescio. Scias autem, amita mea, dixit puella, me in cælo occupari eo, quod asserui in fine vitæ meæ, dicendo: abeo ad cælum, ut inter choros Angelorum benedicam, & laudem Deum. Sic est, hoc nunc ibi munus exequor. Sanctus Pater Ludovicus aderat quasi arridendo, lætus ob meam cum puella conversationem. Marina Hernandez solatio affluens, mihi gratias egit, ob susceptam à me pridie ad domum quandam Virginem, quam ista existens in hac vita, propter singularem illius virtutem, multum amaverat.

His distinebamur, quando audivimus magnum strepitum tonitruorum cum fulgetris, & velut bombardarum in alto resonantium, prope ipsum cælum. Sanctus Pater mihi tum dixit: Dominus venit, non li metuere. Interea veniebat Deus magnâ

stipatus multitudine Angelorum, qui me artissimè sibi unitam rursus duxit ad celestem Patriam, & elevavit ad illam altitudinem Divini Esse, longè superiorem præcedente, ubi fui submerita, moque perdidit in ipso Deo. Nescio utrum tota fuerim ducta, quia verè me ipsam non sentiebam. Ibi mansi, & postea me repertum meo angulo, ubi statim potui respondere quaternis epistolis personarum afflictarum, quæ ad me scripserant. Benedictus sit DEUS.

Felix ista puella, de qua Virgo loquitur, fuit ipsius neptis, cui Deus per speciale privilegium acceleravit usum rationis, ut adiret multum sibi meritum accumulaverit. Obij pronuntiendo dicta verba. Hinc, dum alia vice, ut infra dicemus, Sancta ascendisset ad cælum, & mirata fuisset, quòd inter annos infantium recenter baptizatorum, & de quætionis usu in prima gratia mortuorum, non videret animam hujus puella, illi quidam angelus dixit, ipsam esse in choro superius, eo quòd per divinam gratiam obtinuerit lumen anticipatum, & prima gratia promeruit augmentum. De Marina Hernandez, alama & socia hujus Virginis, heroica virtuti molere, sæpe in hac historia sermo recurrit. Tui Vallisoleri bene nota, ejusdemque sanctitatis gravissimis viris approbata. Quod nunc exponam, evenit vigesima septima Junij, anni sexcentesimo trigesimo primo: & quia pleruma continet mysteria, atque sublimissimam doctrinam, jussa fuit à suo Confessario, omnia singulatim hujus eventus exprimere circumstantias, quas in eo observaverat. Habebat anima multa, qua hinc discant, & non parum quòd mirentur, ob variarum perfectionum cœlestium, quas hæc admirabilis Virgo tum exco-cuit. Ipsa illum sic recenset.

Feriâ sextâ, post Octavam sanctissimi Sacramenti, peractâ sacrâ Communionem, dum mea anima eliceret ferventes & ardentes affectus, atque efficacia desiderii conformitatis in omnibus, & per omnia, cum divina voluntate, multa dicebam Deo, præsertim verò: non te deseram Domine mi Deus, non te deseram Beatissima Trinitas; non dabo somnum oculis meis, neque capiti meo quietem, donec tibi in

corde meo inveniam habitationem, & locum Deo Jacob, qui vivit & regnat in saecula seculorum. His, & similibus incredibili ardore dictis, subdebam subito: Ah mi Deus fatigaberis, si id in te cadere posset, audiendis meis clamoribus, & meis continuis molestationibus. Divina Majestas audivit hæc ex affectu cordis mei orta alloquia, responditque mihi benignè & amanter: non fatigat Anima, nec possum fatigari; dum te ausculto, imò gaudeo, ac delector.

Eo momento vidi descendentem de cælo summam quandam Majestatem, tanta cum pompa, ut videretur commotum fuisse cælum cum terra, eodemque tempore vidi, à dæmone, conante effingere simulacrum mysterij descendentis de cælo, similem oculis meis objici repræsentationem. Statim ipsum illuminata à Deo agnovi, & fui notabiliter afflicta, videndo, quòd tali occasione maledictus auderet aliquid simulare, de veritatibus mei Dei, & conversa ad Divinam Majestatem, conquerendo dicebam: Quomodo mi Deus, & mi Domine, permittis hanc abominationem, & impudentiam diaboli? qui tamen non cessabat, imò perseverabat in effingendis ejusdem gestibus, quamvis aliquatenus timendo Angelos mihi assistentes. Cum ita conquerer, dixit mihi Deus: noli angi Anima, noli affligi: nam ad majorem gloriam meam, & bonum animarum, utque elucescant, & magis animæ appareant meæ veritates, si pe permitto, & indulgeo diabolo, ut fingat hujusmodi figuras ac falsitates. Deinde præcepit duobus ex his meis Dominis Angelis, ut dæmonem inde abigeret, qui advertens ipsos moveri, tam celeriter fugit, ut repente præceps ruerit in infernum. Tum meus sanctus Angelus Custos accessit, tactoque meo pectore & capite, me penitus quietam reddidit, ac pacatam.

Jam illa Divina Majestas, quæ descendebat, mihi erat proxima, infundens meæ animæ clarum lumen, & cognitionem, quòd esset sacratissima Persona Spiritus Sancti: quapropter mea anima fuit non nihil turbata, vehementer obstupescens

mysteria sui Dei. Appropinquabat magis ac magis eâ specie, quam nescio explicare, quia erat spiritualissima, admirabilis ac divina: & cum ad me pervenisset, impleta fuit mea anima suo Deo, ita ut videretur immersa illi immensitati, & Divinæ Essentiæ sui Dei. Subito autem eadem pompâ, quâ descenderat, & paulatim, summa illa Majestas rursus ascendebar, ducens secum meam animam, dicendo illi hæc verba: veni dilecta mea, amica mea, sponsa mea, ad æternum tui Dei habitaculum. Mea pauper anima, ob audita hæc verba, quamvis ipsi magnum adferrent solatium, nihilominus summè fuit pudefacta, erubuit, & extimuit, adeò ut viderer velle in profundam descendere meæ miseræ & vilitatis abyssum: unde me non potui continere, quin ab hoc affectu abrepta dicerem ex animo ad meum Deum: Quid dicis, mi Deus & mi Domine, quid dicis? ego id non intelligo, neque intelligere possum. Indigna sum ancilla tua, & vilissima omnium, quas creavisti, atque abjectissima creatura, ac talem me esse existimo. Revoca tua verba, mi Deus & mi Domine, si me vis consolari ac recreare, & dic mihi: veni miserabilis creatura, infirma, & ad ossa usque in tuis peccatis inveterata, leprosa, surda, & muta, ut te mundem, demque tibi aures, quibus audias divinas inspirationes & vocationes: veni mecum, propter meam bonitatem meam, quia ex pura mea misericordia te volo curare à tua lepra, & vulnera tua sanare. Hoc mihi dicere debes, mi Deus, quo opus habeo. Dum ista speciali proferrem affectu, intimè cognoscens propriam vilitatem, & admirabilissimo eo modo, sicut dixi, ascenderem, mea anima se invenit in illa cælesti Jerosolyma, velut perditam & submersam intra meum Deum, in quadam immensa altitudine. Ita sui constituta, nescio quamdiu, ac deinde me deprehendi in meo angulo, sed tamè intra meum Deum, eodem modo, quo eidem Domino inhaereram, quando ipsum illo matutino tempore suscepi in venerabili Sacramento, ut initio agebam.

Tunc mihi dixit Christus JESUS Dominus noster: Quomodo vales Anima? quo

quo successu egisti cum sacra Spiritus Sancti Persona? Non respondi ullum verbum, quia eram quasi attonita, & Dominus subiecit, dicendo: bene tibi est, sed ecce scias, me tibi velle instruere grande convivium, teque ad divinas epulas invitare, per quas repleberis hic ipso, afflues solatio, & satiaberis secundum tuam capacitatem. Dum mea anima hæc verba audiret, expergefata ex eo raptu, atque contenta, & plena solatio, dixit magno affectu: Mi Deus, & mi Domine, cum mihi ex pura tua bonitate hæc præstes gratiam, potest utique is qui invitatur, unam adducere quempiam alium. Esto ita, dixit Dominus, volo tuæ petitioni satisfacere, tibi que hoc dare solatium. Idcirco mea anima, impellente me eo affectu, cepit conjicere oculos in omnes meas socias, & amicas Moniales, ut illas secum adduceret. Veni Anima, agebat Dominus: & anima mea ascendebat cum suo Deo, à quo iterum ducebatur ad cœlestem Jerosolyam, semper tamen circumspiciendo, an venirent etiam meæ amicæ, ac sociæ, & quodammodo ipsis innuebat, dabatque signum, ac si diceret, ut eam comitarentur. Taliter Dominus pervenit ad cœlum, simulque meam pauper animam. Ingressæ quoque sunt illam cœlestem Patriam amicæ, & sociæ, quæ nihilominus subsisterunt aliquantò remotius. Mea anima fuit præsentata Beatissimæ Trinitati, & coram ea prostrata, atque Divina Majestas mihi bene præcata est, ac dixit: surge Anima; quod ipsa fecit provoluta in genua, & vehementer obstupescens.

Interea vidi, ab Angelis fabricari mensam quandam mysticam, & adornari: quo apparatu finito Beatissima Trinitas condescendit ad caput mensæ, atque ad ejus dexteram Majestas Jesu Christi Domini nostri, veri Dei & Hominis. Mandavit Dominus Deus quibusdam sanctis Archangelis, ut ad eandem sacram mensam adducerent sanctissimam Virginem Mariam Dominam nostram, & gloriosum sanctum Joachimum, sanctam Annam, & sanctum Josephum. Postquam sacratissima Virgo adfuit cum his Sanctis, exhibentibus ma-

gnum honorem Divinæ illi Majestati. Dominus illos jussit accumbere. Deinde fuerunt pariter adducti, ex mandato eisdem Dei, multi sancti Patriarchæ & Prophetæ, aliique Sancti ex supremis, qui omnes sunt à Divina Majestate jussi assidere. Tum conjiciens magnus hic Deus oculos in meam pauperem animam, benignè illam jussit accedere ad eam mysticam mensam, ut, quemadmodum summam suam sapientiâ disposuerat, gustaret illum divinum cibum, quo sustentabantur celestes Palatini, dixitque, suam etiam partem obventuram invitatis, quas adduxeram. Tunc ad me venit meus sanctus Angelus Custos, & hi mei Domini Angeli mihi cohabitantes, atque plures alij, & duxerunt me in illa specie, quam gerebam, ad illam sacram mensam, continuè respicientem socias, & amicas, ut mecum venirent.

Cibus, in ea mensa appositus, erat admirabilissimus ac Divinus, & quantum mea anima allequitur, ipsemet Deus, quæ est sustentatio & vita (ut sic dicamus) sui ipsius, propter suum Esse à nemine dependens, & sustentatio ac vita nostra, præcipuum & fontis nostri Esse, motuum & actionum, tam naturalium, quam supernaturalium. Et observavi, quod tres illæ Divinæ Personæ se meæ animæ interdum præstandas præberent instar trium sublimissimum Angelorum, ut videlicet, quantum intelligo, significarent munus, quo eę creaturas funguntur, subministrando illi esse & motum: verum advertēbam quoque, me pariter, cum se mihi repræsentarent quasi Angelos, in ipsdem agnoscerē id quod erant, hoc est, unam in tribus realiter distinctis Personis Divinitatem. Quocirca etiam illas in ea specie Angelorum adorabam, modò ut unum Deum, atque ut tres Personas.

Hæc omnia contemplabatur mea anima, partim summo affluens solatio, partim verò valde attonita, cœque magis, quod non possem tam multa, tamque sublimia mysteria comprehendere, quæ mihi illi manifestabantur. Unum erat, quod ex tribus supremis Angelis, qui repræsentabant, ut dico, Sanctissimam Trinitatem,

is, qui medium occupabat locum, distribuere cibum, imprimisque singulos portaret bolos sibi utrinque affidentibus, ac deinde Sacratissimæ Humanitati JESU Christi Domini nostri, quo, ut ego intelligo, indicabatur, qualiter Pater æternus sit origo & fons, à quo Divina Essentia communicatur Filio & Spiritui Sancto, quodque Christus Dominus noster, quæ homo (quia est Divino Verbo unitus) obtineat primum locum, & præ omnibus creaturis in gradu incomparabiliter perfectissimo, participet dona Dei. Postea dabat suo ordine omnibus convivis, quod juxta cujusque capacitatem singulis conveniebat. Fiebat porro, ut, cum admovisset cibum ad labia convivarum, replerentur Deo, & multis donis, quæ ipsis communicabantur, juxta singulorum votum, ac divini beneplaciti dispositionem. Adverti, quod ille Angelus medius, representans, sicut dixi, Personam Patris æterni, dum dispensaret eum Divinum cibum, duobus ipsum tantummodo digitis sumeret, ex quadam velut patena: & intelligo, per hos duos digitos fuisse significatas reliquas duas Divinas Personas, quæ unà cum Patre impertiantur hæc mystica dona suis creaturis, & patenam fuisse figuram Divinitatis, ac Divinæ naturæ, communis omnibus tribus Sacrosanctis Personis, quæ in ijs est principium operum, unde, tanquam ex causa, procedunt effectus, quos Deus in suis creaturis operatur.

Modus, quo id peragebatur, atque dispar illa, sed suâ singulis proportionem convenientissima, distributio, & communicatio, res erant tam admirandæ ac divinæ, ut non solum à lingua nequeant ullâ ratione adumbrari, sed neque ab anima potuerint comprehendi. Sensi nihilominus in mea anima effectum portionis, quæ mihi obtigit, competens statui spirituali, in quo me Deus conservat: fui enim quodammodo repleta Deo, & suavissimo affecta solatio. Sociæ quoque, & amicæ, modo ipsis occulto suam acceperunt partem. Mysterium, præ æteris meæ animæ manifestatum, illud erat, quod sublimi cognitione perceperim, qualiter Deus se comprehendendo, semet amet, seq; ipso fruatur, sine dependentia ab ulla creatura, eò quod sit supremus Deus & Dominus universorum, à quo omnia creata in suo esse dependent, & in conservatione; atque omnia summa & amabili providentiâ, secundum ipsius bonitatem ac misericordiam, & uniuersusque indigentiam, justissimè ac perfectissimè gubernantur. Erat verò mea anima, dum omnia ista mysteria videret, vehementer elevata, sibi que erepta in magna ecstasi, licet ignorem, quamdiu hic raptus duraverit, post quem me reperi in meo cubiculo plenam erubescentiâ, ob meam vilitatem, & admiratione, ob talia mei Dei opera, qui semper sit millies, iterumq; millies benedictus.

Amen.

CAPUT XXII.

Visitationes, quibus illam dignati sunt gloriosi Sancti, Joachimus, Anna, & Joseph.

Hæc familiariter fortunata hæc Virgo versabatur in cælesti Aula, & heroicæ ipsius virtutes adeo similes erant virtutibus Beatorum illius incolarum, ut Deus non tantum voluerit, quod illi gratificaretur, eam frequenter ascendere ad cælestem Patriam, interdumq; invisere illos felices Palatinos, cum quibus postea in æternum esset victura; verum

Vita Mar. de Esob. Paris II.

etiam ipsi, durante ejus exilio, ex empyreo suo Palatio, quod in imperiali illius habent Civitate, descenderent ad pagum nostræ terræ, & paupertinum tugurium, in quo ipsa morabatur, ad eam consolandam. Adeo ut propè nunquam aliqua præterierint septimana, quin illa eò ascenderet ad gratulandam ipsis eorum gloriam, aut illi vicissim eam revertentes huc descenderent, ad ipsam confortandam in illius afflictionibus. Multa hæc de re habentur in pri-

N

ma

ma parte, & in ista secunda vidimus, deinceps-
que sufficienter videbimus in diversis capitibus
de ceteris materijs, quas pertractabimus. Vi-
sum mihi tamen fuit in presenti, quam præ
manibus habemus, quasdam colligere speciales
Sanctorum visitationes, quæ præ reliquis ma-
gnam indicant perfectionem, quam in hac pu-
rissima Virgine comperiebant. Incipio ab his
tribus Sanctis, conjunctissimis quoad omnia
Christo Domino amabilissimo Servatori nostro,
& Sanctissima ejusdem Matri, siquidem illi ob
id ipsum singulari, erga mundissimam istam e-
jusdem Domini sponsam, ac dilectissimam Vir-
ginis filiam, ferebantur amore; ipsa verò pari
eos prosequatur honore. In quadam igitur
charta, quæ fuit conscripta anno sexcentesimo
vigesimo quinto, vigesima Martij, quâ die Ec-
clesia gloriosam recoit memoriam felicissimi
Patriarchæ Joachimi, sic ait.

Feriâ quintâ, vigesimâ hujus, manè, vi-
di gloriosum sanctum Joachimum, qui ge-
stabat in brachijs Sanctissimam Virginem
Dominam nostram, quasi trimulam. Glo-
riosissima Domina habebat vultum con-
versum ad Sanctum, cujus humeros strin-
gebat brachiolis. Ego vidi ipsius dorsum,
& erat induta vestibus longè pretiosiori-
bus, ac pulchrioribus, quàm dici possit.
Sanctus respiciebat locum, in quo eram,
atque tum cepit deprædicare tantas, ac
tam divinas laudes illius superbenedictæ
Dominæ filix suæ, & Genitricis Dei, mo-
do, & sermone adeò sublimi, ut à me ne-
queat explicari. Et postquam ipsam appel-
lavit templum Spiritus Sancti, Sacratium
Verbi æterni, multisque alijs admirandis
titulis, exprimentibus excellentiam, po-
tentiam, & gloriam illius Celsissimæ Re-
ginæ, nec non singularia beneficia, quæ
Deus per illam contulit humano generi,
imprimisque specialissimum illud, quod
ipse Sanctus à Deo acceperat, dum illum
tam fortunatum effecit Patrem adeò ad-
mirabilis filix. Post hæc, inquam, dicta
Sanctus procubuit in genua, & humi col-
locatâ benedictâ puellâ, quæ velut innite-
batur ejus pectori, elevavit oculos & ma-
nus ad cœlum, gratias agens Deo, pro o-
mnibus his beneficijs, rogansque Angelos,
qui multi cum ipso erant, ut se adjuvarent

in gratijs agendis illi summo Domino,
cujus bonitate ac liberalitate ea acceperat:
quod ij beati Spiritus fecerunt, can-
tando musicâ verè cœlesti divinas lau-
des.

Surrexit deinde Sanctus Patriarcha,
apprehendens Præcellam Virginem in
manu, alterâ scipionem, repræsentantem
eam ætatem, quam habebat, & qualem
cum ea egerit, dum esset trimula: atque
descendens quasi per gradus ex loco alio,
ubi omnia prædicta fuerunt gesta, venit
ad locum, in quo eram, & accedens ad
me, verbis mihi svavissimis ac discretissi-
mis (observant enim quoad hoc Beati-
eum morem, qui ipsis in hoc mundo ob-
tutus fuerat: & dubio procul modus ego-
di hujus Sancti, in vita ipsius, fuerit pe-
quam discretus ac svavis) gratias egit pro
affectu, quo jam inde ab infantia optu-
ram, ut ejusdem festum celebraretur in
Ecclesia, quo die feliciter ex isto mundo
migravit, dicereturque de ipso Officium,
sicut de alijs Sanctis. Et quia meo in-
dustrijs tandem effectum est, ut hoc propo-
situm executioni mandaretur, adjurata
Domino Andrea de las Infantas, quem
dum ageret Consiliarium in Cancellaria
Vallisoletana, plurimum animaveram ad
hanc devotionem, & induxeram, ut co-
natu possibili procuraret à Sanctissimo
Domino nostro facultatem celebrandi
festi, & recitandi Officij de Sancto. Ad
ille ferventissimè, cum esset Gubernator
Hispalensis, præstitit per Canonicos Ro-
mæ eo fine degentes, ut Summus Pontifex
definiret, Purissimam Virginem Do-
minam nostram fuisse conceptam sine
peccato originali. Quia verò Sanctus
meminerat rei gestæ per Dominum An-
dream, quamvis mihi jam constaret, in via
ipsam post suum obitum existere in via
salutis, cum tamen ignorarem, an jam
foret in cœlo, interrogavi Sanctum, &
rescivi ex eo, animam illius jam quies-
cere inter Beatos: atque subjunxit San-
ctus, multum ipsi à se collatum fuisse,
propter devotionem, qua illum coluit,
sèque eadem ratione adjuvaturum sibi de-
votos.

Aug.

Augustissima Puella, Virgo Domina nostra, sedebat in meo lecto, quæ, dum finivi sermonem cum sancto ipsius Patre, me amabilissimè intuita, accedensque ad me, dixit mihi quàm secretissimè, voce quadam subtilissimâ (iste namq; modus, & ille, quo Deus animam in solitudine alloquitur, atque alius, qui est instar spirituales somnij, sunt tres modi loquendi arcannissimi ac divinissimi, quantum ego sum experta) dixit mihi, inquam, in hoc secreto silentio: Optimum tibi, & lætissimum adfero nuntium nomine Dei, quòd videlicet exaudiat, sitque exauditurus tuas preces, quas fundis pro Christianitate, nè illam hostes pessumdent bellis, quæ comminantur. Tum simul mihi valedicentes redierunt, quâ descenderant, atque ibi mihi disparuerunt. Glorificetur Deus in æternum. Amen.

Bene perspectus est in Castella affectus, quo hæc Virgo instanter petijt, ac obtinuit debitam solemnitatem, quam nunc Ecclesia celebrat, in honorem hujus sanctissimi Patriarchæ: ut Deus, sicut hoc seculo est usus operâ sanctæ Teresie, ad excitandam devotionem, quâ fideles presenti tempore colunt sanctum Josephum, ita ipsam videatur assumpsisse, ut per illam induceretur in mundum religiosa veneratio sancti Joachimi. Videtur pietas, quâ semper Hispania honoravit Augustissimam Reginam Angelorum, atque etiam nunc laborat in defendenda purissima illius conceptione, promeruisse, ut ipsi dilectissimus Servator noster, in præmium obsequiorum præstitorum benedictæ ejusdem Matri, tales duas daret filias, quibus procurantibus novos & præclaros sancto ipsius Patri existimato, & verò Avo, deserret honores. Prosequamur autem argumentum nostri capituli. In alia charta, quam scripsit vigesima secundâ ejusdem mensis & anni, biduo post prædictâ, sic ait.

Die Sabbathi, dum hæc bellorum negotia commendarem Deo, rogarémque ipsum, ut respiceret suam Ecclesiam, & populum Christianum, significavit mihi Divina Majestas, quàm pauci reperiantur, qui ei seriò serviant, indicando id representatione agri, in quo post messem solent pauca, eæque in brevibus culmis, reman-

Vitæ Mar. de Escob, Pars II.

neret spicæ. Dixit mihi, sic se habere messem mundi, quæ est hominum, eò quòd demetantur à diabolo, auferentur ipsos ad æternam damnationem, & paucos superesse pro granarijs Dei. Hæc notitia me magno affectu dolore, & cum affligeret considerando, quòd intellexeram, conspexi gloriosum sanctum Joachimum, qui magnam demonstrans charitatem me cepit alloqui, ac solari, ut mitigaret meum mærorem, quo angebar. Et postquam hæc de re quædam contulimus, vidi, quòd se verteret ad latus dextrum, statimque juxta illum conspexi sanctam Annam, & in Sancti brachijs sanctissimam Virginem instar parvulæ puellæ, quam, amplexans ipsam, ac adstringens ad suum sanctum pectus, cepit dulcissimè alloqui, extollendo gravissimis, magnæque momenti verbis, sublimes ac admirandas virtutes ejusdem Dominae, gratulando illi millies gratias à Deo acceptas, & specialissimum modum, quo ijs bene fuerat usa; seque demississimis affectibus Deo gratum exhibebat pro beneficio sibi ab eodem præstato, dum talem ipsi dedit filiam. De his omnibus tam prolixum ac dulcem habuit sermonem, tantâ plenum gravitate, amabilitate, atque teneritudine, ut, opinione meâ, nemo mortalium talia possit proferre.

His dictis posuit Augustissimam Puellam ad brachia gloriosæ sanctæ Annæ, quæ imitata Sanctum, similia loquebatur, de prædicans excellentias illius Dominae, & millenas Deo gratias agens, cum humili gratitudinis demonstratione, pro data sibi ea filia. Vix suum Sancta finiverat sermonem, quando post ipsam, & sanctum Joachimum vidi sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, indutum more Sacerdotum, non casulâ, sed pluviali, omnesque tres ad me venientes, postquam sanctus Joachimus sanctissimam Virginem recepit ad suas ulnas. Tum sanctus Pater Ludovicus procumbens in genua, accepit, cum profundissima reverentia, illam sanctissimam Puellam Dominam nostram, ex ulnis sancti Joachimi, quam in manibus tenens, non ad motam pectori, prout à sanctis ipsius Progenitoribus admovebatur, sic flexis genibus

nibus mihi obtulit, ut oscularer ejusdem pedes, quos sum dislaviata cum magna teneritudine, & consolatione meæ animæ: atque Augustissima Puella se inclinavit, & atrectans manibus meas genas, osculata est meam frontem, ac voce clarâ, quali loquuntur scemina ætatis provecæ, mihi dixit: Ave amica. Reposuit ipsam deinde sanctus Pater Ludovicus in brachijs sancti Joachimi, & omnes reversi ad suum locû, ubi illos initio videram, discesserunt à me, ac disparuerunt, relinquentes meam animam plenam suavissimo solatio. Benedictus sit Deus ob suas misericordias. Amen.

Favor, qui nunc sequitur, quamvis habeat nonnulla encomia gloriosi Patriarchæ sancti Joachimi, est tamen admirabilior ob id, quod refertur de sancto Josepho. Non est annotatus annus, quo visio evenit, sed secundum computum chartarum, quas numeratas Pater Michaël de Orenja reliquit, acciderit biennio post præcedentes. Continet singularem doctrinam, mereturque ejus descriptio omnem devotarum animarum attentionem, & affectum. Est vero hujusmodi.

Nihil minùs cogitans, quàm eo die celebrari festum gloriosissimi sancti Josephi, agebam cum Deo in mea ordinaria oratione, quando mihi Divina Majestas insinavit, velle se mihi præstare specialem aliquam gratiam, unam ex ijs, quas mihi liberalissima ipsius bonitas conferre solet. Ego propter meos timores, & intimum desiderium progrediendi, & quærendi mei Dei viâ communi, divertebam, quantum mihi fuit possibile hanc imaginationem, & agebam cum magno Deo nostro, eliciendo consuetos meos affectus. Deus mihi rursus significabat suam voluntatem, & ego perplexa ac meticulosa perseverabam in me abstrahenda. Duravit interna pugna bono temporis spatio. Tunc mihi Dominus Majestatis suavissimè & amantissimè dixit: Cessâ Anima: nunquid enim non vis videre meum Patrem Josephum: ista fuerunt ipsius verba, & hoc titulo compellavit Sanctum, atque deinde Divina Majestas modicum conticuit: quo tempore dæmon oprans mihi illudete, se mihi præbuit spectandum, cum insigni simula-

tione, ostentando magnam majestatem, ac si esset Christus Dominus, & dixit mihi: Anima multum mihi diffidis, & vehementer es timida. Nihilominus vix illum contempsisti, & hæc pauca verba audivi, quando ipsum, illuminata à Deo, in momento cognovi, & more imperantis, atque amantis ei dixi: Apage maledicte Satana, infelix, qui non vereris simulare verba Divinae Majestatis. Et conversa ad meos Dominos Angelos mihi assistentes, conque- sum ipsi. Prodiit tum unus ex illis, qui vocatur *Missus minor*, quali succedens diabolo, & magnâ vi ipsum petijt ignem, instar modici fumi. Quamvis autem diabolus procul à me fuerit remotus, cepitque fugere, tamen simul ac illum tum allocuta, donec ipsum Angeli sagitta- queretur, vehementer me afflixit quodam velut venenum, quod expiravit. Angelus est reverfus lætissimus, præp- victoriam, & splendidissimus, atque ego fui rapta in ecstasim.

Quando ex ea ad me redivi, vix velut eminus venientem sanctum Josephum, cum multis Angelis. Veniebat gloriosissimus, ac plenus splendoribus: & quamquam tantam repræsentaret gravitatem, erat tamen illa conjuncta magnæ benignitatis. Appropinquavit mihi, & salutando me peramanter mihi dixit: Deus sit tecum, Anima. Ego sum Joseph, Sponsus Mariæ Virginis, & venio ad te nomine Dei, ad te visitandam atque consolandam. Dum viderem hunc admirabilem Sanctum, & audirem dulcissimum ipsius alloquium, fuit mea anima in suo Deo repleta singulari solatio, & considerans virtutes, atque excellentiam tam cœlestis hospitis, cepit illi cum omni devotione, & affectu cordis dicere: O gloriosissime Sancte, tu felicitissimus fuisti virorum, & super omnes exaltatus, qui in mundo vixerunt, atque à Deo sunt creati: siquidem tanta fuit tua felicitas, ut sis electus in Sponsum illius, quæ situra erat Mater Incarnati Verbi Divini, & tu eundem Dominum, sudando ac laborando, educavisti & sustentavisti. O beate & sanctissime Vir! Gloriosus San-

ctus audivit me hæc sibi dicentem, & respondit mihi: Bene profectò dixisti Anima, bene dixisti: quia Deus Dominus noſter mihi tam magnum contulit beneficium, & insignem gratiam, ut eſſem Sponſus ſuæ Sanctiſſimæ Matris, ſervirémque Salvatori in ejuſdem infantia: verè tamen tibi dico, beatum meum Patrem ac Dominum, glorioſum Sanctum Joachimum, Patrem Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, à Deo in altiore & ſublیمiore eſſe conſtitutum gradu, quàm ullá viventium in hoc mundo poſſit exponi lingvâ, aut comprehendere intellectu. Hunc beatum Patriarcham veneratur totum cœlum, & Angeli Dei illum ſuſcipiunt, ut Patrem Mariæ Virginis, ac Avum Redemptoris. Eſt ſtupenda, & propè infinita iplius dignitas. Mea anima fuit maximo repleta ſolatio, audiens has laudes, quas mihi Sanctus referebat, de eo magno Patriarcha, quia illum pro viribus meis colo.

Postquam mihi Sanctus iſta dixit, movit pallium, ac ſi illud deponeret ex humeris, coruſcando magnis ſplendoribus: atque dum iplum tunc aſpicerem, vidi, quòd in pectore haberet lucidiſſimam crucem unius palmi, quæ mihi talis fuit viſa, tamque admirabilis, ut ab ea non potuerim avertere oculos, cum meo magno ſolatio. Videns me Sanctus ita conſtitutam, dixit mihi cum ſvaviſſima benignitate: Quid aſpicias Anima? quid vides in iſta cruce, quod te tantà afficit conſolatione, & rapit in admirationem? ſcias velim, crucem, quam ſum paſſus in mundo, fuiſſe unicum meum theſaurum, omnem meam gloriam, omnem beatitudinem, plurique à me æſtimatam, & æſtimari, velut acceptiſſimam Divinis oculis, quàm quòd ſim Sponſus Mariæ Virginis, & quaſi in meo ſinu educaverim Redemptorem. Graviſſima & incredibilis fuit, quam duabus occaſionibus ſuſtinui. Primò, quando vidi prægnantem Mariam Virginem, orta mihi inde incertitudo animi, cum iplam plurimum amarem, fuit crux ex ijs, quas toleravi, longè maxima. Altera quoque erat acerbiffima in exilio Ægypti, ubi vidi adorari idola, veri autem Dei ibi præſentis

negligi cognitionem: affligebant me prætereæ opprobria, & vexationes, quas Sanctiſſima Virgo patiebatur ab illo impio & perverſo populo, quæ mihi crux dubio procul accidit moleſtiſſima. Crux, quam tibi, Anima, Deus dedit, datque ferendam, per decurſum diuturnæ tuæ vitæ, eſt certè maxima, cum fuerit interdum gravior tormentis Martyrum, qui ſuum pro Chriſto Jeſu ſanguinem præfuderunt. Æſtima illam, ſicut debes, & age magno Deo noſtro ac Domino magnas gratias, pro tanta tibi ab ipſo exhibitâ miſericordia. Si quidem crux eſt infinitorum bonorù theſaurus, & mirum in modum in Divinis oculis relucet; eſt ſignum & character, ex quo Divina Majestas cognoscit creaturam, quam ſignavit inſignibus, quæ contulit Chriſto Domino unigenito Filio ſuo. Propter hanc, Anima, te Deus in altiffimo conſtituet loco. Solatium itaque habeto in tuo Deo, quia dolores & cruciatus, qui poſſunt ſuſtineri, ſunt breves; æterna vero quies, atque corona gloriæ, & poſſeſſio ipliusmet Dei. Nunc vale, & quieſce in Deo tuo.

Magnam percepi conſolationem, audiendo tantas crucis prærogativas, à Sancto expoſitas: vehementer nihilominus etiam erubeſcebam, & confundebar, iudicando, infinitos à me fuiſſe commiſſos defectus, in occaſionibus exercendæ patientiæ, quibus Deo poſſem placere, iplumque oblectare. Id ego tum agnoſcebam, & ſentiebam. Jam Sanctus abituriebat, anima tamen mea non poterat oculos ab ea admirabiliſſima cruce avertere, quæ pendeat in iplius pectore: quod Sanctus videns, acceſſit ad me propius, porrexitque mihi illius partem inferiorem oſculandam, non deponendo eam ex collo. Hinc ſtatim ſum conſecuta ſublیمiſſimum lumen, & ingens meæ animæ ſolatum. Sanctus applicuit manum ſuo pectori, atque dum eandem amoveret, vidi illam coruſcantem, ac ſi in ipla haberet lucidiſſimum Solem: dedit mihi benedictionem, & impoſitâ eadem manu meæ fronti atque capiti, me confortavit, totamque reddidit ſplendidam. Tum fui rapta in profundam ecſtaſim,

statim, disparente mihi Sancto. Rever-
sa sum deinde ad me, finitâ visione, ve-
hementer fui mirata opera magni DEI
& Domini nostri; gratias illi egi, quas

potui, pro eo, quod est in semetipso,
quodque est erga suas pauperes creatu-
ras. Benedictus sit in æternum.
Amen.

CAPUT XXIII.

Visitatur à Sancto Apostolo Petro.



*Am aliàs fuit facta mentio
gratiarum, quas hæc Virgo
obtinuit à Principe Aposto-
lorum sancto Petro. Hanc
visitationem reservavi pro
argumento, quod modò pro-
sequor: insignissimum nempe est beneficium,
quod illi Deus, per magnum istum suum Apo-
stolum contulit, qui cum sit universalis Pater
totius Ecclesie, specialissimam quoque gerit cu-
ram quarundam animarum, in quibus majus
Ecclesie sancte situm est momentum. De eo sic
ipsa loquitur, post descriptas alias à Deo accep-
tas gratias.*

Paulò post præstitas à Deo hæc meæ
pauperi animæ gratias, dum manè in actu-
ali Divinæ Majestatis versarer præsentia,
conspexi beatum Apostolum sanctum Pe-
trum, cujus ego tunc nullatenus memine-
ram. Et quia rarissimè hunc Sanctum vidi,
mirabilis mihi hæc visio accidit. Recurri
meo more ad Deum cum magno affectu,
petij ab ipso lumen, ut scirem, quæ esset
Divina illius voluntas in eo, quod mihi ibi
repræsentabatur. Sanctus expectavit,
dum orarem Deum, ac deinde advertens,
me adhuc aliquantùm esse turbatam, mihi
dixit: Nè timeas Anima, ego enim sum,
quem vidisti, & venio ad te nomine Dei,
ut exequar, quod mihi Eiusdem Majestatis
mandavit. Elevavit postea manum, ac si
vellèt, ut viderem, quod in ea ferebat, &
vidi, quòd haberet grandem clavim aure-
am, ac splendidissimam. Demisit Sanctus
manum, deindèque illam aliquantò pòst
secundò, & tertio elevavit, monstrando
mihi eandem clavim. Mirabar, videndo
hoc mysterium, atque tum cogitabam,
mihi à Sancto ostendi insigne proptij offi-
cij & Pontificatus: sed Sanctus mihi subi-
tò dixit: Anima, hæc forma clavis, quam

vides in mea manu, est donum, quod
Deus Majestatis tibi per me dignatur mittere.
Ego sum, qui tibi eam applicare debeo nomine Dei, & imprimere. Valde
expavi turbata novitate casus, & dixi glorio-
so Apostolo. Benedicte Sancte, non
percipio bene, quid mihi dicas, videretis
mihi hæc res magnum continere mysterium:
dic mihi amore Dei, cujusmodi sit hoc donum,
& qualis virtus hujus clavis. Expecta Anima,
respondit Sanctus, & amore Dei noli turbari.
Dicam enim tibi fuscè, quod ex me quaesivisti,
& ità, ut possis intelligere, atque capias solatium
ex eo, quod Deus in te dignabitur operari.

Adverte Anima, Dominus Deus Majestatis optans infinitè salutem animarum,
utque tibi gratificetur, propter tuum amorem,
quo ipsum prosequeris, & ea, quæ pateris,
te ex sua bonitate dignatus est assumere,
ut esses instrumentum, ad multos salvandos.
Ac proinde ista clavis, quam tibi debeo applicare,
est figura & symbolum magnæ gratiæ & misericordiæ,
quam DEUS tibi vult præstare, unaque multis,
assumendo te, ut dixi, in instrumentum.
Est autem ista, ut possis animabus quodammodo
aperire cælum, eà ratione, quòd, quotiescunque
magno affectu, & ex speciali DEI inspiratione,
postulaveris, ut aliqua animæ salventur,
id DEUS Majestatis tibi sit concessurus.
Ingenti me istud nuntium affecit stupore, & revolvens
animo eventum, dixi Sancto Apostolo: Quomodo
verò hoc fieri gloriose Sancte? si ità est, possem
petere, ut salvetur totus mundus, quod magnopere
desidero, & omnes animæ salvabuntur. Audi,
respondit Sanctus, Dominus Deus Majestatis tibi
inspirabit, pro quibus te oportet orare, dabitque
tibi ob id magnum affectum, qui non

non dirigetur ad omnes, neque ad universum mundum. Illis verò animabus, pro quibus hoc modo orabis, dabit Deus talem dispositionem, ac talia auxilia, ut his, & divinis vijs, quibus Deus animas ducit ad consequendam salutem, sint responsura ista privilegia, & misericordiae DEI. Amplius tibi dico, multum hinc participaturos, qui tibi fuerint bene addicti, & aliquid boni praestiterint. Fui certè velut a-tonita, cum audirem tam admiranda mysteria, & intelligerem tam singulares magni nostri DEI & Domini miserationes.

His à sancto Apostolo dictis, accessit ad me sanctus meus Angelus Custos, & strinxit me spiritualissimè, ac si me teneret atque sustentaret. Tum gloriosus sanctus Petrus, quasi diffibularet thoracem, aut interulam, aperuit meum pectus, ut propterea naturalem sentirem dolorem, imposuitque intra illud & impressit eam mysticam clavim, deinde verò rursus pectus occlusit, relicto ipso, quale prius fuerat. Passa fui deliquium naturae, & mea anima vehementer obstupuit. Nihilominus volens bene uti praesenti tam bonà occasione, me animavi, & interrogavi gloriosum Apostolum, possemne tunc intercedere pro amicis & notis, ut ipsis Divina Majestas praestaret eam gratiam, de qua mihi fuerat locutus. Omnino Anima, respondit Sanctus perbenevolè & amanter, omnino: opportunitas enim à te quaesita est optima, & Deus exaudiet tuam orationem. Responsum Sancti mihi grande attulit solatium, & statim petij à Deo illam misericordiam pro ijs, quae meae erant, seu fociae domesticae, seu amicae, praesertim pro Monialibus, etiàmque meis Confessarijs.

Quo facto, & cum Sanctus jam vellet abire, rogavi illum, ut mihi amore Dei impertiretur aliquam eleemosynam: atque ipse imponendo manum in suum sinum, & eximendo tres splendidos aureos nummos, accessit, & imposuit illos in meam manum. Nolebam eos habere, quòd me tanto dono judicarem indignam: sed Sanctus mandavit, ut ipsos acciperem, te-

plens me solatio, dicendo mihi, quòd sint symbolum charitatis. Tum sanctus meus Angelus Custos ad me accedens eisdem nummos accepit, & arcano modo, quem nescio explicare, posuit intra meam animam, eo loco, quo manere debebant.

Antequam mihi gloriosus sanctus Petrus valedixit, intuitus meos Dominos Angelos, qui mecum morantur, ipsis diligenter ad verba Sancti attendentibus, ita loqui est exorsus: Sancti Angeli Dei Domini nostri, Divina Majestas vobis praecipit ac injungit, ut istam creaturam deinceps diligentius atque accuratius custodiat ac protegat: nam diabolus in rabiem actus, & invidia correptus, conabitur ad vesum illam moliri, quaecunq; poterit, ut eam privet vità. Ego his verbis auditis fui naturaliter modicum turbata: verum sanctus Apostolus, id in me notans, aspexit me amantissimè, dixitque mihi: Noli timere Anima, quia Dominus est defensor vitae tuae, & nemo te poterit attingere, aut auferre ullum filum tuae vestis, vel capillum capitis: omnium enim numerum ille habet perspectum. Scias quoque, Dominum Deum nostrum mandavisse Angelis suis, ut ipsius servos, verè illum amantes, portent in palmis manuum suarum, nè fortè pedes eorum cespitent. Vult tamen Divina Majestas, ut dum vivitur in carne mortali, insistatur regulis sanctae prudentiae, observatis periculis, iisque sanctè & virtuosè vitatis, cum resignatione in Divinam voluntatem: atque sic te oportet intelligere mysterium, quòd vidi ac audivisti. Mei Domini Angeli responderunt, se speciali curà obsecuturos mandato Dei. Et beatus Sanctus à me discedens, mihi dixit: vale, & quiesce in tuo Deo; atque abivit cum multis Angelis.

Ego sum mirata opera Dei, qui sit benedictus in aeternum.

Amen.



CAPUT

CAPUT XXIV.

Visitatur à gloriosis Patriarchis, sancto Augustino, ac sancto Patre nostro Ignatio: & sanctus is Doctor ad ipsam spirituales habet sermonem: supervenit gloriosus sanctus Dominicus, quasi pertranscundo.



*S*pecialissima fuit gratia, quã nonnulli Patriarcha sacram Religionum exhibuerunt huic purissima Virgini: qua de re multa in prima parte dicta fuerunt nec sunt pauca, quæ in hac adjungemus. Antequam verò veniamus ad visitationes, & gratias particulares, quas à singulis, & quibusdam eorum filijs, est consecuta, præmittam aliquas visitationes, quibus illam conjunctim sunt dignati, & spiritualia alloquia ac sermones, quibus ipsam jussu Dei animaverunt, & confortaverunt. In quadam charta, quam scripsit anno sexcentesimo vigesimo sexto, sic ait.

Post illud tam admirandum mysterium, & gratiam, quam Majestas Dei & Domini nostri, meæ pauperi animæ dignata fuit præstare, illorum ascensuum & raptuum, ad tam sublimes ac divinas visiones, quos per tridui spatium singulis diebus habui, quartâ die post prædictum triduum, agens cum Deo, vidi venientes beatos Patriarchas, S. Augustinum, & sanctum Ignatium de Loyola, qui ad me accedentes, me salutaverunt nomine Dei. Et cum mea anima hoc tempore esset profundè immersa in cognitionem sui ipsius, ideòq; me tam perversam esse judicarem, ut verbis in animo conceptis me millenis impeterem convicijs & vituperijs, præ vehementissimo affectu, à quo tota abripiebar, nullo modo mihi videbar posse, aut esse apta, quidquam aliud agere. Unde auditâ salutatione horum cœlestium Patriarcharum, nihil illis scivi aliud respondere, quàm de me queri, & recensere mea vitia, quæ in me agnoscebam, rogando ipsos, ut orarent Deum pro tam improba creatura, quàm ego essem. Auscultaverunt me Sancti, & ut perturbatum meæ

animæ affectum componerent, utque illis possem attendere, dixit mihi peramanter sanctus Ignatius: quiesce Anima, atq; adverte, nos ad te venisse nomine Dei, ut te solaremur, diceremúsque tibi, sanctos Patriarchas, S. Benedictum, S. Augustinum, S. Dominicum, S. Franciscum, & me, sæpe deinceps hic, ubi moraris, comparituros, quemadmodum jam incepimus, quamvis tu id non videris, neque intellexeris: nonnullis diebus venient hi, alijs venient alij, & ego adero frequentius. Dico tibi, amica, te in rebus concernentibus divinũ obsequium, quas bene peragere desideras, illuminandam à Deo, & nos tibi auxilium præbituros. In isto negotio, quod te nunc reddit sollicitam, hoc facies. Dixit mihi, quid me oporteret agere, quod non scribo, jam enim id meus novit Confessarius, neque opus est, ut hic referatur.

Audivi verba Sancti cum magno meo solatio, & dixi illi: Benedicte Sancte, valde me tuis dictis es consolatus, plurimumque sum sancto tuo & mirabili alloquio exhilarata. Verum dic mihi modò, amore Dei te rogo, aliquid de ea cœlesti Patria, ut anima mea inde proficiat. Tum tacto, magna cum reverentia, brachio gloriosi sancti Augustini, dixit: Anima, iste gloriosus sanctus Patriarcha sibi habet à Deo commissum, ut faciat, quod petis. Interea advenit S. Dominicus, ac si aliquantum festinaret, nolletque facessere negotium, & exceptus humanissimè ab alijs duobus Sanctis, dixit mihi: Anima, venio te rogaturus, ut à Deo obtineas, quò animã viri gravis ex meo Ordine, constitutam in Purgatorio, inde cras liberet. Defunctus iste erat insignis Dei servus, vixeratque religiosissimè, & optimè injunctis sibi faciendis muneribus. Evenerunt hac in re multa, quæ prætermitto, nè protraham

narra-

narrationem. Conclusio hæc est, quod Deus dignatus fuerit exaudire meas miserabiles preces, & ex eisdem bonitate potest, etiam ante terminum, quem gloriosus Sanctus Dominicus petierat, sit egressus ex Purgatorio. Ut autem revertar, unde sum digressa, Sanctus valedixit alijs Patriarchis, & meæ pauperi animæ. Deinde gloriosus sanctus Augustinus, exequens, quod à Divina Majestate fuerat iustus, signando se cruce, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, elevatis ad cælum oculis, manibusque suis gravissimè & admirabiliter compositis, sic orsus est.

Summa certè, Anima, est misericordia, quam tibi Divina Majestas hoc præterlapso triduo præstitit, neque ulla eam potest lingua hominis explicare. Exaltavit te quotidie, & elevavit septies, ad tam altum & sublimem gradum, prout scis, atque in postremo ex his, qui numero fuerunt viginti & unus, ascensu, te ad tam eminentem statum, & unionem cum Deo tuo, evexit, quando in primis pertransivisti, & penetra visti illum Divinum Solem, ubi tibi copiosus & ineffabilis thesaurus meritorum Jesu Christi Domini nostri, & pretiosus ab eo fusus sanguis fuit applicatus, ut Divina tantum Majestas scire possit, qualis sit ea sublimitas, ad quam à Deo fuisti elevata. Unde ad eum in illo Divino Esse deprehendisti submersam & perditam, ut te ipsam non capias aut agnoscas, neque te clarè intelligas, & in altissima ac Divina verberis caligine, solo prædita lumine necessario, ad videndam & cognoscendam hanc veritatem, eandemque amandam & complectendam, dum maximis, quam secretissimè & spiritualissimè, frueris thesauris. Benedictus sit magnus Deus & Dominus noster, propter omnia opera sua. Actum tecum est, Anima, hæc vice, sicut si Rex aliquis volens gratificari suo filio Principi, illumque oblectare, eundem ad id intelligendum, duceret ad altum quoddam castellum, indeque ipsi ostendens amplas ditiones, ad quas pueri visus posset pertingere, atque ex paterno amore mox diceret: Ecce fili, tu es meus hæres, & quæcunque vidisti, longèq; plu-

Vita Mar. de Esob. Pars II.

ra, tua sunt: puer verò lætus, & eo modo, quod viderat, contentus, sed intelligens, multò ampliora superesse videnda, quæ suus brevis visus non allequeretur, obstupesceret, ac redderetur attonitus, ità obscurè cognoscendo opulentiam, & dominium sui Patris. In hunc, quantum tibi hic verbis exprimi potest, se habet modum, quod tibi, Anima, evenit cum tuo Deo: age illi magnas gratias, & adhære illi, ac advertite, quòd te denuò, quamvis id quotidie facias, debeas tradere tuo Deo, offerendo ipsi, agendòque pro illo omnia, quæ feceris, quam poteris perfectissimè; vivendo in eodem Deo, propter que ipsum patiendo. Hanc oblationem renovabis: & esto certissima, quòd Divina Majestas te sit adjutura, munusque tuum acceptatura, sicut tibi est pollicita. Expende præterea magnam atque extraordinariam misericordiam, quam tibi denuò, quia est qui est, & ex pura sua bonitate exhibet, quòd velit, sitque ipsius beneplacitum, exaudire tuas preces & orationes, ac tibi concedere, quæcunque petiveris, concernentia salutem animarum, si conformia fuerint Divinis illius decretis; ità nihilominus, ut magnam, & extraordinariam suam misericordiam ac potentiam munificentiam sit ostensurus; quòdque præter hanc tantam gratiam tales animas sit redditurus participes eorum, quæ tibi conferet, prout sit, dum aliqui pretiosi odoris rote consperguntur.

Dum mea anima postremum istud dictum Sancti miraretur, interrogavi illum, quomodo id fieri possit. Etsi enim sit verum, quòd Dominus Deus, & infinita ipsi bonitas, omnia possit; me tamen id non intelligere. Adverte Anima, respondit Sanctus. Ferventissimos, ex eo profundissimo cognitionis tui ipsius, quam in omnibus his materijs, & gratijs à Deo tuo perceptis habuisti, principio, eliciuisti affectus contemptus tui: & isti fuerunt tantopere grati Divinis oculis, & tam libenti animo acceptati, ut Deus dixerit: Volo, ut animæ, pro quibus illa oraverit, fiant ejus affectus, & cognitionis sui ipsius, quam ipsa habuit, tanquam ab ea promanantis,


○

par-

participes. Hoc autem bene nôsti, Anima, fuisse tibi à tuo Deo dictum in ultimo ascensu, & ante unionem, quando per septem illos gradus procedebas, & elevabaris. Deus sit benedictus. Vale, Anima, quia tua debilis natura, plura non patitur. Sancti surrexerunt ex suis admirandis sedibus, datâque mihi suâ sanctâ benedictione abiverunt, cum comitatu Angelorum Dei. Laudetur Divina Majestas propter opera sua, propter suas miserationes, & altissima judicia. Amen, Amen.

Quamquam isto sermo hujus magni Docto-

ris sit plenus mysterijs, versabatur tamen magis in eo, ut hanc Animam specialiter illuminaret quoad illa, que cum ipsa agebantur, quibus in universali instructione. Nunc alios adferemus communes omnibus, ac admirabiles, tam ejusdem, quam aliorum Patriarcharum. Quibus, cum spectet ad argumentum, quod tractamus, addam illum, quem paucis mensibus post reliquos, & biennio à suo obitu, aliâ occasione ad eam habuit sanctus Pater Ludovicus de Ponte, quedam prorsus singularia continentem.



CAPUT XXV.

Sermones ad illam habiti à sanctis Patriarchis, S. Dominico, S. Patre nostro Ignatio, S. Benedicto, S. Augustino: ac deinde à Christo Domino, & alia vice à venerabili Patre Ludovico de Ponte,



Occasionem horum celestium sermonum, eorum argumentum, ordinem, ac dies, quibus habiti fuerunt, in Junio anni sexcentissimi viginti sexti, nobis sancta Virgo distinctissime exposuit in quodam scripto, ubi sic ait:

Feriâ tertiâ, decimâ sextâ Junij, dum vacarem orationi, & anima vehementer amore magni Dei & Domini nostrj arderet, ingens in me fuit excitatum desiderium, quo jam ab aliquot diebus tenebar, audiendi sermonem spiritualem cuiuspiam devoti Religiosi, & servi Dei, eò quòd viginti quatuor sint anni, ex quo, propter meam infirmitatem, nullam audiveram concionem, cum tamen per omnem vitam meam fuerim propensissima, ad audiendum, cum magno meo solatio, verbum Dei. Interea mea anima vidit venientes, cum comitatu Angelorum, quatuor sanctos Patriarchas, S. Benedictum, S. Augustinum, S. Dominicum, & S. Ignatium de Loyola. Appropinquaverunt mihi isti gloriosissimi Sancti, salutaverunt me peramanter, & S. Dominicus mihi nomine omnium dixit: venimus, Anima, nomine Dei, & ex divino ejusdem mandato, ut te

consolemur, tuòque sancto desiderio satisficiamus, habito ad te spirituali sermone. Atque dum se converteret ad alios tres sanctos comites, vidi omnes colloquentes, & inter se conferentes, unâque singularem sibi invicem & amabilem exhibentes honorem, quis eorum dicere deberet. Obtingit autem, ex Divinæ Majestatis præcepto, illud munus S. Dominico, qui, comitantibus ipsum Angelis, & alijs Sanctis, descendens per gradus, & perveniens ad mysticum quendam suggestum, qui ibi instat sellæ erat collocatus, sedit, elevansque oculos ad cælum dixit:

Beati, qui in Domino moriuntur: tales enim vivent in æternum, quia conculcaverunt omnia, suisque subjecerunt pedibus, & suo affectu sunt mortui universis rebus creatis, ut semper vivant cum Deo. Id tu, Anima, es consecuta ab hoc magno Domino, qui tibi per suam bonitatem & misericordiam istud donum concessit. Præcepit Deus, Anima, quibusdam è filijs Israël, ut, quòd remotiores essent à periculo alicujus gravis culpæ, non solum non biberent vinum, sed neque ederent uvas, vel earum folliculos, aut acinos. Itâ tibi dico, quòd magni referat evitare, prout facis, qualemcunque agnitæ culpæ pulverem,

rem, pro conservanda puritate, quam Deus animæ infundit. Cùm verò obtinueris à Deo tot ac tanta beneficia, & dona, quemadmodum scis, te obtinuisse, & quotidie obtinere, quando te constituit quasi sequestram inter Deum & homines, tibi que confidit pacem & bellum, iacturam & emolumentum in rebus magni momenti, quas tibi Deus manifestavit, optimèque perspectas habes: nihilominus æstimabilior est, & supra modum in oculis Dei, Angelorum ejus, & Sanctorum, relucet affectus, quem tibi quoad hoc idē Deus dedit, ut unicè id respicias, quo te intelligis posse placere, magis que servire Deo, subjiciendo omnia, etiam levissima impedimenta tuis pedibus, proterendo, & conculeando magna ac parva, vel unius atomi, impedimenta majoris gloriæ & obsequij divini. Age illi magnas gratias, pro hac magna misericordia & dono, digno solâ ejus bonitate. Sit ipse benedictus in æternum, atque nunc vale, & quiesce in tuo Deo.

Dedit mihi hæc dicens suam sanctam benedictionem, & abivit unâ cum reliquis sanctis Patriarchis, qui cum illo venerant, relinquens meam animam extimulatam ad servendum Deo, & affluentem solatio. Confundor plurimum, & erubesco, quòd tepido meo & rudi modo retulerim admiranda ac divina verba, quæ Sanctus tam sublimi protulit & alto spiritu. Idem mihi contingit in repetendis sequentibus: verùm cōpellit me ad id obedientia debita Arbitro meæ conscientiæ, cui obtemperare oportet. Deus & Sancti sint benedicti, mihi que ignoscant.

Feriâ deinde quartâ, decimâ septimâ ejusdem mensis, sancti illi Patriarchæ eodem, quo pridie, redierunt ordine. Dicendi munere functus est gloriosus sanctus Ignatius. Sedit igitur in ea mystica sella, politisque manibus super illius latera, attollens oculos gravissimè & devotissimè dixit:

Beatus vir, qui timet Dominum, & ambulat in lege ipsius, ac divina præsentia: talis enim cœlestes congregat thesauros, vivetque perpetuò in suo Deo, & pos-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

sidebit illum in æternum. Iste, Anima, est tuus status; hæc est segura & certa via, quâ te tuus Deus ac Dominus duxit, atque dicitur, à primis tuæ vitæ annis, quia id ab æterno in divino suo decreverat Consistorio. Habe, Anima, solatium, & confortare in tuo Deo ac Domino: siquidem te nunquam derelinquet, nec à te faciem suam avertet. Ille tuus erit magister, tuus director ac adiutor usque in finem, quemadmodum tibi est pollicitus. Ipse sit benedictus in æternum. Redde ei infinitas gratias, & lauda illum ob id, quod est in semetipso, quod fuit, & erit erga te; ama ipsum ex omnibus viribus tuis, & ex toto corde, atque securè & indubitanter illi confide. Tum Sanctus jungens manus, ac devotè elevans oculos, conclusit dicendo: Modò vale, & Deus sit semper tecum; datâque mihi suâ sanctâ benedictione abivit unâ cum alijs Sanctis.

Reversi sunt feriâ quintâ, decimâ octavâ dicti mensis, ijdem Sancti, eodemque ordine, & ex Dei voluntate sermonem habuit sanctus Benedictus, qui comitantibus ipsum Angelis, & sanctis ejus socijs, venit ad eandem mysticam sellam, elevavit devotè suos sanctos oculos, & cum gravi manuum gestu dixit:

Beati pauperes spiritu, & qui in Domino, propter illum, ac nomen ipsius patiuntur: hi enim ditabuntur, & beabuntur à Deo sublimissimis & summis donis, atque eminentissimis gloriæ gradibus. Dereliquisti Anima, ex Dei dispositione & misericordia, pulverem terræ eo affectu, quem tibi scis à Deo esse communicatum, quo desereres omnia mundi Imperia ac thesauros. Obstrictam te sibi habet tuus magnus Deus & Dominus, plurimumque devinctam: quia huic thesauro, quem tibi dedit & contulit, ex mera sua gratia, & absque tuis proprijs meritis, superaddidit & adjecit tot ac tantos, prout scis; prætereâque alios, quos nec scis, neque intelligis, & nunc assequi nequis. Vehementer multa tibi Deus concedidit. Considera Anima, quomodo te oporteat respondere tot, tantisque beneficijs, & quale referre debeas lucrum, ex talentis tibi ab eo datis.

O 2

Age

Age illi infinitas gratias, & roga ipsum humiliter atque confidenter, ut propter has gratias & beneficia, quæ tibi ex sua bonitate contulit, aliud specialissimum & insignissimum præstet: ut nempe ob id, quod ex se est, tibi largiatur, atque conferat donum, quò respondeas, sicut teneris, tam magno Domino, tantisque ipsius beneficijs. Esto autem certa, quòd illud sis cum ingenti profectu obtentura à tuo Deo & Domino: quandoquidem in omnium, & singularum virtutum exercitio semper plures ac plures reperiuntur gradus. Ad quem te, Anima, gradum provexerit Deus, ipse solus novit: quantum tamen nobis Deus de eo revelat, est tam altus, ut à me silentio sit prætereundus, donec nobis omnibus suo tempore manifestetur. Tantùm tibi dico, te in tuo Deo semper victuram. Ipse sit benedictus. Vale Anima. Et datâ mihi suâ sanctâ benedictione, abivit cum eodem comitatu, cum quo venerat.

Intercessit una dies, ac tum die Sabbathi manè, vigesimâ dicti mensis, venerunt sancti Patriarchæ cum eodem comitatu & ordine, ac prius. Exhortatorem egit sanctissimus Doctor Augustinus, qui sedens in ea sella, elevatis suis sanctis oculis ad cœlum, dixit devotissimè:

Beatus vir, qui cum magno affectu fixos habet oculos, & visum suæ animæ in eo Divino Sole Divinæ Essentiæ, eundemque, per Dei gratiam, irretortis intuetur oculis, non deflectendo affectum ad res terrenas, instar reginæ aquilæ Solem contemplantis, quæ sola tali naturali virtute est prædita. Hæc spiritus magnitudo, atque istud tantum ac tam sublime donum, sola Divina Majestas, ex sua bonitate & beneplacito, dare potest, & impertiri. Quapropter, ut illud anima conservet, & Deus in ea hunc thesaurum custodiat ac tuteatur, magnopere convenit, ut talis anima, inclinato ad terram suo collo, summat rostro considerationis granum, quod illa progerminat, ad sustentandam vitam; utque contemplando sordidos suos ac terrenos pedes, deponat fastum, ad quem effecti posset ob pulchritudinem suarum

pennarum, quod facit pavo. Ingens profectò, Anima, est misericordia, tibi quoad hoc à Deo præstita, & donum tibi ab eo collatum. Redde ei infinitas gratias, & observa illum diligentissimè, fixis in ipsum oculis: is enim te adjuvabit, & conservabit, placidissimèque, in longè perfectiore statu, manifestabit hoc opus, quod in te inchoavit, nec te unquam deseret, sicut tibi promittit. Vale, & Deus sit tecum. Tunc allurgens dixit devotissimam orationem, datâque mihi suâ sanctâ benedictione, discessit cum suis socijs.

Eodem die, postquam sancti Patriarchæ abiverunt, vidit mea indigna & miserabilis anima Majestatem Christi JESU Domini nostri, qui mihi benignissimè & amantissimè dixit: mihi ad te, Anima, meos Sanctos, ut te alloquerentur, animarent, & solarentur in me. Nunc ego adsum, ut te alloquar, te consoler, tibi que gratificer; & perrexit postea dicendo: Beata est, iterumque ac iterum felix anima, in quam Deus ex pura sua bonitate, & Divina voluntate, ab æterno defixit oculos, prædestinando illam, & pro se eligendo: conferendo ipsi, ex mera sua gratia, omnia sufficientia & necessaria auxilia, ad consequendum hunc felicem finem; ducendo eandem toto vitæ ipsius decursu per omnes vias ac tramites; retrahendo, & liberando ab omnibus offendiculis, quæ per viam poterant occurrere, donec illam promoveret, ac perduceret, ad securum portum, qui est ipsemet Deus, à quo processit. Hanc tibi, Anima, tuus Deus præstitit misericordiam. Nihil tibi deest, nec deesse potest: siquidem tuus dux, tuum solatium ac tutamen est Deus. Vale Anima, & quiesce in me.

Admiranda ista Sanctorum, & Sancti sanctorum Christi Servatoris nostri, alloquia non indigent Scriptoris ponderatione, sed devotâ attentione Lectoris, ut suam animam incitet ad studium perfectionis, admittat excellentiam donorum, quæ hac Virgo est consecuta, laudetque magnum Deum & Dominum nostrum, à quo ipsi fuerunt collata. Ad eosdem effectus proderit sequens sermo, quem postea habuit sanctus Pater Ludovicus de

Ponte, duobus circiter annis à suo obitu. Refert ipsa totum eventum his verbis:


Manè, in festo Nativitatis Christi, hoc anno sexcentesimo vigesimo sexto, postquam mihi alia cum Deo evenissent, tuiscentque manifestata sublimissima mysteria, vidi quasi eminus advenientes sanctos Patriarchas, S. Benedictum, S. Augustinum, S. Ignatium de Loyola, & S. Bernardum, cum comitatu Angelorum Dei. In medio ipsorum veniebat sanctus Pater Ludovicus de Ponte. Quando hi Sancti adfuerunt, salutantes me nomine Dei, ap-precati sunt mihi felicia festa, & intuentes amanter ac reverenter sanctum Patrem Ludovicum, venerunt cum illo, quasi ipsū comitando, ad collocatam ibi mysticam sellam, quam Sanctus occupavit, submisit honorem exhibendo ijs sanctis Patriarchis: quibus alibi confidentibus, gloriosus Pater Ludovicus junctis manibus sustulit oculos ad celum, posuitque deinde manus super mysticam quandam mensulam, quam ante se habebat, ac dixit:

Quando advenit tempus, quod Divina Majestas Domini Dei nostri, in suo sacro decreverat Consistorio, ut Divinus ipse Filius humanam carnem, in purissimis visceribus Mariæ Virginis, & Domine nostræ, postquam illum novem mensibus in suo sacro tulit ventre, apparuit Divinus iste Sol Justitiæ Christus Jesus, Salvator noster & Dominus, in mundo. Adoratus fuit, & agnitus à Pastoribus ac Regibus, atque a seculis cognovit præsepe Domini sui. Hac tantâ, adeoque eximiâ misericordiâ, quam DEUS mundo exhibuit, exhilarati fuerunt cæli, & universus terrarum orbis; notitia, lumen, & scientia hujus tam obstupescendi miraculi & misericordiæ, quam Majestas Dei Domini nostri mundo præstitit, & bonum Evangelij nuntium pervenit ad omnem puram creaturam rationalem, ejusdemque divinis radijs omnes fuerunt collustrati. Tum, & eâ occasione exhorruerunt, & contremuerunt dæmones, atque multi abominabiles peccatores, qui suis turpitudinibus contaminaverunt naturam, quam Deus ad tantum dignatus est

evchere honorem, fuerunt pudefacti, destructi, & perempti. Summus hic Dominus, Rex Regum, triginta tribus annis est conversatus inter homines, & patravit prodigiosa ac admiranda opera, digna suâ potentia & majestate: atque implendo legem, ut præberet exemplum, fuit circumciscus, ac præsentatus à sua sanctissima Matre in templo. Suscepit à suo Præcurfore baptismum, operatus est salutem nostram in cruce; resurrexit, & ascendit ad cælos; aperuit viam & aditum omnibus, qui velent bene uti pretioso ipsius sanguine, quæ effudit. Quod ad nos attinet, qui per hujus magni Domini merita, semper ipso æternâ possessione fruimur, postquam per tempestuosum vitæ mortalis mare transivimus ad maliciam, & securum cælestis Patriæ portum, illud est, ut cum nova gaudiorum accessione, & gloriæ accidentalis, cantemus ipsius laudes, eâque multiplicemus, & rogemus Divinam Majestatem, ut in hac festivitate submitat suis Fidelibus abundantia & multa auxilia, per quæ consequi possint finem, ad quem sunt conditi, & nobiscum, quia sunt nostri fratres, æternū suū bonis & gloriâ, quam nos possidemus, & quâ fruimur, ex Dei bonitate, adjecto teruntio nostro liberi arbitrij.

Absolutâ hac tam spiritali & mysticâ dictione, conjeci oculos ad alteram partem illius velut theatri, & vidi ibi multas animas beatas Sanctorum & Societate Jesu, in specie humana, auscultantium illum sermonem. Mox sanctus Pater me intuitus, dixit peramanter. Et tu Anima quiesce in Deo, atque occupatio tua & exercitium sit, ut invoces Deum, pro communi bono, sicut facis; doceas simplices & errantes, in spiritu & veritate; soleris mæltos & afflictos; animæque & confortes debiles, ac deficientes in virtute, quia hæc est intentio magni Dei & Domini nostri; atque ut ipse glorificetur in Sanctis suis, dum te in exilio tui anguli detinet, quod durabit, quamdiu Divinæ Majestati placuerit. Quiesce, neque plura hac de re velis scire. Precare nomine nostro felicia festa nostris fratribus, & vale. His di-

ctis surrexit ex ea sede, & discessit, unâ cum illis sanctis Patriarchis, & Angelis, cum quibus eò venerat. Deus sit propter omnia opera sua & misericordias benedictus. Amen.



CAPUT XXVI.

Referuntur quædam alloquia sancti Benedicti, & encomium, quo sanctus Pater noster Ignatius hunc sanctissimum Patriarcham deprædicavit.



In hoc, & sequenti capite sum conatus combinare scripta, quæ licet de alijs quoque loquuntur sanctis Patriarchis, specialiter tamen extollunt favores, quos hæc admirabilis Virgo est affectu à magno Patre sancto Benedicto, & continent singulares hujus gloriosissimi Patriarchæ prerogativas. Anno igitur sexcentesimo octavo, post enarratas alias gratias, quas die Nativitatis Christi, amabilissimi servatoris nostri, obtinuit à Divina Majestate, subdit sequentia.

Eodem festo Nativitatis vidi ingredienti in meum cubiculum sanctos Patriarchas, S. Benedictum, S. Augustinum, S. Franciscum Assisientem, & S. Ignatium de Loyolâ. Omnes advenerunt gloriosissimi, sibi que invicem honorem exhibentes, collocaverunt in medio sanctum Benedictum, & rogaverunt ipsum, ut nomine omnium loqueretur. Ego vehementer extimui, & conata sum non attendere, meque distrahere, nè illos aspicerem. Expectaverunt me satis diu, tandem autem compulsâ à Deo, qui me animavit, ac pacavit erubescens, quod à tantis Sanctis tam sæpe visitarer, debui attendere. Et cum omnes confedisent, locutus est sanctus Abbas dicendo: Soror, hodie venimus, ut tibi apprecaremur felicia festa nomine Dei, & nostro: sint ea tibi quàm sanctissima. Nimia es in tuis timoribus, & absque causa. Redarguit me idcirco modicum, & elevatis ad cælum oculis, atque compositis manibus, dixit: hi Sancti, & ego, optimè novimus, te bene ac securè procedere; Deus nobis revelavit, & manifestavit magnas gratias, quas tibi confert, non habes quod metuas. Addidit

præterea alia ad idem propositum, & discelsurus assurgendo dedit mihi nomine omnium suam sanctam benedictionem. Itaque verò, gloriosi Sancti, dixi tum ego, cogitatis abire, ut mihi nihil largiamini? Fiat id, responderunt, dabimus tibi libentissimè quod petis. Confederunt rursus, & ego flexi genua, atque extendi linteam, quo me velut succinctorio vidi circumdatam. Sanctus Abbas in illud conjecit multas margaritas, & gemmas diversorum colorum, idemque fecerunt ceteri Sancti, dicentes: hos thesauros distribuam inter tuas amicas, & nos, quod ego feci cum magno solatio, dedi que inde omnibus, quas amicas habebam in Monasterio, quod vocatur à Matre Dei, & in altero dicto de las Huelgas, atque reliquis secularibus, à quibus fueram rogata, ut eas his festis Deo commendarem. Sic Sancti discesserunt. Postea intellexi, quod isti pretiosi lapides significaverint virtutes, & gratias spirituales, quibus me Deus ex sua misericordia ditat, & meas amicas. Ipse sit benedictus. Amen.

Longè admirabilior est eventus, quem mihi referam, & sermo ab eodem Sancto ad illam habitus, anno sexcentesimo trigésimo, quortum est colligere ex numero chartarum, qui se ab ea describitur.

Verfabar cum Deo, vacans meis consuetis exercitijs, eramque tum tota sepulta in profunda cognitione meæ vilitatis, & ardentè optabam magis magisque placere Deo. Occupavit me affectus, sicut alicuius, audiendæ cuiuspiam concionis, quo solatio multis annis careo, cum propter meos continuos morbos nequeam adire templa. Verùm conformavi me cum Divina voluntate, & excussi hanc imaginatio-

tionem, insistendo meo exercitio. Interim vidi tanquam eminus advenientes Beatos Patriarchas, S. Benedictum, S. Dominicum, & S. Ignatium de Loyola, atque alios Sanctos ex tribus Religiosis Ordinibus sanctissimorum Patriarcharum. Omnes procedebant associati Angelis Dei. Hoc modo appropinquaverunt loco, in quo eram. Atque Beatus Benedictus subito, comitantibus ipsum, & honorantibus duobus sanctis Patriarchis, se collocavit in quadam mystica sella, & alij duo Sancti utrinque in alijs aliquantò demissioribus. Cæteri Sancti, ex eo sacro comitatu, confederunt in longa & pereleganti sede, quæ erat instar scamni, quamvis aliam habuerit formam. Angeli Dei veluti stabant, circumdantes illud theatrum, & beatas animas corundem Sanctorum.

Mea anima plurimum mirabatur, dum hæc omnia spectaret: profecuta sum tamen inter meos timores, quoad potui, meam orationem & exercitium, adeo ut paulatim, & quodammodo naturaliter mentem aliò converterem, fuerimque aliquamdiu immemor mysterij, quod Deus meis oculis objecerat. Adverti deinde meam incuriam, & obstupui, quòd me ita potuerim abstrahere. Tum mihi gloriosus Sanctus Benedictus valde amanter dixit: Anima, fuisti naturaliter distracta, & ego cum omnibus his Sanctis, ac Angelis, qui sunt mecum, te libenter prætolati sumus. Fui enim exhilaratus, & gavissus sum in Domino, te, dum à Divina Majestate elevaris ad tam sublimem statum spiritus, simul peragere opera naturalia, ut proinde Deus sit glorificandus & honorandus, quòd cõdiderit creaturam, eumque in modum formaverit, ut intenta functionibus suæ naturæ, nihilominus etiam adeò sublimi atque elevato spiritu operetur, ideòque magis videatur esse Angelus, quàm homo, conjungente Deo in una creatura, per suam bonitatem, & infinitam potentiam, duo profus opposita, ita ut alterum non vincatur ab altero: quanquam natura & vita tua sit jam propemodum miraculosa, quòd tibi, Anima, si meministi, à Deo ali-

quoties dictum est. Audivi, quæ mihi à Sancto dicebantur, & quia sum semper, atque tunc amplius fui immerita meæ miseræ sordibus, quamvis ea audiverim, non multum tamen observavi, quasique cætorum oblita, solum dixi: Benedicte Sancte, ignosce mihi, quòd fuerim tam incircumspecta, ut essem immemor tuæ præsentis, quia sum usqueadeo vilis & imperfecta creatura. Bene, respondit Sanctus, bene dicis, Anima, bene; & ego gaudeo in Domino, omnèsque mei sancti Socij, & Angeli, quòd humilem tuum audiamus affectum: sed nunc attende, quia venio, ut te nomine Dei breviter alloquar, ad te consolandam & recreandam. Tum formatâ cruce in sua fronte, ore, & pectore ita quàm gravissimè, & magno spiritu dixit:

Anima, sancta Ecclesia à Spiritu Sancto illuminata, nobis instituit gloriosissimam festivitatem Divini Verbi, in visceribus virgineis sanctissimæ suæ Matris Incarnati, pro salute & redemptione totius generis humani. Natus est Dei Filius ex hac sacratissima Domina nostra, involutus vilibus fascijs, & reclinatus in præsepio, conversatus est cum hominibus triginta tribus annis, patrando mirabilia, & Divina opera; eumque magno & infinito amore dilexisset suos, usque in finem dilexit eos, exhibito immensæ suæ charitatis extremo excessu, dum eorundem causâ est mortuus; quòd ipsum fecisset, si vel unus fuisset redimendus: eoque enim est progressa magnitudo amoris ipsius, & ardentis charitatis. Neque infinitæ ejusdem bonitati fuit satisfactum, nisi etiam cum illis maneret usque ad consummationem sæculi, te cætu velo Sacramentalium specierum. Dixit siquidem idem Dominus, hominem à se fuisse sic dilectum, quòd aliqui, imò multi de longè veniant, ac indigeant subsidio, virtute, atque confortatione Divini Sacramenti Eucharistiæ, nè deficiant & pereant in via. Fuit quoque Redemptor noster comprehensus, flagellatus, & fortiter ad columnam alligatus: cum autem hæc verba diceret gloriosus Patriarcha Sanctus Benedictus, & elevaret oculos ad cælum, passus

passus est in altissima contemplatione velut ecstasim, ceteri verò Sancti, ibi præfentes, inclinaverunt sua capita. Paulò post Sanctus continuavit suum sermonem, dicendo; Fuit iste Dominus crudelissimè spinis coronatus, & postquam bajulavit crucem, cui erat affigendus, est crucifixus inter summos suæ sacratissimæ Humanitatis dolores & angustias: in cruce obiit, & cum clamore valido tradidit suo sacratissimo Patri Divinum suum spiritum, patrefaciendo omnibus aditum ad cælum, quicumque hoc magno & pretioso remedio vellent bene uti. Tum sanctus Abbas, coniectis in me oculis, dixit ardenti affectu: Anima, roga instantissimè & ferventissimè Deum & Dominum Majestatis, ut hæc tam cœlestia & Divina Mysteria passionis & mortis, Redemptoris & Servatoris nostri Jesu Christi abundantissimâ suâ gratiâ imprimat & obsignet in animabus, & cordibus Fidelium, quò se propterea ipsi exhibeant gratos, eique serviant, & eundem ament, hic per gratiam, ac deinde perpetuò in gloria. Amen.

Simul atque gloriosissimus Sanctus finivit hunc Divinum & admirandum sermonem, surrexit, unaque ceteri Sancti, qui aderant, & impertiendo mihi, omnibusque rebus, quæ reperiebantur in meo paupere cubiculo, suam sanctam benedictionem, discessit cum ea pompa, quæ venerat, relinquens me affluentem solatio, & confortatam in Domino, qui sit in æternum propter omnia opera sua & misericordias benedictus. Amen.

Licet sequens visio multa, & miranda alia concernat mysteria, quia tamen etiam breve continet alloquium gloriosi sancti Benedicti, una cum illustri elogio, quo sanctus Pater noster Ignatius de Loyola magnum hunc honoravit Patriarcham, visum mihi est eam hoc loco referre. Accidit autem, quantum ex ordine, quo chartæ sunt numeratæ, colligitur, paucis ante præcedentem visionem diebus. Loquitur porro venerabilis Virgo hunc in modum.

Sensu ardentem in mea anima affectus, & extraordinaria desideria, conformandi me in omnibus, & per omnia, cum Divi-

na voluntate. Dum ijs fererem, audivi cœlestem & suavissimum sonum multarum campanarum, quarum metallum erat purissimum aurum. Huic dulci sono accedebat admirabilis & divina musica Angelorum, consonantissimis suis instrumentis laudantium magnum Deum nostrum, in ea cœlesti Jerosolyma. Licet verò obstupescerem audiendo amabilissimam illam harmoniam, nihilominus propter solitos meos timores me conabar abstrahere, & pro viribus continuare meum ordinarium exercitium. Disponente tamen ita rem Deo, sui coacta attendere mysterio, quod mihi Divina Majestas volebat exhibere, ita ut id nullo modo, quantumcunque tergiversarer, potuerim evitare.

Vidi igitur descendentes ex ea cœlesti Civitate associatos Angelos, miro ordine, & elegantissimè ornatos, ferentes in manibus splendidissima vexilla. In medio hujus pompæ progrediebatur venustissimus sanctus Archangelus Gabriel, admirabiliter refulgens, qui habebat in manu longè pulchrius & excellentius vexillum, quàm ceteri, atque dum illud agitaret, vidi ex eo profuscentes lucidissimos radios, propter quos multi demones, in aère discursantes, conterriti, ac tremebundi sese subdlexerunt, & absconderunt. Quando hæc sacra pompa pervenit ad terram, vidi quasi in ipsius fine venientem singulari conspicuam majestate, cum comitatu Angelorum, sacratissimam Virginem Mariam Dominam nostram, quæ portabat in ulnis suum sanctissimum Filium, in specie pueruli, qui erat Sole pulchrior & splendidior. Comitabatur hanc Dominam, dextrum ipsius latus stipando, gloriosus Sanctus Joachimus ejus Pater, & à sinistrisibat beatus illius Sponsus Sanctus Josephus. Veniebant quoque comites hujus magni mysterij, eique inservientes multæ Annæ beatæ, & Sancti, ex quibus paucos aliquos agnovi, præsertim gloriosum Sanctum Benedictum, & S. Ignatium de Loyola, Patriarcham Societatis Jesu. Hoc ordine advenit sacer iste comitatus ad meum pauperem angulum, & ego obstupescens, verecundabar, atque turbabar. Procului & pro-

& prostravi me toto affectu mei cordis, ac audiui Celissimam Reginam cœli, quæ ad me accedens, & præ se ferens ténuerit ac amorem, mihi dixit: Anima, & creatura Dei, ipse sit tecum, séque tibi donet cum magna plenitudine gratiæ. Surge Anima, & adora tuum Deum, quem in meis ulnis gero. Verùm ego, quia eram prostrata, & à me præ admiratione quasi abalienata, difficulter poteram surgere. Tum sancti Angeli Dei, ex Divina voluntate, me admirabiliter, & in momento pretiosis exornatam vestibus elevaverunt, atque ego provoluta in genua, & iunctis manibus adoravi meum Deum, cum magna reverentia ac devotione. Hoc facto accessit illa sacratissima Domina, cum duobus ijs Sanctis, stipantibus ipsius latera, deditque mihi osculandos pedes, manus, & vestes summi illius Domini, quem in suis ulnis ferebat. Dum id facerem, adverti, quòd gloriosus sanctus Joachimus, fortunatus ipsius Pater, manu attigerit humeros illius magnæ Domine, suæ filie, quasi eandem vellet ad me propius admove- re, ut ijs deliciis frueret melius. Miri fuerunt, & specialissimi effectus, quos tum mea anima sensit, tanquam repleta Deo, & arctissimè suo Domino unita. Raptam subitò in ecstasim, objiciente se oculis meis quodam velut velo, seu nubecula, quæ maximo suo splendore mihi obtexit mysterium, quod videram.

Alij tamen Sancti mihi non disparuerunt, qui advenerant in eo sacro comitatu,

præsertim duo Sancti Patriarchæ, S. Benedictus, & S. Ignatius de Loyola. Tunc mihi S. Benedictus nomine omnium admirando, plurimùmque æstimabili modo dixit hæc verba; imprimendo illa meæ animæ, in eaque producendo stupendos effectus: Anima & creatura Dei, exhibe te gratissimam tuo Deo & Domino, atque age illi infinitas gratias, quòd tibi tam magna & singularia, adeoque extraordinaria beneficia præstiterit ac præstet, ex mera sua bonitate, tēq; ex pura sua gratia disposuerit, & reddiderit capacem, ad ea suscipienda. Nunc autem vale, & quiesce in tuo Deo. Deinde gloriosus Sanctus Ignatius de Loyola quædam protulit, in magnam cœdencia laudem Sancti Benedicti, quia tangendo ipsum manu, ad me conversus dixit: Ecce, Anima, Deus hunc sanctissimum virum summi facit, habet illum sibi valde vicinum. Ità locutus est S. Ignatius, & post hoc mihi omnes valedixerunt, atque abiverunt.

Finità hac totà visione sum passà profundam ecstasim, & quando ex raptu ad me redivi, magnas Deo gratias egi pro talibus operibus infinitæ ipsius misericordiæ & bonitatis. In ista admiratione & affectibus perseveravi multis diebus, specialiter verò verba gloriosi Sancti Benedicti adeò firmiter in hæserunt meæ animæ, tanta & tam singularia in me operando, ut illorum nunquam possim oblivisci.

Deus sit in æternum benedictus.

CAPUT XXVII.

Revelat illi Deus, per Venerabilem Patrem Ludovicum de Ponte, quandam S. Benedicti, inter cæteros Religionum Patriarchas, eminentiam. Dicit ipsi gloriosissimus Sanctus, ut curet fieri illius effigiem. Insinuatur nonnihil de admirabili gloria Sancti Bernardi.



Quisquis præcedentia capitula attente legerit, observabit, nunquam hanc Venerabilem Virginem fuisse locutam de Sanctis Religionum Patriarchis, quin primo

Vita Mar. de Esobar Pars II.

semper loco nominaret gloriosum S. Benedictum, eò quòd in illo aliquid observaret, quod ipsum hoc in genere cæteris omnibus videret superiorem. Intelligamus nunc qua in re hæc veritas fundetur, ex visione, quam habuit An. 1629, 10. Junij, & his verbis describit.

P

In

In festo Sanctissimæ Trinitatis, decimâ hujus, me Deus duxit ad cælum, & ostendit mihi ineffabile mysterium unitatis Essentia in trinitate Personarum, repræsentando illud in lucidissimo, infinito, & immenso Sole, qui cum esset unus, & talis appareret, talis quoque conspiciebatur. Ostensum mihi id fuit tam genuinè & clarè, ut nullus videretur relinqui locus obscuritatis fidei: quandoquidem anima eam veritatem percipiebat, non quasi illam crederet, sed intueretur. Unde obstupui, plus quàm dici possit, quòd viderem illum Deum carentem principio, & habentem intra se ipsum venam suæ gloriæ ac beatitudinis, absque indigentia ullius creaturæ.

Postquam mihi Deus manifestavit hoc mysterium, conplexi in meo cubiculo Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte sedentem, etiàmque Marinam Hernandez, verùm velut humi, juxta Sancti pedes, ad latus. Sanctus Pater me salutavit vultu jucundissimo, & videbatur modo loquendi atque intuenti significare, se mihi velle loqui, meque ad aliquid aliud disponere. Dum ego id notarem, vidi advenientem gloriosum Sanctum Benedictum, cum Beatis S. Augustino, S. Dominico, S. Francisco Assisiensi, & S. Ignatio de Loyola, non sine comitatu multorum Sanctorum Angelorum, qui ante me collocaverunt elegantissimum, & admirabile scamnum: recedente verò Sancto Patre Ludovico de Ponte, quinque Sancti Patriarchæ confederunt, & medius inter omnes sedit Sanctus Benedictus. Hic, priusquam me alloqueretur, exhibuit reliquis Sanctis quoddam genus honoris (qualem sibi in isto mundo invicem exhibent homines) quasi rogando singulos, ut ipsi loquerentur: atque omnibus sese excusantibus, cum eadem honoris significatione, locutus fuit Sanctus loco omnium, cum singulari gratia, salutando me nomine Dei, mihi que dicendo, quòd in eo, & ejusdem Majestate jubente, veniant ad me invisendam, mihi que præstandum, quod ipsis erat demandatum.

Necdum intelligebam, quid Sanctus vellet: sed cum ita auscultarem, quæ mihi

ab eo dicebantur, vidi, à quibusdam sibi præsentibus Angelis imponi glorioso Sancto Benedicto quandam velut Albam Sacerdotalem, stolam, & pluviale; caput ipsius ornari infusâ, & porrigi illi pedum ad manum. Surgentes deinde cum ipso cæteri Sancti, comitantibus Angelis, processerunt ad quoddam tabernaculû, quod ego hætenus non videram. Erat valde pretiosum, & eleganter adornatum, infestens gradibus, quos Sanctus conscendit, & profundè genua flectens, prosternentibus se cum eo reliquis omnibus Sanctis & Angelis, accepit vas, seu ciborium factum, quod supra erat, atque ad me conversus (quæ insigniter turbata eram & confusâ, videns me coram illa cælesti multitudine Angelorum & Sanctorum) postquam ad me accessit, imposuit meæ lingvæ sacram hostiam, cujus contactum more humano in lingua sensi, ac si illud mysterium, non in spiritu & visione imaginaria, sed re ipsâ perageretur. Fui mihi penitus erepta, ignoro quàm diu, sed quando ad me redij, experta sum eosdem effectus ac motus, quos experiri soleo, dum communico sacramentaliter: & vidi Sanctos rursus confidentes, adstante ipsis eadem multitudine Angelorum. Tum idem Sanctus Benedictus eâ gratiâ, quâ initio, mihi dixit, ut bene valerem, & quiescerem in Domino; Sancti quoque cæteri mihi cum ipso valedicentes, reversi sunt cum suo comitatu ad cælum.

Remansit apud me Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, & quia aliquantùm mirabar, quòd S. Benedictum vidissem sedentem medium inter cæteros, non verò magnum illum Patrem, Episcopum, & Doctorem S. Augustinum, quælibet ex eo causam, responditque mihi: Anima, illi Sancti te visitaverunt tanquam Patriarchæ Ordinum Religiosorum, & Benedictus fuit primus, qui vixit ut Religiosus, ac præscripsit Monachis normam vivendi sub Prælato, in obedientia, & observatione regularum. Postquam Sanctus Pater Ludovicus id dixit, mihi; quiddam commisit dicendum cuidam Religioso sui Ordinis, ostendendo gratam sibi esse ipsius

operam, quam præstiterat ac præstat in utilitatem Ecclesiæ Dei, & me est solatus, atque confortavit in mea cruce, in qua sum à Deo constituta, valedixit mihi. Divina Majestas sit in æternum benedicta. Amen.

Quam sit conforme id, quod hic dicitur, ijs, quæ gravissimi Authores, & Sanctissimi Pontifices Romani, testantur de gloria hujus Patriarchæ, videat, qui dubitaverit, annales Sacræ ipsius Religionis. Progredimur ad aliud scriptum, in quo hæc Sancta Virgo refert, quod illi paulo post prædicta cum Sancto Abbate evenit, his verbis.

Indiderat Deus meæ animæ desiderium, de quo mox dicam: & quamvis me multis diebus ab eo abstraxerim, prout in hujusmodi materijs consuevi, adhibendo conatum, ut omnia sincerè dirigam ad majorem Dei gloriam; nihilominus me dictum desiderium non cessabat interdum vehementer stimulare. Erat autem, ut curarem pingi effigiem gloriosi Sancti Benedicti, eo modo admirabili, quo ipsum vidi, quando jussu Dei ad me habuit illum cœlestem ac divinum sermonem, cujus thema erant ea verba: Beati pauperes spiritu &c. Sicut alibi recensui. Nihilominus, licet desideria essent potentia, naturalis mea propensio, & verecundia id refugiebat: magnopere namque timebam, nè inspectâ picturâ, ipsi videretur aliquid inesse mysterij, possetque nonnemo colligere, me similem quampiam habuisse visionem, quod ego quantum est possibile, evito. Aliunde verò vehementer ad id impellebar, ut devotio Fidelium erga gloriosissimum hunc Sanctum, novum sumeret incrementum, & Dominus Deus noster in eo glorificaretur.

Dum itaque aliquando manè, in Vigilia Pentecostes, cum Deo in mea consueta oratione agerem, prorsus tunc immemor hujus cogitationis, vidi S. Benedictum, qui me vultu hilari ac peramanter, suavissimis & cœlestibus verbis nomine Dei salutavit. Ferebat Sanctus in manu symbolicum & splendens Solem, qui meos oculos ad se rapiebat. Verùm ego exhibendo honorem Sancto, quam optime potui, petij ab eo veniam (quod, dum

Vita Mar. de Escob, Pars II.

permitter, facere consuevi) recurrenti ad Deum, & abstinendi ab ipsius conspectu, donec me Divina Majestas illuminaret, quid mihi esset agendum. Sanctus benignissimè & amabilissimè annuit. Dum autem conversa ad Deum, magno cordis mei affectu postularem divinum ipsius lumen, pro implenda ejus voluntate, & cognoscendis illius veritatibus, nè pateret illusiones, Deus me certam reddidit, jussitque attendere Sancto, & ijs, quæ mihi nomine ipsius esset dicturus, nec non ex ejusdem mandato in me operaturus. Interea me rursus, cum ingenti meo solatio, adverti versari in conspectu Sancti, qui mihi amantissimè dixit: Anima, & creatura Dei, petivisti à Divina Majestate divinum ipsius lumen, ad cognoscendas illius veritates, & adimplendam sanctam ejusdem voluntatem. Jam tibi Deus istam gratiam præstitit: nunc tamen eandem vult denuò augere, mittendo tibi hunc lucidissimum Solem, representantem lumen, quod tibi rursus communicatur: mandat verò, ut illum ex mea manu suscipias. Hoc dicto ad me accessit is gloriosus Sanctus, & applicuit modestissimè atque spiritualissimè eundem divinum Solem meo ori, & oculis, ac deinde meo pectore, ubi ipsum reliquit quasi impressum, intimèque illapsum in animam, cum pari ejusdem animæ admiratione ac solatio.

Peracto hoc mysterio Sanctus dixit sequentia verba: Audi Anima, dic mihi amore Dei, quem amas, & cui servire desideras, quid sentias difficultatis, quidque te impediat, quò minus cures pingi effigiem mysterij, quod tibi mecum evenit, quando jussu Dei ad te habui illum spiritualem sermonem, qui jam per Dei providentiam est divulgatus, multisque manifestatus, cum singulari solatio, & spirituali eorumdem fructu? Quamobrem, quid tibi restat difficultatis? non dico jam creatura Dei, neque te volo reddere desolatam, adigendo te, ut opereris contra tuam naturalem propensionem (quam ego quoque in te laudo) curando appingi tuam effigiem. Quod volo, & à te instantè peto, est, ut non impedias, aut remo-

reris picturam illius visionis, referasque istum casum tuo Confessario, ut ipse videat ac iudicet, quâ viâ sit hæc Dei voluntas mandata executioni, cōferendo, quod fuerit constitutum, cum Abbate filio nostro; quâ ratione tu conquiesces. Anima, ego nihil hac in te invenio minus conveniens, quod tu nunc propter tuos timores, & bonam naturalem propensionem invenis: quia omnia expendo ad radios divini luminis, & non possum errare.


Mea anima diligenter attendebat toti alloquio gloriosi Sancti, & quamvis magnum esset solatium, quod capiebam ex eius verbis, quæ mihi tantopere satisfaciebant, & me quasi convincebant; longè tamen magis me solabatur admirabilis ille ac divinus modus, quo ab ipso proferebatur. Nihilominus eram, nescio qualiter, adeò perplexa in determinando hoc negotio, ut dixerim Sancto: Benedicte & gloriosè Sancte, si tibi placet, ut fiat, quod exposuisti, vellem, si foret voluntas nostri magni Dei, ut hæc omnia ipsemet diceres & indicares, nullatenus mihi, sed Abbati, qui est prudens, & servus Dei, atque meo Confessario: ego enim propter meam exiguum humilitatem & mortificationem, patiar difficultatem in proponenda hac materia. Tum gloriosus Sanctus mihi, iucundo quodam, sed gravissimo modo, velut subridendo, svavissimè respondit: Anima & creatura Dei, non sum id à Divina Majestate iustus alijs, quos innuis, dicere, sed tibi, tanquam pauperi & humili creaturæ, quam Deus ex sua bonitate, & mera sua misericordia, ac altissimis iudicijs adamavit, disponendo suâ manu, & inve-

niendo capacem, ut evaderet in vas, cui infunderet liquorem suatum miserationum. Ipse sit benedictus in æternum. Vale, Anima, & Deus sit tecum, atque fac, quod tibi dixi. Ità Sanctus à me discessit, relinquens me affluentem solatio, & admirandam, dum considerarem opera Dei, qui laudetur milies, iterumque milies. Amen.

Hinc est colligere, Sanctam Virginem abhorruisse à curanda imagine Sancti Benedicti in ea specie, quâ ipsum tunc vidit. Cum enim depingenda esset tota visio, necesse erat etiam illam pingi, cui se præbuit spectandum, id quod ob animi sui demissionem ægerimè ferebat. Præterea silentio alias gratias, quas ab hoc magno Patriarcha est consecuta, quia aliò pertinent.

Visum mihi est, laudibus S. Benedicti aliquid addere de gloria ipsius filij Sancti Bernardi. Licet enim prædicta effigies evaserit prorsus genuina: hac tamen altera imago est viva, quæ illum longè excellentius repræsentat. Vidit Virgo aliquoties gloriosum Bernardum, prout supra innui; specialis vero fuit visio, de qua in parva scheda sic scribit inter alia, quæ de die in diem annos at, mense Augusto anni sexcentissimi viginti septimi.

Die Sancti Bernardi, vidi eundem Sanctum, qui me, quanquam breviter, est dignatus visitare. Solatus me fuit, plurimumque animavit, & DEUS mihi manifestavit excellentiam ipsius eximij spiritus, qui erat ejusmodi, ut me in summam raptuerit admirationem. Est certè maximus Sanctus. Benedictus sit DEUS, qui illum talem effecit.



CAPUT XXVIII.

Gratiæ obtentæ à glorioso Patriarcha S. Dominico, & excellentia hujus admirabilis Sancti, ipsi à Deo manifestata.

Quanta beneficia hæc Virgo obtinuerit à gloriosissimo Patriarcha S. Dominico, & Sanctis ejusdem filijs, tam illis, qui Beati jam cum suo Patre in cælis regnabant, quam alijs, qui adhuc viventes militabant in terra, imitando heroicæ majorum suorum virtutes, fuisse narratum fuit in prima, & varijs locis hujus secundæ partis, cujus veritatis claræ probationes percipientur, tum in hæcenus scriptis, tum in scribendis, DEO favente, deinceps. *Nunc solam*

solum referemus quosdam speciales eventus, concernentes materiam, quam tractamus, quæ est familiaritas, quam habuit cum cæli incolis, acsi vivens in terra, foret una ex illis, observando, quoad poterimus, ordinem temporis, quo acciderunt. In Augusto anni sexcentesimo vigesimo quarti, ita ait.

Die gloriosi Sancti Dominici manè, mihi DEUS agenti secum in oratione exhibuit, per modum spiritualissimæ visionis; quamvis etiam in ea non deessent figuræ imaginariæ, spectandum Sanctum Patriarcham; fuitque mihi hic repræsentatum, quod ibi eo die fiebat in cælo, hunc in modum. Vidi Sanctum sedentem in magno & splendido throno, pleno gloriâ & majestate, atque juxta illum plurimos Sanctos ex sacra ipsius Religione Pontifices, Cardinales, Episcopos, Martyres; & alios, suis singulos insignibus ornatos, ex quibus potui dignoscere dignitates, quibus fuerant præditi in Ecclesia. E regione hujus throni vidi Majestatem magno nostri Triunius Dei, qui instar Solis emittebat pulcherrimos radios luminis, & divinos splendores, usque illustrabat Sanctum Patriarcham, & ipsius filios, quibus illos reddebat beatos, ac replebat gloriâ: verum præ cæteris maximè irradiabat Sanctum Patriarcham; siquidem mihi tanta in ejus anima apparebat profunditas, adeoque ampla capacitas ad recipiendam gloriâ, ut reliquos omnes plurimum superaret. Replebat illum DEUS se ipso, & communicabat ei specialissima bona, atque splendores, quasi milleni in eodem relucere Soles. Eram tota attentione præ admiratione, dum tantam Sancti contemplerer excellentiam, unaque pro meo captu viderem illud immensum Esse Trini & Unius Dei, quo satis diu sum fruita.

Interea vidi advenientem magnum numerum Angelorum, qui erant compassissimi, & quasi ad celebrandum festum splendide ornati. Singuli gerebant in humeris diversum quoddam insigne, significans varias istius Sancti virtutes, charitatem, humilitatem, patientiam, fortitudinem, & reliquas. Omnes decantabant

laudes Dei, & Sancti Patriarchæ, quorum aliqui varia & suavissima tractabant instrumenta. Hunc in modum transeuntes ante Deum, & Sanctum, circumvenerunt illam sanctam Civitatem, quam universam exhilaraverunt. Quo facto sunt reversi, mutato habitu, longè elegantiores, quam initio, & nova gestantes in humeris insignia, rursúmque obiverunt celestem Patriam, eodem ordine, quo prius. Hoc circuitu absoluto, redierunt tertio, diverso, & multò splendidiorè conspicui ornatu, quam fuerint præcedentes omnes in humero ferebant insigne lucidissimi Solis, evibrantis admirandum splendorem. Licet verò singuli Soles mihi repræsentaverint magnitudinem omnium Sancti virtutum, distinctissimè tamen agnovi eminentiam charitatis, quæ omnes alias excedebat. Ità pervenerunt ad conspectum magni Dei nostri, & prostrati in pavimento illius cæli, ipsum adoraverunt, gratiasque ei egerunt, pro magnis beneficijs, quibus cumulavit Sanctum Dominicum; ac deinde surgentes, & conversi ad Sanctum, milies ipsi sunt gratulati gloriâ, quam possidebat, & singulares virtutes illi à Deo concessas. Sanctus est ipsos intuitus, specialem ijs exhibendo honorem, & vultu, in quo gravitas modestissimè erat juncta hilaritati, sese gratum demonstrando, pro demonstrato sibi ab ipsis amore. Postea se converterunt ad Deum, qui illis dedit suam sanctam benedictionem, quando ego ex profundo raptu, in quo fueram, ad me redivi. Deus sit in æternum benedictus ob honorem, quem exhibet suis Sanctis. Amen.

Sequenti anno sexcentesimo vigesimo quinto, eodem die idem Sanctus se illi faventem præbuit, non, sicut priore vice, ex cælo, sed descendendo ad terram, ut illam admirabili modo solaretur, quem ipsa his verbis describit.

Erat hora circiter quarta matutina, die gloriosi S. Dominici, & ego coram Deo vacabam meæ solitæ orationi, præsentè S. Patre Ludovico de Ponte. Repetebam eos affectus, quos consuevi frequentare,

ortos ex mei cognitione, vidensque tam multas miserias, dicebam Domino: Aspice me, mi Deus, aspice, qualis sim. Divina Majestas contemplabatur benignissime, non solum exteriora meæ animæ, sed etiam ejusdem intima, & recessus cordis, ac si omnia attentè perlustraret, atque postea mihi dixit: Verè mihi omnia placent, & nihil video, quod mihi displiceat. Ego millena mihi imputabam mala, & meâ opinione, salvâ veritate, Dominus autem asseverabat suum dictum, utque id confirmaret, porrexit mihi suis manibus, quæ erant purissimæ, candidissimæ, & spiritualissimæ, sacram hostiam, cujus perceptio mihi tota videtur fuisse spiritualis, & subjuncto dicendo: Anima, quiesce tantillum: veniet enim meus amicus Sanctus Dominicus, ut te ducat ad locum, quem videbis. Quievi aliquamdiu, ac deinde vidi venientem Sanctum Patriarcham ornatum aureo, pretiosissimo, & splendidissimo pluviali, quem comitabantur plurimi Beati ex ejusdem Ordine. Procedebant induti amictu lineo, & bini, ut sit in solenni supplicatione, erantque tam multi, ut viderentur repleturi amplum campum. Omnes mihi apparebant humillimi, & velut nudipedes, quamvis revera non essent, neque fuerint. Sanctus Patriarcha ad me accessit, & imperiosè, non permitiendo ut ullatenus reluctarer, dixit: Soror, veni mecum: Deus namque mandat, ut te ducam ad meum Conventum S. Pauli, in hac civitate, & visites in meo festo meam domum. Apprehendit meam manum, præ se ferens cælestem gravitatem ac modestiam, & elevavit me, duxitque ad Conventum S. Pauli hujus civitatis, comitantibus ipsum omnibus illis Sanctis, qui cum eo venerant. Ego ibam cum Sancto, summè erubescens, & verecundissima, adeo ut Sanctus Pater Ludovicus, videns me ita constitutam, subriserit, prout solebat degens in hac vita, qui modò abundè perspectam habet meam verecundiam, atque tunc se adjunxit meo lateri, ita ut medium inter hos duos Sanctos locum occupaverim. Postquam pervenimus ad Conventum, apertæ fuerunt por-

tæ Ecclesiæ. Vidi illud templum repletum cælestibus splendoribus, & quendam Divinum Solem, à quo illuminabatur, ac si cælum foret in terra.

In summa ara conspexi meo modo, Dominum Deum nostrum Triunum. In templo fuerunt multi Religiosi Dominicani, ex etiamnum viventibus, acclinati ad parietes templi, tanquam cedentes loco Sanctis ingredientibus, qui, ut dixi, erant copiosi. Quando intraverunt templum, sanctus Patriarcha processit ad summam aram, & Sanctus Pater Ludovicus de Ponte tum dedit signum uni ex Religiosis, ut accederet, seque ad latus meum collocaret, quod is fecit. Dominus Deus Triunus autem dedit suam Divinam benedictionem omnibus Religiosis, tam Beatis, quam viventibus, etiamque meæ pauperi animæ. Deinde gloriosus Sanctus Dominicus consistens in medio Chori, bene precatus est omnibus suis filiis, ibi presentibus, & mihi unâ cum illis. Postquam verò sanctus Patriarcha visitavit Ecclesiam, reduxit me ad meum angulum eodem modo, quo abduxerat. Deus sit benedictus. Amen.

In festis postea Nativitatis Christi, sequenti anno sexcentesimo vigesimo sexto, refert, quod ipsi cum eodem Sancto bis evenit, & expositis, que illi acciderunt cum Deo, ac alijs Sanctis, de quibus suo loco loquemur, ita ait:

Altero die festorum Natalitiorum, post prædicta, vidi Beatum Patriarcham Sanctum Dominicum, qui me invisit, comitantibus illum nonnullis Sanctis ipsius filijs: fuerunt, qui mihi in vita benefecerant, quamvis non agnoverim plures, quam duos solummodo, utpote Patrem Fratrem Josephum de Sena, qui aliquoties meam exceperat sacram confessionem, & P. Fr. Alphonsum Lobete, qui mihi quibusdam occasionibus domi meæ dixerat Missam, & sacram Eucharistiam ministraverat. Ingressus Sanctus Patriarcha me salutavit, peramanter dicendo, ut mihi felicia Deus largiretur festa, ad que apprecanda venisset. Collocuti sumus de quibusdam rebus Sanctis, & conducerentibus ad spirituales profectum, unde me magno

magno affectu solatio. Postea volui osculari ipsius pedes, propterea que me prostravi; sed Sanctus me elevavit, & porrexit mihi osculandum scapulare, ac manum, atque datam mihi suam sanctam benedictionem valedixit, & addidit: precaberis meo nomine felicia festa meis filijs. Sanctus Pater Fr. Josephus de Sena, me non est allocutus, sed intuens me arrisit mihi, prout faciebat, dum viveret, quia erat affabilissimus, & inclinando se discesserunt.

Deinde, proximo die post festa Nativitatis, venit rursus profusus detrepente idem Sanctus Patriarcha, ad meum pauperem angulum, quasi me pramoniturus, & agens comitem aliorum, quos ego tum non videbam. Ingressus est, dixitque: Soror, Sanctissima Virgo venit, & ego tanquam servus ipsius, quæ mihi specialem exhibuit gratiam, & mandavit, ut se comitarem; præcessi, ut te inviserem. Præparate te, Soror, pro tanta visitatione. Et cum Sanctus respiceret ad latus, movit se, acsi obviam vellet procedere illi magnæ Dominæ, quæ jam appropinquabat. Ideo ego celerrimè dixi: Expecta, expecta modicum Sancte Pater, volo enim tibi aliquid dicere. Sanctus expectavit, ac dixit: quid à me vis, Anima? dic age. Petivi, ut dignaretur orare Deum, & rogare, ut concordet redderet duos Religiosos Ordines, suum, & Societatem JESU, quam ego impensius amo; eò quòd (tametsi ex bonis, ac sanctis intentionibus) plerumque non magnopere invicem consentiant: licet enim non omnes, multi tamen ex ijs sunt minus unanimis. Sanctus, post alia dicta, magnis est profusus laudibus Societatem, dicendo, illam esse à Deo in Ecclesia sua constitutam instar validi muri, duraturi ad finem usque mundi, quantascunque pateretur contradictiones: & Sanctum Patrem Ignatium fuisse assumptum ex militia profana, ut esset Fundator hujus San-

ctæ Religionis in bonum Ecclesiæ. Post hoc Sanctus est progressus obviam Sanctissimæ Virgini.

Celsissima hæc Regina adveniebat formosissima, splendide ornata cimelijs, & miris vestibus, quibus satis representabatur gloria & excellentia sanctissimæ ipsius animæ, ac divini thesauri, quos in ea continebat. Gestabat suum Sanctissimum Filium infantulum in ulnis. Saluravit me ejusdem Majestas peramanter & affabiliter, dicendo: Soror, Deus tibi jam concesserit sanctissima festa, concedatque talia etiam subsequutura. Hic tibi adfero meum Sanctissimum Filium, & Dominum meum, ut ipsum adores. Eodem tempore milleni Angeli, qui eam comitabantur, celebrabant mysteria Sanctæ Nativitatis celestis musicæ. Ego me prostravi humi, & osculata sum pedes illius Sanctissimi Puelli, Dei & Domini nostri, atque adoravi ipsum, cujus Majestas mihi impertita est benedictionem. Habebat Sacratissimus Puellus in pedibus signa suorum pretiosorum vulnerum, quæ optimè apparebant: intellexi tamen à Deo, hæc in eate representante Infantem Deum, esse figuram illorum, quæ postea habuit, ut mihi significaret, se ab instanti sua sanctæ Incarnationis semper eadem habuisse præsentissima. Vidi hunc Dominum amarè plorantem, more cæterorum infantium, atque ex oculis Sanctissimæ Virginis etiam cadebant lachrymæ compassionis. Porrigebat tenero Infanti sua sanctissima ubera, & ipse sugebat lac, sicut alij recenter nati infantes. Fuit mihi datum clarum lumen, per quod agnovi, illum esse verum Deum, & verum Hominem: dum autem fundere lachrymulas, seque eo Virgineo lacte sustentaret, esse nihilominus Divinam præditum Majestate. Sit ipse in æternum benedictus. Amen.

Amen.

CAPUT XXIX.

Continuatur materia gratiarum, quas est assecuta à glorioso Sancto Dominico,

Favorem



E Avorem illi similem, quem adeptus fuerat anno sexcentesimo vigesimo quinto, pariterque die ejusdem festo, obtinuit anno sexcentesimo vigesimo septimo, qui ab ea breviter his verbis recensetur.

Summo manè, die gloriosi Patriarchæ S. Dominici, intellexi, quòd me Sanctus vellet ducere ad Conventum S. Pauli, sui Ordinis, qui est in hac civitate, ut lucraret Indulgentias. Mei Domini Angeli mihi dixerunt, ut abirem ipsis comitantibus; cùmque ego ob meos timores cunctarer, urgebant me, dicendo: Averte, Anima, Deus te præstolat. Denique fui ab illis abducta. Erant portæ clausæ, quas tamen Angeli facillè aperuerunt. Intravi, & vidi Sacratissimam Personam Spiritus Sancti, totùmque templum plenum gloriâ, & Angelis Dei. Eram insigniter ornata cimelijs, & splendidis vestibus, quæ mihi ab eo summo Domino fuerunt data, quemadmodum aliàs dixi. Postquam ad ipsum perveni, prostravi me, ac adoravi ejusdem Majestatem, atque deposita cimelia, quæ gerebam, illi donavi, & obtuli ex intimo corde, dicens: hæc ornamenta sunt tua, mi Domine, à te mihi sunt data, ideòque illa tibi offero. Dominus tibi in ea oblatione complacuit, & ego remansi pauperima, ac spoliatissima, plurimum tamen contenta, quòd illa ipsi donaverim. Deus continuò mandavit Angelis, ut me rursum ijs exornarent, ipseque Deus extendendo Divinam suam manum illis designabat locum, quo ea deberent ponere, dicens: Istud hic ponite &c. Postea mihi denuò alia tribuit cimelia, adeò ut ditior fuerim, meliusque ornata, quàm antea. Nihil vidi in templo, oravi, & obtentis Indulgentijs, fui à meis Dominis Angelis reducta domum. Dum postea ibidem audirem Missam, apparuit mihi Sanctus Dominicus, ex cujus conspectu magnum cepi solatium, allocuta sum ipsum, petivique ab eo pro me, & ijs, qui se mihi commendaverant, sanctas ejusdem orationes, quas mihi magnâ charitate & gratiâ est pollicitus. Deus sit benedictus. Amen.

Eodem hoc anno in festis Nativitatis illi idem Sanctus Patriarcha præstitit aliam gratiam, in eaque iterum singularem demonstravit favorem, quo profectus Societatem Jesu, atque amorem, quo fertur erga ejusdem Fundatorem. Describitur ab hac Virgine factam, quòd evenit, quando Societas patrebat quandam persecutionem, hunc in modum.

Mea anima agebat cum Deo manè, in festo Nativitatis Christi, amabilissimè Servatoris nostri, & postquam mihi alia cum ejus Majestate evenerunt, quæ alibi descripsi, vidi venientes, cum comitatu Angelorum Dei, gloriosos Patriarchas, S. Benedictum, S. Augustinum, S. Bernardum, & S. Dominicum. Pervenerunt hi benedicti Sancti ad locum, in quo eram, & S. Dominicus me nomine omnium verbis gravissimis & charitate plenis, salutavit: precatus est mihi felicia festa nomine nostri magni Dei, & illorum Sanctorum suorum comitum. Ego prosternens me cum magna veneratione, & humilitate, quâ potui, coram celestibus hospitibus, qui tantum mihi exhibebant favorem, suscepi ab ipsis, cum gratiarum actione, & laudibus Dei, appreciationem felicium festorum, quam mihi gratam esse ostendi, & erigendo caput, flexis genibus, abrepta affectu, cui tum immorabar, dixi glorioso Sancto Dominico: Benedicte Sancte, cum sis tam vicinus Divinæ Majestati, quæ te summo opere amat, habeatque, & habetis tantam charitatem erga proximos, rogo Deum, ut adjuvet, conservet, ac auget Religionem Societatis Jesu, quæ plurima Deo præstat obsequia, & ejusdem Ecclesiæ, atque nihilominus maximas à sui exordio patitur persecutiones, dum ipsam diabolus, per doctos & graves, etiamque Religiosos Viros, conatur infamare, subvertere, ac opprimere, qui eum in finem moluntur, quæcunque possunt adinventire. Rogo te, beate Pater, quàm demississimè & instantissimè possum, ut illam Deo etiam atque etiam commendes. Dic mihi autem amore ejusdem Dei, cur id fiat? Tum mihi Sanctus Patriarcha reverenti charitate & affectu dixit: Faciam, quòd mihi dicis Anima. Verùm dicitis mihi etiam

etiam tu modò, an ignores causam perfectionis, quam sustinet? Ecce Anima, Dominus Deus noster suscitavit his temporibus ex militia mundana Ignatium de Loyola, ut esset Fundator & Patronus sacre Religionis Societatis Jesu, quæ magna & eximia præstitit obsequia Deo, ipsiùtque Ecclesiæ Catholicæ, convertendo ac perduçendo ad Fidem infinitas animas; procurando insigni zelo, & arduis laboribus, atque peregrinationibus earum salutem, & majorem profectum; assumendo in id innumera alia & sancta media, magnùmque hac in re præbendo exemplum omnibus, præsertim ijs, qui similem profitentur vocationem. Quocirca videns diabolus bellum, quod hæc sancta Religio adversus ipsùm gerit, aggressus est nonnullos, qui sub prætextu zeli eam conantur pericui, ac infamare, & exturbare ex mundo, nè consequatur propositum sibi finem. Verumtamen hæc Religio Societatis Jesu est murus fortis, Deus ipsam protegit, confortat, suamque eidem confert virtutem: custodiet illam, & conservabit usque ad finem, ita ut nemo sit futurus tam potens, qui ipsi resistat, eamve evertat. Deus enim est illius adjutor ac defensor: Sic agitur, Anima, & tu modò ora pro omnibus Dominum Deum tuum, ac vale. Ita mihi Sancti valedixerunt. Divina Majestas sit semper benedicta. Amen.

Anno sexcentesimo trigesimo secundo, rursum vidi magnam in celo solennitatem, quæ ejusdem die celebrabatur festum hujus Sancti Patriarcha. Cedit ad magnam Sancti gloriam, & honorem sacre ipsius Religionis, quod ab illa refertur, ut sequitur.

Agebam modo ordinario, mihi confveto, in exercitijs meis cum Deo, die gloriosi Sancti Dominici, ante diluculum matutinum, & vidi hinc Sanctum in cœlesti Jerosolyma, in quodam throno gloriæ, raræ majestatis & magnificentiæ, circumdatum ab omnibus Sanctis ex ejusdem Ordine, & Beatis, qui gesserunt ipsius habitum, atque magnâ multitudine Angelorum Dei. Ducta fuit solennis pompa horum Angelorum, & benedictarum Animarum istius Ordinis, nec non aliarum,

Vita Mar. de Escob. Pars II.

omniùmque præcipuorum Sanctorum ex eo canonizatorum, quos sequebatur magnus ipsorum Patriarcha S. Dominicus. Hoc modo fuit deductus ad conspectum Beatissimæ Trinitatis. Sanctus se prostravit adorando Deum, & accepit sanctissimam ipsius benedictionem, non absque singulati Divinæ Majestatis benevolentia, & indicijs gaudij atque complacentiæ. Assurte xerunt univerti, & eadem ratione, quâ venerant, redixerunt Sanctum Patriarcham ad priorem thronum. Gloriosus Patriarcha sedit, & omnes cum illo sancti filij ipsius, qui illum comitabantur, in sedibus, quasi distincti in choros, statimque inceperunt quaterni, prodeuntibus ex quovis choro binis, progredi ad adorandam Sanctissimam Trinitatem, & suscipiendam ejusdem benedictionem, ac deinde revertebantur ad illam accipiendam à Sancto Patriarcha.

Postquam id omnes ipsius Beati filij peregerunt, gloriosus Sanctus Dominicus surrexit, ac venit cum comitatu præcipuorum Sanctorum sui Ordinis, & multorum Angelorum Dei, ad meum cubiculum, ut me inviseret, mihi que gratificaretur. Ego fui turbata, more solito, dum me stringunt mei timores, animoque meo obvertatur mea indignitas. Magnam sum passa difficultatem in eo videndo, quæ tamen denique fuit superata, & Sanctus Patriarcha me est allocutus, dicendo mihi, se in suo festo venire nomine Dei ad me visitandam, ferendùmque mihi quoddam ipsius munus, & abducendam me secum ad cœlestem Patriam. Dedit mihi gladium non adeò magnum, sed splendidissimum, & grandem fasciculum florum suavissimè o-lentium: dicendo: Accipe Anima hæc pretiosa dona, quæ tibi Deus mittit, & nunc veni mecum. Non intellexi tum illius gladij, & fasciculi florum mysterium, atque sui velut attonita, ignorando quid significarent. Ducta sum pergens inter Angelos & Sanctos, qui advenerant, subsequente Sancto. Quando pervenimus ad cœlum, fui præsentata Sanctissimæ Trinitati: prostravi me coram ea immensa Majestate. Fui benignissimè excepta à Deo,

Deo, qui mihi valde amanter & blandè est imperitus suam sanctissimam benedictionem. Allocuta sum tunc Deum, & dixi illi: Mi Deus, & mi Domine, suscipe ex manu famulæ tuæ dona, quæ tu ipse mihi misisti per hunc Sanctum Patriarcham: quidquid enim sum ac habeo, tuum est, & omnia tua esse volo. Suscepit Deus ex mea manu munus amabilissimè, dixitque mihi, se illud quàm libentissimè acceptare: & videbatur olfacere eos flores, seq̄ue illis oblectare. Deinde mihi restituit dona dicendo, ut ea servarem intra memet ipsam.

Abducta inde fui, subitoque ij Sancti & Angeli permixti processerunt bini, ducentes me in medio, quæ portabam gladium ac fasciculum florum in micis manibus, & postremus omnium ibat Sanctus Patriarcha. Hoc ordine progrediebantur, quasi descendentes ex cælo ad aërem, & duxerunt me ad eas regiones, in quibus nunc geruntur bella, in Germania & Belgio. Pertransivimus illas Provincias, ubi obvios habuimus multos diabolos illic degentes. Dum isti conspexerunt gloriosum S. Dominicum, ejusdemque socios, & me, quæ ferebam gladium, cum fasciculo florum, ceperunt timere, & abdidit se velut sub terram, fugientes tanquam terrestri, & vociferantes, dicendo: Quid videmus? Ita disparuerunt. Postquam Sanctus Patriarcha, & totus ipsius sacer comitatus siniverunt hanc quasi deambulationem, per omnes Germaniæ & Belgij ditiones, indeque expulerunt demones, reversi sunt eodem ordine ad cælum, quo descenderant, ducentes me rursus ad conspectum Divinæ Majestatis, ubi illam omnes, prosternendo nos, adoravimus, & fuimus benevolentissimè ab hoc magno Deo suscepti, qui nobis dedit suam sanctissimam benedictionem. Hic mihi Deus manifestavit symbola gladij, & fasciculi florum, dicendo mihi: Ille gladius, Anima, quem tibi misi, est figura martyrii, quod tot annis es perpessa, tolerando gravissimos dolores, molestias, & afflictiones in tuo corpore. Hic fasciculus florum significat, tibi ex ijs texti coronam tui martyrii. Demones autem exhorrescunt, vehementerque timent afflictiones, pro Ecclesia, & pro hæreticorum destructione, toleraras, quemadmodum tu mihi illas obtulisti. Conserva spiritualiter in te hæc dona; age gratias illi, qui tibi ea contulit, pro omnibus ejusdem misericordijs. Ego tibi denuò obtuli, quod erat penitus ipsius, videlicet universa tam longo tempore à me tolerata. Postquam sanctissimam ejusdem accepi benedictionem, gloriosus S. Dominicus, cum comitatu Sanctorum, me duxit ad meum angulum, unde me voluit ducere ad suum Conventum S. Pauli, ut hoc die, ipsius festo, lucrarer Indulgentias. Verùm Deus illi dixit, non expedire, eò quòd natura meà esset valde viribus exhausta; sufficere, quod actum fuerat. Sic mihi Sanctus valedixit: ego rursus aliquandiu mansi mihi crepta, donec ad me redirem. Deus sit propter opera sua benedictus. Amen.

Multa alia mira supersunt, enarranta de gloriosissimo hoc Patriarcha, quæ suis locis referuntur. Ad præsens propositum, judicavi hæc pauca sufficere. Transeamus nunc ad altam Patriarcham aequè admirabilem, ac præcedentem.

CAPUT XXX.

Eximiae prærogativæ Seraphici Patriarchæ Sancti Francisci Assisiani, quas cognovit, & gratiæ, quas hæc Virgo ab eodem obtinuit.



In charta, quæ conscripta fuit secundè Augusti, anno sexcentesimo vigesimo quarto, refert, quod illi tum evenit, hisce verbis.

Præterlapsis annis Deus me dignatus est per meos Dominos Angelos ducere ad Conventum gloriosi S. Francisci, qui est in Italia, die Indulgentiarum Portuiculæ.

Hoc anno mihi eodem die dixerunt, se justos esse idem facere; ducendam me tamen in spiritu, ne corpus tantopere infirmum & contractum aliquid pateretur incommodi. Quamvis autem Deus possit ab hoc incommodo præservare, non vult Eiusdem Majestas semper cursum suspendere causarum naturalium, atque Angeli se accommodant communi loquendi modo. Ego ex propensione, quæ feror erga consuetam exercitij virtutum viam, non verò ad res insolitas, vehementer sum reluctata, & rogavi illos, ut me relinquerent in meo angulo, intermissâ prædictâ gratiâ. Tum mihi comparuerunt tres quatuorve demones, qui dixerunt: Etiam nos te illuc sequemur, cum & nobis sit administranda justitia. Verùm movente se uno ex quinque Angelis, demones aufugerunt. Angeli denuò aliquoties institerunt, ut pergerem, & ego totidem vicibus eodem modo ipsis restiti, quoad mihi tandem dixerunt: Cùm Deus sic fieri velit, cur tu difficilem te exhibes? Quod vult Deus, tum respondit, necesse est facere: nihil enim aliud volo, quam ut in omnibus fiat sanctissima ipsius voluntas. Eodem momento vidi spiritualissimè Beatissimam Trinitatem, extraordinariâ, & summâ conspicuam majestate, atque deprehendi me in loco, ubi manebat defunctum corpus Sancti Francisci, quod me in summam rapuit admirationem, maximoque affectu solatio. Sic autem fuit constitutum.

Locus erat quædam Capella, seu crypta exigua, ubi fuerunt aliquot gradus, & super hos suppedaneum, in quo sacrum exanime corpus stabat erectum, ita ut institeret toti plantæ unius pedis, alterius verò quasi extremitatibus digitorum: manus habebat ab invicem se junctas, palmis antroctum obversis, in quibus, & pedibus gerebat sacra vulnera, etiâ in latere, ubi vestis erat aperta, quæ erat aliquantum brevis, non pertingens ultra talos. Totum sacrum corpus erat decenter compositum, admirandam præ se ferens venerabilitatem, & modestiam. Advenerunt tunc temporis complures Religiosi ex ejusdem Ordine etiamnum viventes, quos comita-

Vita Mar. de Escob, Pars II.

bantur Angeli: omnes portabant in manibus cereos, & erant ex ijs, qui hinc minus æstimantur, obeuntque officia humilia, quales sunt cocci, hortulani, & alij ejusmodi, quod videbantur indicare habitus angusti, & forma sacri amictus linei, quo erant ornati. Capucia fuerunt differentia, quædam acuminata, alia rotunda. Hi omnes, postquam pervenerunt ad illam sacram cryptam, se reverentissimè prostraverunt, iuòque ordine accesserunt ad osculum suppedanei, cui sanctum corpus insisteret: quo factò sunt gressi, comitantibus ipsos iisdem Angelis.

Deinde sacrum illud exanime corpus, quasi à Divino Spiritu occupatum, cæpit tam grande & copiosum lumen emittere, ut replendo eam cryptam, seu Capellam splendoribus, sese aspectui meo subduxerit, neque amplius à me potuerit videri. Atque tunc mihi dixit Dominus: Quid aspicias, Anima? Nõne ingens cepisti, ex ijs quæ vidisti, solatium? Ingens profus, respondi. Et Dominus: Concedo, inquit, tibi Indulgentiam plenariam tuarum exiguarum culparum: esto bono animo, ex enim, quæ oriuntur ex natura, inter martyriorum tuorum dolores, abolentur. Confero tibi præterea novas gratias ac dona, tendentia ad majus bonum, & emolumentum tuæ animæ. Et hoc dicendo me signavit cruce in capite. Tum sui arcèssimè unita Divinæ Majestati, ubi meam animam vidi, acsi esset trina: & cùm id miraret, eò quòd ipsam primâ vice taliter viderem, dixit Dominus: Omnes animas condidi ad imaginem & similitudinem meam: tuæ tamen istam nunc præsto gratiam, quòd cuilibet trium ipsius potentiarum specialia contulerim dona & gratias. Ita illud mysterium fuit finitum. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

Quodam die Sabbathi, in Januario anni sequentis millesimi sexcentissimi viginti quinti, illam Sancti ipsius Angeli, cum alijs, quæ eam comitabantur, iterum ad eundem locum duxerunt: ubi addit quasdam circumstantias prædictis, & alia, quæ evenerunt, hoc modo.

Post dolores & afflictiones, atque gratias, quas mihi Deus in ijs contulit, sicut nuper scripsi, die Sabbathi, undecimâ hu-

Q2

jus,

jus, ad me venerunt mei Domini Angeli,
 dicentes: Soror, es afflicta, volumus te a-
 liquò ducere, ubi respices. Ego me hac vice
 excusabam, quòd me sentirem vehe-
 menter morbo aggravatam, quia mihi vi-
 debar non posse ire. Verùm illi sunt ex-
 cuti, quod ipsis injunctum fuerat à Deò,
 qui universa disponit. Erat nox, & comitati
 me sunt omnes mei Domini, atq; alij An-
 geli, qui nobis prælucebant grandioribus
 cereis. Lux ista fuit pulcherrima, & quis-
 que cereus videbatur esse Sol. Ducta sum
 per quosdam campos & fluvijs, donec per-
 venitimus in Italiam, ad Conventum, in
 quo est corpus S. Francisci. Crypta illa,
 seu Capella, ut aliàs dixi, non est magna.
 Quod illic videtur, est ex maximè miris,
 quæ in mundo reperiuntur, & ad summam
 excitat devotionem, Sanctum corpus in-
 sistit pedibus, super quoddam suppedane-
 um, oculis ad cælum elevatis. Reliqua di-
 xi alibi. Fui velut attonita, videns tam pro-
 digiosum miraculum, atque dum conside-
 rarem ea vulnera, dixi uni ex Sanctis An-
 gelis: Utinam aliquis haberet corollam
 precatoriam, quæ manet domi, ut illam
 applicarem vulneribus hujus sancti corpo-
 ris! Bene est, dixit Sanctus Angelus, noli
 esse sollicita. Intuita sum ipsum, & tene-
 bat in manu meam corollam, quâ aliàs vul-
 nera attigeram Redemptoris nostri JESU
 Christi, dixi que illi: Ah, Domine Angele,
 non est, quam ego volo: attingit enim vul-
 nera mei Domini, & non videtur esse de-
 cens, ut eadem nunc attingantur vulnera
 Sancti. Bene dicis, respondit Angelus. Ap-
 pexi illum nudò, & vidi, quòd haberet
 album facculum, in quo ego servabam quas-
 dam corollas, atque tum mihi dixit: Acci-
 pe istas, & applica. Ita feci, & non satia-
 bar aspectu illius sacri corporis. Dum his
 essem intenta, Sancti Angeli mihi dixerunt:
 Eja Soror, jam est tempus, ut revertamur.
 Eamus igitur, mei Domini Angeli, respon-
 di; permittite me tamen priùs orare, quod
 hæcenus non feci. Domi, aiebant ipsi, or-
 rabis. Subitò lucidissima nubecula obtexit
 corpus Sancti, quæ illud aspectui meo eri-
 puit. Post hoc fui ducta ad meum angu-
 lum. Habeo quandam corollam, quâ dic-

bus Sabbathinis recitatâ, obtinentur in-
 dulgentiæ Portiunculæ, quod mihi vide-
 tur dicere voluisse Sanctus Angelus, idcirco
 illam orando percurri, quando sum rever-
 domum. Glorificetur DEUS in Sanctis
 suis. Amen.

*Hæc duabus istis vicibus Virgo vidit, quæ
 concernunt privilegia corporis, hujus Seraphi-
 ci Patriarchæ. Absque comparatione antea
 majora cognovit, de excellentia beata ipsius a-
 nima. Id illa sic refert in charta, scripta in O-
 ctobri ejusdem anni sexcentissimi viginti
 quinti.*

Feriâ quintâ, secundâ Octobris, vidit
 gloriosum Sanctum Franciscum: licet enim
 id ob consuetos meos timores refuge-
 rem, conando me abstrahere, compulsi
 fui à Deo, sicut aliàs, ut attendere me
 mihi manifestabat. Sanctus mihi amantissi-
 mè dixit: Quare mihi non vis loqui? ego
 sum Franciscus, vide has manus & pedes:
 statimque mihi monstravit etiam latus, ju-
 bebatur enim in ea parte vestem apertam.
 Dixit mihi, cur in ipsius domo, non pete-
 rem elemosinam, multumque institit, ut
 tanquam mendica, peterem fructum pan-
 nis, & scutellam ejus jusculi, quod dante-
 let pauperibus. Dum ego reluctarer, di-
 cendo, me nihil unquam ab ullo petere,
 Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, qui ad-
 erarum Sancto Patriarcha, me jussit ob-
 temperare Sancto, & facere, quod dice-
 bat. Deinde gloriosus Sanctus Franciscus
 dixit, ut in ipsius festo adessem convivium,
 quod Deus esset instructurus omnibus Pa-
 triarchis Religionum, & Sanctis, qui ex ip-
 sis sunt canonizati, ubi essent ministraturi,
 ipse, & Sanctus Bonaventura, atque San-
 ctus Ludovicus Rex Galliz, & Sanctus
 Frater Juniperus. Acceptavi invitationem,
 & rogavi illum, ut mihi dignaretur in-
 gredere, quòd mecum adducerem alios, desi-
 gnando meos Confessarios, & Maritimos,
 quæ erat una inter meas socias, ac vitam
 Monialem, magnam Dei servam, amantem
 meam. Sanctus libentissimè huic prelo-
 præbuit assensum, dixitque mihi, ut fecerim
 pergerem: ostensurum enim se mihi hunc
 montis, quo ipse vivens se frequenter be-
 litus erat recipere ad orandum. Nobis

ire, & rogavi illum, nè mihi id vellet præcipere, quod fecit.

Advenit postea ejusdem festum, quod incidit in diem Sabbathi, & cum me Sanctus invitaret ad convivium, sicut dixerat, isti mei Domini me duxerunt ad cœlestē Jerosolymam. Hic vidi gloriosum Sanctū Franciscum procedentem à throno ipsius met Dei, tam formosum & resplendentem, ut videretur esse incarnatus Seraphinus. Vehementer pulcherrimo curru, & plenus gloriā, brachijs extensis, comitante ipsum infinitā multitudine Angelorum, & beatarum Animarum, ad eō sonorē ac divinē concinentium, ut genuinē repræsentarent gaudia cœlestia. Circumviverunt cœlum, quasi procedentes ab Oriente, & profecturi usque ad Occidentem. Ego eram velut absorpta ac attonita, quod viderem tam magnam gloriā, & postquam ita fui consopita somno quodam quasi naturali, vidi denuō in eodem cœlo, gloriosum Sanctum Franciscum in suo habitu, flexis genibus rogantem omnes Patriarchas Ordinum Religiosorum, & ipsorum Sanctos canonicatos, ut venirent ad convivium. Vidi quoque progredientes omnes Patriarchas Religionum binos, inter quos notavi, quod irent associati S. Benedictus, & S. Bernardus; S. Dominicus, & S. Ignatius de Loyola, ut videantur speciali sibi esse amore juncti in cœlo. Veniebat ibi etiam S. Teresa de Jesu cum alio, quem non novi. Atque in hunc modum procedebant reliqui Patriarchæ, & cum ipsis alij in album Sanctorum à militante Ecclesia relati, ex illorum Religionibus.

Angeli celerimè instruxerunt mensas, elegantissimis stratas mappis, omnisque earundem apparatus erat supra modum pulcher & pretiosus. Sancti assederunt illi mensæ, in cujus capite accubebat Deus Triunus. Non vidi tunc Majestatem Christi Domini nostri. Cœperunt adferri ferula cibi cujusdam candidissimi, & quamvis viderim, nihil minus esse quàm butyrum, apparebat tamen in patinis butyrum albisimum & recentissimum, atque conspersum pulveribus, qui videbantur esse aurea granula. Ministrabant ij quatuor, de

quibus mihi Sanctus Patriarcha dixerat, & acsi convivium perageretur in terra, vestis que essent impedimento, in obeundo velociter ministerio mensæ, gloriosus Sanctus Franciscus habebat reflexas habitus mamicas. In uno latere mensæ erant complures Angeli, qui distruebant cibos, ac disponebant, & ordinabant patinas. Convivæ assidentes mensæ manducabant, monstrando indicia ingentis gaudij, & gratitudinis, attollendo oculos ad Deum, gratiasque ipsi agendo, velut in significationem grati animi, ob quodpiam beneficium. Ego accubebam quidem mensæ, sed valde sollicita ac attenta, ut viderem, an aliquid daretur meis Confessarijs, & meæ sociæ, atq; Moniali amicæ (videbam enim hinc meos Confessarios, quanquam aliquantum remotos, & provolutos in genua; inde verò amicam & sociam) ac adverti illis nihil dari: mihi quoque dabatur valde parum ex eo, quod sumebam. Interea Angeli exhilarabant convivas musicā, & postquam appositi fuerunt cibi, vidi, quod Jesus Christus Dominus noster, qui sedebat in altera parte, è regione capitis mensæ, assurgeret, irētque eō, ubi erant mei Confessarij, quodque ipsis S. Franciscus imposuerit stolas, & Dominus porrexerit quædam velut poma pulcherrima, quod fuit illius ferculum: ac deinde conversus ad feminas, suā singulas signavit cruce in capite. Eram contenta, quod viderem fieri participes convivij: atque interim audiendo illam musicam, & spectando hilaritatem eorum cœlestium convivarum, sum passa profundam ecstasim, ex qua mihi reddita me reperi in meo angulo, cum his meis Dominis Angelis.

Postea iterum vidi Dominum, qui mihi exposuit significationem illius mystici convivij, dicendo, eos cibos esse symbolū specialis cognitionis, quam illi Sancti haberent de gratijs, donis, & prærogativis à se collatis glorioso Sancto Francisco, ex qua ipsis gloria accresceret accidentaliter, Deo autem gratiarum actiones ac laudes. Dixit mihi præterea, Angelos, qui distribuiebant cibos, esse præfides & custodes Religionum; quarum Patriarchæ adfue-

runt coovivio. Interrogavi Ejus Majestatem, quomodo mihi tam modicum obtigerit cibi, qui dispensabatur, & quid mei Confessarij ac sociæ, ex munere, quod ipsis largitus erat, perceperint, quandoquidem id non adverterent. Ad primum respondit, tantum mihi pro statu presenti, & quamdiu dego in vita mortali, sufficere. Ad alterum, quod, sicut infantes, dum aluntur suarum matrum uberibus, quamvis multum boni percipiant, & inde vivant, id tamen non agnoscunt; ita, licet mei

Confessarij & sociæ non cognovissent munus, animabus tamen ipsorum sint impressa dona, per eum cibum significata, quæ illis plurimum prodesse. Deus sit benedictus. Amen.

Fortassis idcirco fuit adhibita mensa cum Patriarchis Religionum, quod reformaverit Ordinem S. Birgittæ, quem, cum optimo fundamento, sperare possumus, Divina favente gratiâ dilatandum per totam Hispaniam ac perverturum ad longius distans Provincias.

CAPUT XXXI.

Admiranda, quæ illi evenerunt cum Seraphico Patre.



Quod sequitur, accidit decimâ septimâ Septembris, anno sexcentesimo vigesimo septimo, & describitur ab ea his verbis.

Feriâ sextâ, die decimâ septimâ hujus, agens cum Deo, vidi gloriosum Patrem Sanctum Franciscum. Erat dies, quo celebratur festum ipsius stigmatum. Habebat Sanctus vestem pauperrimam & angustam, quali utebatur in mundo; erat tamen gloriosus Patriarcha plenus gloriâ, & exhibebat sua vulnera in manibus, & pedibus, ac latere. Salutavit me, & cum sanctissima quadam simplicitate mihi dixit, extendendo brachium: Soror, veni mecum. Ego repugnavi vehementer, dicendo: Sancte Pater, non possum ire, nisi mihi Deus det facultatem, & cunctabar. Dominus visâ meâ renitentia dixit: Anima, bene potes pergere cum Francisco, quod te duces. Quapropter concepi non nihil animi, & Sanctus mihi dixit: Volo te ducere ad altitudinem, quâ non reperitur major in terra, ad quam fui à Deo ductus, dum viverem in carne mortali, & ibi ostendam tibi, quod mihi tum DEUS manifestavit. Nihilominus eram quasi perplexa, cundumne mihi esset cum Sancto. Interea ad me accesserunt mei Domini Angeli, & dixerunt mihi: Veni Anima, nos enim te comitabimur. Sanctus apprehendit meum

brachium, & duxit me ad grandem montem, ubi erant altissimæ arbores, in quibus collocavit super ipsas omnes in aere, ac mihi dixit: huc me Deus elevavit, & ostendit mihi viventem cœlestem gloriam, ac beatitudinem. Aspice Anima. Aspeti, & vidi gloriam Dei, atque Sanctorum ejusdem Majestati assistentium: vidi verò id eodem, quo aliàs frequenter videram. Et quævis fuerint multa ac admirabilia, videbantur mihi ramen, neque aliter se res habet, fuisse à Deo, alijs occasionibus, longè in admirabiliora ostensa.

His visis fui ducta ad meum angulum, venitque Sanctus mecum, ac dixit: Soror, & creatura Dei, verum esse quod existimas, multò majores tibi esse à Deo præstitas gratias, per vitæ tuæ decursum, quàm mihi præstiterit, eo spectato, quod obtinui illâ tantum vice, & in eo evento, quem tibi nunc manifestavi. Novetis nihilominus, cum homines non percipiunt spiritualia, nec ea æstiment, sed hæc solummodo exteriora, quod idcirco Divina Majestas, dum servos suos ad magnâ Ecclesiæ bona conferenda destinat, ipsis conciliet æstimationem, concedatque gratias extraordinarias & exteriores, ut ab hominibus, propter id, quod vident, æstimentur, & magni fiant, atque ita ea suscipiantur, quæ illos docuerint, & ipsis prædicaverint. Unde, quia eram fundaturus tam sanctum

sanctum Ordinem, voluit me Divina Majestas reddere estimabilem; dando mihi extraordinariam & singularem paupertatem, elevando me in aërem, & imprimendo mihi stigmata. Alijs Sanctis alias contulit gratias externas, in hunc finem: omnes tamen gratiæ, quas nobis omnibus est elargitus, adeo ab invicem differentes, edunt in cælo quandam velut musicam suavissimam Divinis auribus, & miram harmoniam, perquam jucundam Beatis in ea cælesti Aula Dei nostri existentibus.

Quando mihi Sanctus Patriarcha jam volebat valedicere, dixi illi: Ergone benedicte Sancte nihil habes, quod mihi dones, priusquam abeas. Non habeo, respondit gratosè Sanctus, sum enim pauper, nonne id vides? Tum se composuit ad orationem abstractissimus, sicut dum hic altissima abripimur contemplatione, elevatis oculis ad cælum. Cæpit subito elevati in aërem, detegendo stigmata pedum; volui accedere ad Sanctum, ut ea oscularer, sed retraxit pedes, ascendendo altius, ita ut illos non potuerim attingere. Eodém momento prosilierunt ex vulneribus sacròrum eorum pedum magna duo effluvia sanguinis, quæ decidentia super meum caput, bene illud madefecerunt, unaque oculos & pectus. Mox Sanctus se tam altè sustulit, ut ipsum ultra non conspexerim. Notabile est, quòd, dum mihi primùm Sanctus loqui voluit, post illum viderim quosdam dæmones, qui eundem, Deo permittente, volebant impedire, nè mecum ageret, ad eò ut, quando illos Sanctus advertit adesse, ediderit gestum, ac si percelleretur. Sed parvus quidam Religiosus ex ipsius Ordine, qui adstabat Sancto Patri, illos est insectus, & abegit.

Postea sequenti feriâ quartâ, vigesimâ secundâ ejusdem mensis, dum orarem, rursus conspexi hunc Sanctum Patriarcham, qui me, Deo disponente, duxit ad quædam loca, in quibus ipse solitus erat orationi vacare, dum viveret. Exhibuit se mihi ibi spectandum abreptum in ecstasim supra arcuatam crucem, quatuor habentem brachia æqualia, quæ videbantur universum completi mundum. Sanctus erat in ea

crucis parte, ubi velut in centro illius brachia jungebantur. Ibi vidi, quæ Sanctus videre consueverat, quando elevabatur in eas ecstasies. Vidi præterea ascendentes ac descendentes per illa quatuor brachia crucis Angelos cælestes, & multas animas, quæ hic in terra nunc existimantur plurimum esse addictæ rebus spiritualibus, quarum aliquas agnovi. Quædam ascendebant per brachia crucis, & quia non procedebant viâ rectâ, ruebant, & non veniebant ad cælum. Nonnulli ideo, quia non erant bono præditi spiritu, erat namq; spiritus ipsorum proprius, eò quòd sequerentur propriam opinionem & judicium; alij, quia spiritus illorum erat spiritus diaboli, a quo illudebantur, aliquantum ascendebant, & subito decidebant. Deinde mihi Sanctus ostendit infernum, dicendo: Vide Anima, quid illic agatur, quidq; ibi toleretur, & quale ij infelices retulerint luctum ex suis peccatis. Post hoc me Sanctus duxit ad cælestem Jerosolimam, ibique stetit Beatissimæ Trinitati, dicendo: Deus & Domine mi, hic tibi sisto hanc tuam creaturam, & rogo te, ut, cum ego illam sanguine meo signaverim, tanquam meam oviculam, mihi ipsam dones pro mea Religione: indigeo enim ipsius operâ, ut in ea plantet suum spiritum, & fervorem orationis. Intentio Sancti erat, ut assumerem ipsius habitum, & fierem Monialis in sancto ejusdem Ordine. Hoc ipso tempore conspexi duos Patriarchas, S. Ignatium de Loyola, & S. Dominicum, qui comparuerant coram Majestate Domini Dei nostri. Non audivi ab ipsis ullum proferri verbum, tantum vidi, quòd adessent silentes. Postulato S. Francisci tum respondit Dominus, dicendo: Ista creatura est lacte Ignatij educata, qui in eam jus habet; etiamque magnum est jus Dominici, atq; si hi duo eo carerent, non desset Benedicto: omnibus verò tribus plus competit juris, ad ipsam petendam, quam Francisco. Seraphicus Pater allegabat quosdam pro se rationes, verum Dominus tulit sententiâ in favorem aliorum, qui tacebant. Ego videbam & audiebam, quòd agebatur, idèoque metuebam ac verecundabar, agnoscens

gnosceas meam vilitatem, adeo ut affligerer, vidererque mihi disumpenda. Vehementer timui, & petivi à Deo lumen, nè paterer illusionem. Tunc mihi Divina Majestas dixit: Anima, quid times? cur affligeris? quis te condemnat? Ego non, neque tui Confessarij. Quare igitur tanto perere metuis? Quid ego scio, mi Domine, respondi, an à meis Confessarijs intelligar, vel an ipsos ego decipiam? Non est cur dubites, dixit Dominus: tu illis candidè, & optando, ut bene procedas, aperis veritatem; atque ipsi te intelligunt, & agunt prudenter, noli timere. Istà communicatione finitâ, me reperi in meo angulo. Deus sit in aeternum benedictus. Amen.

Cum Beati in quovis negotio, quod aggrediuntur, nihil querant aliud, quam quod censeant, cedere posse ad majorem Dei gloriam, quando illis constat, de expressa ipsius voluntate, suavissimè se ejusdem subjiciunt beneplacito, aequè gaudentes, si, quod petebant, non fiat, ac si desiderata obtinissent. Hinc est, quod Seraphicus Patriarcha S. Franciscus faventem sese exhibuerit negotijs hujus Virginis, eorumque curam gesserit, etiam postquam illam Deus Ordini ipsius negavit. Id apparebit ex eventu nunc referendo, qui est mirabilis, mereturque, ob multas circumstantias omnem attentionem. Accidit anno sexcentesimo vigesimo nono, quartâ Octobris, & fusiùs alijs ab ipsa describitur hunc in modum.

Die gloriosi S. Francisci, dum, in mea oratione cum Deo agens, penitus nihil cogitare de misericordia, quam mihi Divina Majestas erat exhibitura, conspexi coram me Sanctum Patriarcham sua ostendentem vulnera in manibus, pedibus, & latere, qui me vultu hilari, & perquâ amantè Dei nomine salutans, postea addidit: Anima, venio ad te nomine Dei, oportet enim te ad caelestem mecum proficisci Jerosolymam, ita namque jubet Deus. Ego exhibui Sancto honorem, verùm refugiens hunc abitum respondi: Benedicte Sancte, non possum ullatenus facere, quod mihi dicis; idque ideo, quod ipsum attentè consideraverim, viderimque in tali specie, ut revera appareret esse Religiosus vivens, & homo, quasi degeret in hac vita mortali.

Quamvis autem mentem converterent ad cognitionem sublimissimum ipsius virtutum, & Angelici spiritus, atque extrinsecus gloriæ, quam sancta ejusdem anima possidebat; mea nihilominus naturalis verecundia, etiam in hujusmodi occasionibus suas agere solet partes, ut tota reddat velut perplexa & pudibunda. Sanctus agnosceas meam difficultatem, quam demonstrebam, me rursus est aggressus, dicens: Creatura Dei, considera me attentè, & deprehendes me esse purum spiritum: haec enim exteriora, quæ vides, non sunt alia, quam speciem apparens mei corporis, & refutit. Videbar mihi his verbis aliquando magis acquiescere, in mea perplexitate, nihilominus aspiciebam quaerentem, quali quaereret aliquem mihi familiaris notum. Interea conspexi duos, qui fuerant mei Confessarij, in propria ipsorum veste, quod mihi magno fuit solatio. Intuiti me sunt amantissimè, & velut solido mihi dixerunt: Anima, quid tibi obtempera divino mandato, & perge cum hoc Sancto Patriarcha, atque multo his Angelis, qui cum illo advenerunt: non enim, & illi Sancti Angeli, qui tibi comitatu assistunt, etiam te comitabimur.

Ita me submissi, & præbito assensu, ducta ab illo glorioso Patriarcha, cum comitatu prædictorum duorum meorum Confessariorum, qui mihi proximi ibant, & illius multitudinis Angelorum, ad caelestem Jerosolymam, ubi caelis apertis & comparentibus multis Sanctis ex Ordine Seraphici Patris, fuit ab eisdem summa cum reverentia & amore exceptus. Hoc modo sumus ingressi illam supernam civitatem, ubi Sanctus meam animam præstavit Sanctissimæ Trinitati, quem vidi collocari in quadam immensa altitudine, & mille solibus splendidiore, adeo ut, licet cæteri ex ipsius Ordine Sancti lingulis cæterent instar Solis, lux tamen & splendor Patriarchæ tantus fuerit, ut tanquam procedens à Superiore, videretur aliquando obtegere splendores sanctorum ipsius filiorum. Dum contemplaret hujus Sancti Patris gloriam, summo opere stupescens, dicebamque illi, quod saepe iterabam.

Benedicte Sancte, profecto jure meritissimo appellaris Seraphicus, cum tam insignem possideas gloriam. Tum Sanctus me prostravit coram Divino conspectu, & Dominus me suscepit valde amanter atque benignè, dicendo: Bene veneris Anima, bene huc veneris. Nonne tibi multum placuit gloria, quam possidet meus servus Franciscus: nonne te magno affecit solatio? Rapuit me certè in admirationem, aiebam ego: sis in æternum benedictus; atque hoc dicendo sui astè unita eidem magno Deo, ex qua unione me Divina Majestas duxit, ac sustulit ad immensam amplitudinem sui Divini Esse, totam ab ipsomet Deo, & divina quadam caligine circumdatam. Nam, dum considerarem & cognoscerem infinitas perfectiones mei Dei, videbar mihi quodammodo nihil eorum videre, quæ in eâ immensitate sunt visibilia & cognoscibilia, quam comprehendere, seu complecti non poterat mea exigua & limitata capacitas.

Dum ita essem constituta, & nescirem, quomodo foret possibile per ullam figuram, seu similitudinem declarare, aut exponere, cujusmodi eslet, qualiterque se haberet ea magnificentia, & illa altissima mysteria, dixi Divinæ Majestati: Mi Deus, & mi Domine, per remetipsum te ostendit, ostende te manifestius & clariùs, ut de tua magnitudine aliquid dicere possim. Quando id dicebam, Dominus Majestatis patefecit quoddam velut fulgur suæ gloriæ: & eo momento vidi tales Divinæ Essentia perfectiones, ut, quia mea anima, tanquam unita naturæ, non valebat tantam sustinere lucem, tota contremuerim, & vehementer fuerim lamentata. Nihilominus ex impetuoso affectu videndi mei Dei, ut quidpiam possem explicare, atque ipse amaretur, & honoraretur ab omnibus, iterum illi dixi: Mi Deus, & mi Domine, ostende te mihi denuò, ac diutiùs, & apertius. Anima, dixit tum Dominus, nemo me videre potest, & vivere. Rursus tamen ob illud vehementissimum desiderium institi, dicendo: Mi Domine, quantum viscor disumpatur, noli id curare. Dominus Majestatis videns meum affectum, immer-

sit me intra immensum mare sui Divini Esse, ubi ita fui absorpta & perdita, ut non reperirem, ubi figerem pedem, tantumque dicerem: Amplius est quam hoc, amplius est, & multò amplius. Dum sic velut submergerer, debilis natura cœpit magis ac magis timere, nè deficeret: partem autem superiorem, quæ erat submersa, & neque regredi poterat, eò quòd hæretet in profundo, neque progredi, quia profunditas augebatur, Deus ibi sustentabat. Tum vidi clarissimam lucem immensi & divini splendoris, quam mea, ignorans quomodo rem tam admirabilem appellaret, vocavit lucem inaccessibilem. Eadem Divina lux abripuit meam animam, uniendo ipsam sibi, tantaq; vi in se transformando, ut me in ea, & in meo Deo perdidit, nihil de me sciens, ac magnâ fuerim fruita quiete.

His distinebar, quando, Deo disponente, vidi venientem gloriosum S. Franciscum, & specialiter à Deo illuminata intellexi, ipsum adesse, ut me reduceret ad meum angellum, unde me abduxerat: quia verò ego felicissimè adhærebam meo Deo, ut mihi videret non posse ab ipso separari, incepti celeriter dicere: Cur venis benedicte Sancte, quid vis, quare huc venis? revertere ad tuum locum gloriose Sancte, quem optimum obrines, & relinque me in meo Deo; revertere benedicte Sancte. Verùm magnus Patriarcha, tamen hos meæ animæ affectus agnosceret, magis nihilominus expendebat meam necessitatem, & nè deficeret natura, quam meum fervorem. Idcirco dissimulando à se audiri, quæ dicebam, & nihil mihi respondendo, contulit se ad Majestatem Domini Dei nostri, & prostratus in Divino ejusdem conspectu, dixit: Domine Majestatis, liceat mihi per Te, ut ipsam reducam, unde à me fuit abducta, nè natura ob adeò sublimem ascensum deficiat, & propter intimam unionem atque transformationem in Te. Dominus audivit, quod dicebatur à Sancto, & respondit illi: Bene, Francisce, bene dicis: sed illa creatura taliter non facillè revertetur ad suum locum. Et conversus ad me, dixit mihi benignissimè atque amantissimè: Anima, visne reverti

R

verti

Vita Mar. de Escob. Pars II.

verti ad tuum angellum, quò abducenda es ab hoc Sancto, qui te isthuc adduxit? Ego præ illa aviditate, & ingenti affectu, quo tenebar, ut permanerem apud meum Dominum, & nunquam ab eo recederem, quanquam prompta obsequi Divinæ ipsius voluntati, dixi: Nequaquam, Domine, nequaquam; non oportet me unquam à te separari, neque hac de re loquendum est. Dum magnus iste Deus videret affectum, quem ipsemet in me excitabat, eodem amore, & affabilitate, quâ prius, rursus institit: Si autem ego ipse tecum ivero, teque duxero, & ad finem usque tecum mansero, nonne voles reverti? Videbar quidem mihi paratissima ad exequendam voluntatem tam benigni Domini, atque tamen me non potui continere, quin illi responderem, dicendo: Mi Deus, & mi Domine, tu per bonitatem tuam, & misericordiam, semper tuis ades creaturis, & mihi, exhibendo mihi tantas gratias, prout scis; idemque etiam nunc spero à tua misericordia: verum optimè mihi est in Te, & in hoc loco, quia in exilio vehementer metuo, nè à me offendaris: potius namque vellem perdere cœlestem gloriam, quàm Te vel in minimo offendere. Bene est, Anima, dixit Dominus: attamen securam te reddo, quòd tibi nunc specialiter sim adfuturus, ac adstirurus. Fiat itaque, mi Deus, respondi tum ego, & sis benedictus.

Postquam hoc dixi, Dominus Majestatis, cooperiendo se quodam veluti tentorio gloriæ & splendorum, comitantibus ipsum innumeris Angelis, & Sancto Francisco, duobusque meis Confessarijs, me tulit in semetipso, & posuit in meo angello, ita ut propè non adverterem descensum, donec ad me reversa ex ea ecclasi, me ibi reperi. Reddita mihi vidi, abeunte Domino, illic remansisse gloriosum Sanctum Franciscum, cum illis duobus Sanctis meis Confessarijs. Cum autem aspicerem Sanctum Patriarcham, vidi prodeuntes ex ipsius manibus, pedibus, & latere quosdam radios splendoris, velut aurei ignis, qui dum quasi indicarent, quòd tenderent ad meos pedes, manus, & latus, cœpi timere ac recedere, optando, nè cuspides illorum radio-

rum ad me pertingerent. Sic aliquandiu reluctabar, & postea vidi, quòd mirabilis quædam manus (quæ mihi videbatur esse manus Jesu Christi Domini nostri, quam id à me adverti non ostenderim) apprehensis eorum radiorum cuspidibus, eadem attigerit quinque prædictas partes mei corporis, & dicebatur mihi: Hæc ratione accipe mysticè virtutem meæ Passionis, sicut illam communicavi Francisco. Simul ac Dominus hanc misericordiam præstitit meæ animæ, subduxit se meo aspectui, & non vidi amplius radios Sancti, licet viderim sacra ipsius vulnera.

S. Patriarcha mihi significavit, se velle abire, cœpitque mihi valedicere, & ego tum illi dixi: Benedicte Sancte, fac mihi gratiâ, postquam tot mihi modis es gratificatus, ut nò discedas, quin me consolers, dando mihi aliquid sanctæ tuæ manu. Sit ita, dicit Sanctus: & cum aspiceret Angelos, ibi presentes, qui illù intelligebant, in momentis, & miro modo colliegerunt totum devotionis apparatus, quem habebam, ut corollas precatórias, cruces, numismata, Agnus Dei, imagines, reliquiaria, & picturas, itatimque accessit Sanctus, & omnia, ac singula seorsim mysticè attiguit suis manibus, atque vulneribus, & impertiendo illis suam sanctam benedictionem dixit, se Dei nomine, & lex Divino ipsius mandato cultoret, qui aliquid ex prædictis habuerit, ac devotè gestaverit, omnia concedere privilegia, quæ Deus alijs occasionibus concesserat hujusmodi rebus ad me allatis, meisque proprijs, & quidem cum magno auctario, ac specialibus favoribus. Hoc peracto Sanctus mihi admodum benigne & affabiliter valedixit, ac abivit. Remanserunt ibi duo illi Sancti, quos dixi fuisse meos Confessarios, colloquentes, & conferentes de statu meæ animæ; de vjs, quibus me Deus diversis temporibus duxerit de ijs quæ fueram passa: deque misericordijs & gratijs mihi à Divina Majestate præbitis, & quomodo ego illis bene fuerim cultis, atque ista omnia admirantes, præbitis sancti gaudij, conversi ad me, dixerunt mihi: Vale Anima, & Deus tuus sit recurrens, cui magnas redde gratias, pro misericordijs

dijs tibi exhibitis. Postquam ipsi hæc verba dixerunt, ego sum passa ecstasim, & perdididi eos ex oculis: atque deinde ad me reversa, non cessabam agere Deo gratias, pro operibus ipsius & misericordijs. Sit in æternum benedictus. Amen.

In revelatione hic relata, de modo, quo famula Dei Domina Marina de Escobar vidit corpus Seraphici Patris Sancti Francisci, est animadvertendū,

CAPUT XXXII.

Gratiæ, quas est consecuta à magno Ecclesiæ

Doctore, Sancto Bonaventura.



Verunt quoque singulares gratie, quas imitando suum gloriosum Patriarcham S. Franciscum, beatus ejusdem filius, magnus Doctor Sanctus Bonaventura, fortunata huic Virgini præstitit. Ex quibus hoc loco quasdam colligemus, juxta ordinem annorum, quibus evenerunt. Inter alia igitur, quæ refert mense Julio, anno sexcentesimo vigesimo quinto, ita ait.

Die S. Bonaventuræ, dum in meis convectis exercitijs cum Deo versarer, vilitavit me Sanctus Doctor, quem comitabantur Sancti ex sacro ipsius Ordine. Hi erant nudipedes, qui in sua Religione despiciabilia obiverunt officia, atque humillimi: omnes gerebant suum sacrum amictum lineum, & Sanctus Doctor ipsos sequebatur indutus habitu Sacerdotali, ferens in manu calicem coopertum. Dum ingrederetur meum cubiculum, prodijt illi obviam Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, qui apud me erat, cum alijs duobus Sanctis sui Ordinis. Sanctus Pater Ludovicus accessit ad latus Sancti Bonaventuræ, & uterque veniebat ad meum pauperem lectum, in quo tot annis ægrotâ Jecumbo. In spatio intermedio se ingerebat quoddam obstaculum inter pedes Sancti, & non sinebat ipsum mihi appropinquare. Tunc Sanctus Pater Ludovicus, quasi dissimulanter, & cum magna gravitate, removit pede illud impedimentum: erat autem diabolus, qui

Vita Mar. de Escob. Pars II.

eam esse conformem alijs duabus, quæ habentur in primo tomo. Atque judicio Reverendissimi Patris Generalis Fratris Francisci Mariæ Rini de Policio, ac aliorum gravissimorum virorum ejusdem Ordinis, est conformissima veritati: Si id ipsum attestatur scripto, quod in nostris est manibus.



ibi repebat in specie bufonis, unde subito descendit in infernum, ac disparuit. Sanctus Doctor accessit, & collocavit calicem in mystico altari, quod mei Domini Angeli præparaverant, exemptamque inde hostiam mihi portexit. Ista communio fuit, meo judicio, tantum spiritualis. Dedit mihi suam benedictionem, & valedicens abivit, sicut venerat. Deus sit benedictus. Amen.

In alia charta, quæ ex numero appposito, spectare videtur ad annum sexcentisimum vigesimum sextum, describit gratiam, quam ab hoc Doctore Seraphico obtinuit, his verbis.

Agebam cum Deo, in summo meorum convetorum affectuum fervore, & occupavit me devotio, ut recitarem vocaliter quandam orationem, pro communibus populi Christiani necessitatibus, atque Canticum *Magnificat*, ad Beatissimam Virginem, ut pro me intercederet. Dum ergo inciperem orare, vidi quasi eminus ad me venientem gloriosum Sanctum Bonaventuram. Ego (quod communiter in hujusmodi occasionibus facio, dum permittor) me sum conata abstrahere ab ea visione, & continuavi meas preces, quam devotissime poteram, petendo simul à Divina Majestate lumen, pro assequendis in rebus omnibus ipsius veritatibus, ac divini voluntate, si illi placeret, ut eâ vice animum applicarem illi mysterio, quod mihi ostendebatur. Interea ad me venit Sanctus, ubi eram, & salutavit me benevolentissime, dicen-

R 2

dicen-

dicendo: Dominus sit tecum, Anima, noli timere. Ego sum Bonaventura (*Felicitas*) & revera sum magnâ præditus felicitate, eò quòd semper fruor Deo, & assumpserim hunc sacrum habitum S. Francisci. Veni ad te nomine Dei, rogaturus, ut speciali affectu feraris erga meam sanctam Religionem, serioque illam Deo commendes. Ago tibi magnas gratias, quòd bene fueris addicta nostris humilibus Fratribus, animando ipsos ad virtutem, ac devotionem. Durante isto colloquio cum Sancto, intravit meus Confessarius, excepturus meam confessionem, & dicturus mihi Missam. Tunc Sanctus mihi: Anima, inquit, confer cum tuo Confessario tua, quamdiu aliàs confvevisti, libenter enim te expectabo. Accessit meus Confessarius, sum confessa, atque diu cum eo sum locuta de occurrentibus materijs spiritualibus, nihil ipsi tum dicendo de Sancto, qui aderat. Post hoc meus Confessarius abivit ad Oratorium, ut celebraret Missam.

Deinde me Sanctus Bonaventura rursus est allocutus, dicendo: Anima, & creatura Dei, dic mihi, quænam sit causa tuorum timorum? quis te condemnat? quare est tibi ipsi contraria? Habes cor sanum & purum, ac desideras, ut omnia peragas secundum Divinas veritates, absque ullius alterius rei mixtura: quapropter quid times, quandoquidem tibi Deus tam magnas contulit gratias? Hoc dicebat Sanctus, & ego illum audiebam cum magna attentione, quando derepente prodivit aliunde quidam diabolus more suo gesticulando, technasque struendo, volens mihi ita celeriter persuadere (licet ego illum subito agnoverim) quòd ipse esset, & non alius, quem esse existimarem Sanctum Bonaventuram. Sed continuò adfuit Angelus Dei, quo illum terrefaciente, & velut simulante, quòd ipsum esset insecutus, velocissimè aufugit diabolus vociferando, ac disparuit. Ego tum conversa ad Angelum, amanter quodammodo conquerens, ei dixi: Domine Angele, citius te oportuisset fecisse, quod nunc facis. Bene est, respondit Angelus, satis tempestivè feci,

quod erat faciendum. Post hoc mihi dixit S. Doctor: Certè non miror, quòd diabolus te velit turbare, & reddere inquietam, sicut ut vidisti: quia tui timores sunt adeò exorbitantes, ut illi præbeatur aliqua occasio. Ista gloriosi Sancti verba audivi aliquantùm erubescendo, & respondi: Benedicte Sancte, Deus bene novit, non esse intentionem meam, aut desiderium, ut excedam in timore, sed me ideo metuere, quòd dum dego in vita mortali, sim in eo statum, ut possim decipi, ac decipere me ipsam, prout propter peccata nostra videmus accidere quibusdam alijs. Non decipietur, dixit Sanctus, qui verè noluerit decipi, & ex toto corde optat securè procedere. Ego sum Doctor Ecclesie, & modò non possum errare, crede mihi, quod tibi dico. Bene dicis, gloriose Sancte, reposui: rerum quid ego scio, an noverim bene, & sicut oportet, exponere mea spiritualia, quæ intra me peraguntur, meis Confessorijs; an verò quidpiam admisceatur occulti desiderij, rerum extraordinariorum, & gratiarum Divinarum, vel aliorum, quæ hujus sunt generis? Observa Anima, respondit Sanctus: Scias velim, te in statu quem à Deo provecta es, & propter ingratum tuorum affectuum, ac desideriorum profunditatem, etiam si aliquid tale faceres, uti dicis, atque talia desiderares, nullatenus tamen culpabilem futuram: siquidem tua voluntas in hujusmodi rebus est conformis Divinæ. Sicut, si aliquis Rex haberet servum sibi valde familiarem, cum quo ageret, tanquam cum intimo amico, non foret vitium, aut factum reprehensibile, si hujusmodi servus christianè ac virtuosè optaret, ut sibi Rex suus Dominus præberet aliquam gratiam, ad majus domus sue, & facultatum incrementum: ita etiam, quemadmodum tibi jam dixi, illi animæ, quam Deus per suam misericordiam provehit ad eum statum, ad quem te proventus nihil simile præjudicat, aut obest. Atque defectus, sese in tali anima naturaliter interdum admiscetes, cum aliunde intentione sua habet à Deo corroborata, nihil illi faciunt, seu nocent, imò sæpenumero propter quæ Dei est misericordia, dum sese cogit

gnoscer ac humiliabit, ad insigniores incitabant virtutes.

Auscultabam, plurimum animata, & magno affluens solatio, instructione Sancti Doctoris, cumque jam videretur velle abire, dixi illi humiliter: Glorioso Sancte, non li discedere, quin mihi tuâ benedictâ manu aliquid largiaris. Et Sanctus jucundissimo, quanquam gravissimo, vultu mihi dixit: Ego, Anima, non habeo quod tibi dem: sum enim pauper, & dereliqui omnia, quando assumpsi hunc sanctum habitum. Benedicte Sancte, instabam ego, non peto à te aurum, vel argentum, aut lapides pretiosos, sed aliquid conducens ad profectum meæ animæ. Tum Sanctus Doctor svaviter, & cum cœlesti gratia: videbo, inquit, an quidpiam habeam, quod tibi donem. Et imponens manum velut intra habitum, exemit pulcherrimam ac fulgentem stellam, quæ apparebat instar auri obrizi, & instar svavis ac lucentis ignis, adeo ut, licet illam clausam teneret in manu, per digitos tamen pulcherrimos diffunderet radios; atque accedens ad me: Accipe, dixit, istud cimelium è mea manu; & applicando eandem stellam meo pectori, totam intomisit in meam animam, ut tota mihi videretur luce perfusa, & splendore. Dixit mihi præterea, me ab hoc thesauro denuò corroborandam, & illuminandam. Sic bene mihi precando, & præbendo osculandam suam sanctam manum, discessit, relinquens me magnopere animatam, plenamque solatio in meo Deo, qui ob suas misericordias sit millies benedictus. Amen.

Excellentissimam doctrinam, se dignam, summique momenti, materias spirituales concernentem, nobis in præcedenti scripto exposuit suis sanctis verbis Seraphicus Doctor. Verum longe efficacior est illa, quam suo exemplo exprimit in subsequente. Humilitas namque hujus Venerabilis Sancti, quam in se derivavit ex magno suo Patre S. Francisco, & quâ dubio procul in vita sua mortali rapuit in admirationem Angelos, non potuit deperdi, sed multo evadere pretiosior, & splendidius relucere in beatitudine. Id apparebit ex eventu, quem Virgo describit decimâ quartâ Julij an-

no millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, ubi sic ait.

Die Sancti Bonaventuræ, cum, habitâ facultate Domini Episcopi, diceretur Missa intra meum cubiculum, vidi ab illius initio gloriosum Sanctum, & cum ipso S. Benedictum, Sanctumque Ignatium de Loyola, qui ei aderant, confidentes in quodam velut scamno habente reclinatoriū, quanquam alterius esset materiæ, quam hic scamna esse consueverint. Erat enim varijs pictum coloribus, & cœlestibus coruscans splendoribus. Ego me abstrahebam, nè viderem Sanctos, & conabar diligentissimè attendere Sacrificio Missæ, quod peragebatur. Tum mihi Sanctus Pater Ludovicus de Ponte (qui me persæpe, ut multoties dixi, dignatur invisere ac instruere) innuebat, ut facerem, quod vellet Deus, & aspicerem, atque audirem illos Sanctos. Intuita sum illos, & observavi, à glorioso Sancto Bonaventura, inter eos tres, infimum occupari locum: quia verò maximi facio prærogativas hujus Sancti Doctoris, obstupui, & interrogavi Sanctū Patrem Ludovicum, cur ille Sanctus sederet ultimo loco; cum fuerit tantus Magister, sitque Doctor Ecclesiæ. Pater Ludovicus mihi gravissimè respondit: Hæ sunt dispositiones Divinæ Sapientiæ.

Adfuit tempus consecrationis, & Sancti procubuerunt in genua, inclinantes sua capita quasi ad solum illius pavimenti, in quo erant, & in hoc situ permanserunt usque ad summionem Sacerdotis, ac meam communionem, deinde verò rursum sederunt usque ad finem Missæ. Eâ absolutâ gloriosus Sanctus Bonaventura se ad me convertit, & respondens dubio, quod habueram, mihi dixit: Quamvis fuerim, quæ me dicis, quia me talem Deus effecit absque meo merito, ex sua magna charitate, quid tamen ex me ipso habui, nisi quòd vilis fuerim vermiculus? Protulit & alia hujusmodi, demonstrando profundam humilitatem suæ sanctæ animæ, atque postea subjecit: Hi duo Sancti fuerunt duæ vites, ex quibus prodiverunt, & prodeunt tam copiosi fructus, ac filij, qui plurimum Deo serviunt, & ejusdem Ecclesiæ. Unde propter

pter gratiam, quā illos Deus tantopere exaltavit, merentur tam honoratum locum. Ego fui palmes in vite mei Sancti Patris Francisci, ideòque noli mirari, ab his Sanctis prima occupati loca, & à me postremum. Mea anima cepit ex his verbis ingens exemplum & solatium, considerando amorem, quo Sancti se invicem prosequuntur, & exempla virtutum, quæ nobis præbent, etiam in statu beatitudinis. Benedictus sit DEUS, qui illos tales effecit. Amen.

Anno sexcentesimo vigesimo nono, pariter decimâ quartâ Julij, ipsi Divina Majestas specialissimam contulit gratiam, per hunc Seraphicum Doctorem, quam his verbis recenset.

Decimâ quartâ hujus, in ipsius festo, vidi gloriosum Doctorem S. Bonaventuram, qui mihi dixit: Anima lætissimum tibi ferò nuntium à Deo. Perculit me his verbis, & relicto Sancto, recurri ad Divinam Majestatem viâ ordinariâ, petendo lumen pro agnoscendis ejusdem veritatibus, quæ essent conformes ipsius spiritui. Dùmque me commendarem Deo, cogitavi unâ, quale mihi nuntium Sanctus adferret, & venit mihi in mentem, an non fortasse, ut mihi diceret, advenisse terminum, quo migratura essem ex hoc exilio, id quod magnopere desiderabam, quamvis prompta exequi Divinam voluntatem. Interea ille mihi, Deo disponente, ut attentè auscultarem nuntium, quod mihi à Sancto adferbatur, dixit, fieri mihi à Deo gratiam, ut eligerem quatuordecim personas viventes, quas vellem, & duodecim animas purgatorij: quòdque istis concessurus esset requiem, perducendo ipsas statim ad sui fruitionem; illis verò auxilia efficaciam, ut infallibiliter salventur. Audivi nuntium, quo tantò amplius fui perturbata, quantò magis erat insolitum, & alienum à mea cogitatione. Nihilominus sic consternata, licèt mihi essem præsens, sciremque quid agerem, elegi quatuordecim personas viventes, atque inter animas purgatorij eas, quæ in majori essent constitutæ necessitate, & seriùs essent evasuræ ex illis pœnis, ob defectum iustitiorum.

Postea prosequens meam cum Deo

communicationem, dicebam ipsi: Certe mi Deus, & mi Domine, quamvis per misericordiam & gratiam tuam agnoscam, ac æstimem beneficia, quæ mihi præstas, si tamen tibi placeret, gratius mihi accideret, si omnia, quæ mihi hujuscemodi exhibes, reservares pro quopiam alio, qui eâ magis mereretur; mihi verò hoc tantummodo concederes, ut te semper amarem, tibi que servirem, & sanctissimam tuam exequeretur voluntatem, in rebus magnis & parvis. Sponantur, mi Domine, omnes hæ gratiæ, atque ista mihi maneat, ut totâ animâ meâ, & meis potentijis te amem, ut tibi serviam, placeamque perpetuò. Quandoquidem, præter alias rationes, mi Deus, videtur dedecere magnitudinem tuæ Majestatis, ut eam demittas, ad tales gratias præstandas vilitati tam abjectæ creaturæ. Tum Deus respondit: Noli mirari, tanta à me fieri animabus, quæ mihi constiterunt sanguine & vitâ, quâsque magis amo, quam possis percipere, & pro quibus, si opus foret, devotò se pius mortem subirem. Quod si capax essem tristitiæ & afflictionis, vehementissimè tristerer & affligerer, videndo ingratitude tam multarum animarum, quæ pro adeò manifestis beneficijs, tam enormes reddunt offensas. Id autem Dominus dixit, talem demonstrando dolorem, ut, quasi indigeret solatio, quemadmodum ego, ipsum cœperim consolari, eique dicere: Cur verò, mi Domine, & dilecte animæ meæ, contristetis, qui es gaudium & solatium omnium creaturarum, propter tam vilem creaturam, quam est homo? Quid refert, si omnes perdamus, ingruantque potius super nos pœnæ peccatorum nostrorum, quam ut te ex affligant, quæ ab hominibus sustentantur? Tu unicum es in cœlo gaudium innumerabilis multitudinis Principum, tibi ardentissimo amore, atque promptissimâ obedientiâ servantium, & viles in terra degentes servi te afficiant molestiâ? Non, Domine, non oportet itâ fieri: verum tu gloria frui frui eâ, quam in temetipso habes, derelinque nos, quales sumus: sentiat flagellum & mortem servus rebellis, tu autem Rex vive, lætare, & frui in æternum.

thesauris tuæ infinitæ beatitudinis. Hæc ego proferebam simplicitates, ignorans quid dicerem, abrepta affectu ac dolore, quo me is cruciabat, quem Deus præ se tulit, ob hominum offensas. Siquidem enim tunc meæ animæ tam vivaciter repræsentabatur, quantum magnus ille Rex, qui aderat, mereretur, ut illi omnes intervirent,

nihil aliud consideravit. Cum verò ipse, à quo mihi inditur, sciat, quàm ardens alioquin sit meum desiderium, nè ulla anima pereat, ideo mihi blando vultu respondit: Bene est, Anima, modò vale. Permansi in raptu, & quando ex eo redivi, totum illud mysterium cessaverat. Deus sit benedictus. Amen.

CAPUT XXXIII.

Quid illi Deus manifestaverit de gloria Sancti Patris nostri Ignatii, & quales ab hoc Patriarcha acceperit gratias.

Tories ista Virgo fufiffimè describit in prima parte hujus historia (idemque non raro ab ipsa fieri vidimus, & deinceps videbimus in hac secunda) de prerogativis S. Patris nostri Ignatii, à se cognitis, deque beneficijs, quæ per hunc Patriarcham obtinuit à Deo, ut de solo hoc argumento non exiguum serorsim posset scribi liber. Neque est mirum, cum magnus Deus nosse voluerit, ut, quantumvis alijs Sanctissimi Patriarchæ multis hæc ipsius Sponsam cumularent gratijs, solus tamen Sanctus Ignatius specialis ejusdem esset Pater. Iste eam sui spiritus lacte educavit (quod illa ipsiusmet DEI verbis refert capite trigesimo primo) ideoque nunquam videbimus, ab alijs Patriarchis aliter appellatam fuisse, quàm sororem, quando interim solus Sanctus Pater nosse ipsi etiam gratiosissimum Filii titulum attribuit. Hinc is processit affectus, quo illa Deo, & alijs Sanctis res Societatis commendabat, tanquam suas, quòdque propter illius persecutiones afflicta fuerit, ac si ipsam penitissimè concerneret. De quibus omnibus adferam in isto capite breves aliquas ipsius annotationes, cæteris reservatis, ubi convenientior pro his fuerit locus. In scripto quodam anni sexcentissimi vigesimo quarti sic ait.

Die Sancti Ignatii mihi ordinario modo cum Deo agenti, sicut plerumque soleo, ostendit Divina Majestas magnitudinem gloriæ, quæ erat præditus gloriosissimus iste Pater, fuitque visio hujusmodi. Vidi hinc in cælo columnam fortissimam & lucidissimam, quæ, dum videretur esse

efformata ex pura crystallo, & auro obryzo, tota coruscabat quibusdam divini ignis, & superni luminis radijs. In ista columna erat anima Sancti Patriarchæ magnâ perfruens gloria, quam ipsi Deus, in cujus verfabatur conspectu, communicabat. Tam pulchrum spectaculum me rapuit in admirationem, adeòque reddidit attonitam, ut non potuerim attendere Sacrificio Missæ, quod peragebatur in nostro Oratorio, tametsi vehementer conarer.

Postquam mea anima aliquam diu taliter fuisset constituta, spectando hoc mysterium, quod illi Deus ipsius exhibebat, atque modicum ex eo raptu ad se redivisset, denuò mihi Deus ostendit eundem Sanctum in alia specie, quæ talis fuit. Vidi illum mea anima sedentem in glorioso throno, indutum veste clericali, quæ utitur ejusdem Religio. Totus erat gloriosissimus & splendidissimus; habebat in suo pectore efformatum nomen JESU, circumdatum luce, & pulcherrimis radijs; assistebat illi Sanctus Franciscus Xaverius, & utrinque stabant serie geminatâ Religiosi ex ipsius Societate, quàm convenientissimè & venustissimè dispositi, tanquam in optimè coordinata supplicatione. Omnes hi Sancti sic stantes suum gerebant clericalem habitum, & super hunc instar nivis candidum amiculum lineum; Sacerdotes verò, pro suæ dignitatis insigni, stolas in collo splendidissimas. Vidi deinde eadem decentiâ & modestiâ prodeuntes binos ex ijs Sanctis, singulos è quavis serie, unâque accedentes ad suum Sanctum Pa-

triam

tem Ignatium, & sese magna cum reverentia prosternentes, atque ab eo petentes sanctam ejusdem benedictionem. Sanctus illam ipsi bilari vultu, & singularem demonstrando charitatem impertiebatur, posteaque eosdem, brachijs collo injectis, tenerrimo amore amplexabatur. Hoc ordine omnes accesserunt, revertentibus singulis ad suum locum: & fuit mihi significatum, locis vicinioribus Sancto denotari majora merita, majorémque personarum auctoritatem. Dum ista admirarer, notavi, quòd totum illud sacrum Collegium, acceptâ Sancti benedictione, redditum fuerit illustrius & gloriosius, indicando ac demonstrando magna spiritualium bonorum incrementa, quæ ipsorum animæ, degentes in hac mortali vita, obtinuerunt, eo quòd sint ingressi in sacram Religionem, & secuti institutum Sancti Ignatij. Obvenerunt illis profectò, per hanc misericordiam, ipsi à Deo præstitam, admittente eos ad Societatem, magna gloriæ incrementa, quapropter tunc omnes laudabant Deum.

Hoc tempore vidi advenientes gloriosos Patriarchas S. Dominicum & S. Franciscum, quemque cum multis Sanctis sui Ordinis: & cum appropinquavissent Sancto Ignatio, seque jucundissimo ac devotissimo vultu fuissent intuiti, & mutuum sibi exhibuissent honorem, S. Dominicus assumpsit, ex divino beneplacito, partes honorandi ac laudandi S. Ignatij, atque ferventi spiritu, sibi infuso à Deo ita id disponente, dixit: O beate & gloriose Sancte Ignati, benedictus sit in æternum Dominus Deus noster, propter gratias, beneficia, & misericordias, quibus ab ipso donatus fuisti, & perpetuò fruens in hac Dei æternitate, quemadmodum fruiturus es præmio & gloriâ, quam ex Divina bonitate, magnis tuis & eximijs virtutibus, atque præclarissimis opetibus, directis ad obsequium Dei, & bonum animarum, fuisti promeritus. Tu beate Ignati es insigne luminare Ecclesiæ; tu es ille, qui admirando tuo spiritu resuscitavisti in Fidelibus devotionem, & spiritus fervorem: tam multum effecisti tuis sanctis monitis, & cælesti do-

ctrinâ, admirabili tuæ humilitatis, constantiæ, & charitatis exemplis. Gloriosus Sanctus Ignatius audivit alloquium Sancti Dominici, & magno ardore, omnia artubendo Divinæ Majestati, infinitas eidem gratias egit, pariterque ij duo Sancti, cum duabus cohortibus filiorum, quos unâ adduxerant, se ad Deum converterunt, agendo ipsi gratias.

Ibi mea anima agnovit Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, qui erat tunc ex dignioribus illius cælestis Collegij. Intuitus me est vultu hilari, ac designans me manu, dixit quibusdam Sanctis sui Ordinis, & beati Collegij, quâ essem viâ ab ipsa adducenda, ut ego quoque accederem, & acciperem benedictionem à glorioso Sancto Ignatio. Adduxerunt me, & Sanctus mihi bene precatus est, cum singulari complacentia, ac demonstratione magni amoris, dixitque: Vade in pace filia & soror nostra, vade jam in pace. Fui inde abducta à meis Sanctis Angelis. Tum ordine prorsus cælesti (quamvis essent super omnem modum innumerabiles) adveniebant omnes Sancti, veteris & novi Testamenti, atque exhibendo ingens gaudium, & gloriam accidentalem, gratulabantur ipsi milles gloriam, quâ in æternitate Dei fruebatur, per Divinam bonitatem, & propter heroica opera, quæ in illius honorem præstitit, nec non multa merita, quæ sibi ijs comparavit. Anima dexteri, gratulatos ipsi fuisse specialiter, quòd Deo placuisset, ut illum Ecclesiæ Catholica militans, ad ejusdem Dei gloriam, & utilitatem animarum, cælestium ei decernendo incolarum honores, tam magnum esse Sanctum declararet; unâque ab universis laudatum fuisse Dominum Majestatis, tanquam omnium horum bonorum auctorem. Ultimò advenit Sacratissima Virgo Maria, Mater Dei ac Domina nostra, & nomine suo, atque omnium Virginum & Sanctarum illius cælestis Aule, idem fecit, quod cæteri Sancti, milles ipsi admirandis & divinis verbis gratulabantur, quæ omnes illi Sancti gaudentes approbabant; addidit præterea Virgo: Tu gloriose Sancte fuisti fecundissima & feracissima

arbor, cujus rami abundantem protulerunt fructum in militante, & triumphante Ecclesia.

Simul ac Sanctissima Virgo finivit admirabilem suum sermonem, cepit in ecclesti Civitate resonare divina musica Beatorum Spirituum, laudantium Sanctum in Domino Majestatis, fuitque excitatus aureus, suavissimus, & pulcherrime relucens ventus, qui afflando vultus omnium illorum Beatorum, septuplò ipsos splendidiore Sole reddebat, quia excitabatur à Majestate Dei Domini nostri, atque ità illum aërem permeabat, ut omnes ij Beati, & tota illa cœlestis Patria repletur ijs divinis splendoribus, & inaccessibili lumine Dei. Dum attendere huic Sacratissimo mysterio, & mea anima esset abrepta in magnam ecstasim, redivi ad me ex hoc raptu, quando Sacerdos venit ad porrigendam mihi sacram Eucharistiam. Benedictus sit Deus propter sua opera, suâque misericordias. Amen.

Anno sexcentesimo vigesimo quinto, primâ die Augusti, quæ proximè sequitur festum nostri Sancti Patris, recenset gratiam, sibi ab eodem præstitam his verbis.

Feriâ sextâ, primâ hujus, horâ circiter secundâ matutinâ, dum in solito meorum affectuum exercitio cum Deo agerem, habui quædam præsentia, sicut aliàs, quòd mihi Divina Majestas vellet extraordinariam aliquam exhibere gratiam, & propter repugnantiam, quam adhuc in his rebus sentio (quando Divina Majestas non decernit determinatè contrarium) me abstraherem quasi per horæ spatium, & rogabam Deum, ut me duceret viâ ordinariâ, quâ animæ, cum ejusdem Majestate in hac peregrinatione agentes, procedunt. Interea audivi suavissimam musicam Angelorum, unâque dulcissimum sonum multarum, ac diversarum aurearum campanarum, non adferentium molestiam, quod faciunt campanæ hîc pulsari solitæ, sed cœlestem edentium sonum, quo anima plurimum oblectabatur. Hoc sono & musicâ cœlesti fui velut abrepta, minùsque potens reddita ad resistendum, nè mihi Deus repræsentaret, quod volebat. Vidi itaque

Vite Mar. de Escob. Pars II.

venientem ad meum cubiculum processionem Religiosorum Societatis Jesu, in duos ordines distributorum, qui meo iudicio fuerint circiter trecenti. Omnes erant lineati, & gestabant candelas accensas in manibus, gravissimè incedentes, atque summam præferentes humilitatem ac modestiam, & omnes fuerunt ex ijs, qui sunt jam defuncti, ac Beati. Omnes se collocaverunt in circuitu mei cubiculi, quod undique circumdabant. Pompam claudebat gloriosus ipsorum Patriarcha S. Ignatius, indutus albâ pertingente usque ad pedes, pluviale ferens refertum elegantissimis, & pulcherrimis gemmis. Portabat in sua manu pretiosissimum vas coopertum velo, latera ipsius stipabant gloriosus Sanctus Franciscus Xaverius, & Sanctus Pater Ludovicus de Ponte. Post omnes veniebant simul, non amplius bini, duodecim circiter Religiosi, qui comitabantur suum Sanctum Patrem.

Pervenerunt ad unam partem cubiculi, ubi celerrimè fuit collocatum parvum, sed splendide adornatum altare, supra quod Sanctus Patriarcha posuit vas allatum, procumbentibus omnibus ijs Beatis Religiosis, seque profundè & humiliter inclinantibus. Tum Sanctus, eâ cæremonia, quâ solent Episcopi, dum ab altari bene precantur populo, pronuntiavit quædam verba, quibus omnes ij Sancti responderunt. Post illa duas dedit suis Sanctis filijs benedictiones, unam fruentibus jam Deo, alteram viventibus in terra, unâque mihi cum ipsis: & accepto rursus vase ad manum, attulit illud ad me, ubi eram in medio Sanctorum Francisci Xaverij, & Patris Ludovici, atque deposuit velum, quo vas tegebatur: deinde Sanctus Franciscus Xaverius removit quandam velut patenam, quæ sub illo fuerat, tenente glorioso Sancto Ignatio vas, seu calicem in manu, ex quo exemit hostiam, quam mihi spiritualissimè porrexit, & eâ porrectâ stetit immotus, quasi expectando, ut eandem hostiam deglutirem. Postea, sicut hîc interdum accidit, ut aliqua hostia illi, qui ad sacramentum accessit, jamque aliam sumpsit, superaddatur, ità mihi Sanctus secundo

S

aliam

aliam dedit hostiam, quam tum in ore tenendo, tum deglutiendo, eo prorsus modo sensu, quo in reali & Sacramentali communionem hostia sentiri consuevit. Hoc facto S. Patriarcha est reversus ad altare, & postquam fuit exutus ijs Sacerdotalibus vestibus, quas prius habuerat, datum ipsi est pallium, atq; comparuit in habitu clericali suæ Sanctæ Religionis.

Collocata deinde fuit, quasi ad inferiorem mei pauperis lecti partem, sella, in qua se Sanctus posuit, meque salutans dixit: Deus sit tecum, creatura Dei, filia, & soror nostra. Ego sum Ignatius, Pater hujus minimæ Societatis (& ostendebat manu omnes eos Sanctos, qui ipsam repræsentabant) ego sum radix hujus arboris, quæ per Divinam bonitatem, tam copiosum & salutarem profert fructum. Locutus est præterea quædam ad solatium meæ animæ, quod ab ea magnum percipiebatur, dum contemplaretur Sanctissimum illum Patriarcham, cujus vultus est venerabilissimus, & oculi pleni arcana sanctitate, atq; propriæ animæ multum deditæ contemplationi, quod quidem tum optimè cognoscitur, modò autem explicare nescirem. Sanctus conclusit suum sermonem, dicens mihi, ut semper Deo impensè sanctum ipsius Ordinem commendarem. Dum autem mihi valediceret, juberetque me ad accipiendam benedictionem accedere, uti

feci, dedit mihi illam Sanctus, & ego in osculata sanctissimam ejusdem manum. Sic Sanctus Pater surrexit, & beata illa processio cœpit abire eo ordine, quo advenerat. Agnovi in ea multos Patres, quos præterlapsis temporibus noveram, erantque jam mortui, præsertim Fratrem Joannem Garcia, qui accessit ad me alloquendum, vultu toto ad risum composito & hilaritatem, quam in hac vita solitus fuerat præferre. Interrogavi ipsum de Fratre Baëza, an esset in cœlo, & respondit mihi eo gurgite tono, quo hic respondemus, cum delecturissima quapiam, & certissima requiritur, dicendo mihi: Omnino, ibi est. Sanctus Pater Ludovicus de Ponte me gratissimè aspexit, unaque cæteri Sancti, licet mihi nihil dixerint: Illis abeventibus, Domine meæ animæ cum singulari gaudio eodem intuenti, quanquam pariter ob ipsorum habitum, imprimisque gloriosi Sancti Ignatii, dolenti (nam idcirco fui tantopere afflictus, ut hic dolor aliquamdiu duraverit) istâ occasione aliam præstitit gratiam, significando illi, quod in alia revelatione (quæ habetur in primo Tomo) Divina Majestas dixerat, de beneficio, quod conferret morientibus in Societate Jesu: atque in præsentem etiam asseruit, magno exponere suam salutem periculo illos, qui

ex ea egrediuntur.



CAPUT XXXIV.

Alia, quæ cognovit de Sancto Patre nostro, atque nonnullis ejusdem filijs, & quæ ipsi evererunt concernentia persecutiones Societatis Jesu.

DE his omnibus antehac dictum est, dicenturque multa alibi; isto capite complectemur breves quasdam visiones, quibus ipsi, utpote penitus genuine filii hujus sacre Religionis, Deus hac manifestavit. In quadam scheda, ejusdem anni sexcentissimi vigesimi quinti, sic loquitur.

In festo gloriosi Archangeli S. Michaelis, vidi hunc Beatum Principem, qui ingrediebatur meum cubiculum, ferens in

manu vexillū. Sequebatur ipsum genuitatus ordo cælestium spirituum, qui emittitio omnes videbantur esse Angeli; verum postea vidi, esse partim animas gloriosas, quarum aliquas agnovi, cum plurimæ et si fuerint animæ filiorū S. Ignatii, Religiosorum Societatis Jesu, qui mihi in hac vita fuerant noti: præsertim verò agnovi Patres L. ra, & Hervas, atq; Fratres Joannem Garcia, ac Baëza, & alios. Inter illos veniebat S. P. Ludovicus de Ponte, qui penes me cœdit.

Omni.

Omnibus his Sanctis Angelis, & benedictis Animabus imminebat pulcherrimus Sol: quamvis autem illum hoc explicem vocabulo, non erat tamen Sol, sed Majestas Domini Dei nostri, qui illuminabat totam eam caelestem Societatem, mihi que manifestabat, excellentiam, potentiam, & majestatem illius Sancti Archangeli. Dicebatur tum Missa in nostro Oratorio, atque dum mihi esset adferenda sacra hostia, S. Archangelus ventilavit vexillum, vel ostentando suam magnam potentiam: quando verò mihi Pater, qui celebrabat Missam, attulit Sanctissimum Sacramentum, Sanctus Archangelus suum vexillum convolvit, & omnes se prostraverunt, adorantes Deum in Sacramento, quod suscepi ex manu Sacerdotis. Postquam autem fui rapta in magnam ecstasim, dum ad me redivi, finita erat visio. Deus sit benedictus. Amen.

Anno sequenti, sexcentesimo vigesimo sexto, die Sancti Patris nostri Ignatii, annotat, quod vidit, his verbis.

Trigesimâ primâ Julij, cum mihi quidam Pater Societatis Jesu diceret Missam, vidi gloriosum ipsius Patriarcham S. Ignatium, cum multis Beatis filijs sui Ordinis. Omnes descendebant ex caelo bini, linteati, & ferebant candelas in manibus, atque omnium postremus veniebat Sanctus Patriarcha, indutus, ut anno præterito, albâ & pluviali, qui eò accessit, ubi Sacerdos ejusdem filius Missam celebrabat. Postquam juxta ipsum constitit, videbatur mihi modo quodam arcano, quem nescio declarare, interdum quasi penetrare Sacerdotem, ut non essent duo, sed unus idemque; aliâs verò erant distincti, & videbam singulos seorsim. Sacerdos consecravit oblata, & omnes ij Sancti se prostraverunt: cumque adesset tempus, ut sumerem sacram hostiam, Sanctus Pater est comitatus Sacerdotem, quo mihi porrigente Sanctissimum Sacramentum, gloriosus Sanctus Ignatius mihi visus est, se prædictâ ratione unire cum Sacerdote.

Hoc eodem anno, vigesimâ nonâ Decembris, sexcentesimo vigesimo sexto, postquam me Sanctus Patriarcha cujus-

Vite Mar. de Escob. Pars II.

dam Ordinis dignatus est invisere, & ego illi sum quæstia, de nonnullis ipsius filijs, suscitantibus quandam persecutionem, contra Societatem Jesu, vidi, quòd Sanctus severum exhibuerit vultum, & facies ejus exarserit, acsi, quanquam cum modestissima gravitate, indignaretur. Dixit autem mihi: Noli mihi hac de re loqui, quia si nunc essem capax afflictionis, graviter affligeret. Refer illis, refer, me dicere, nè me vocent Patrem, cum non sint mei filij: & quemadmodum Moyse confregit tabulas legis, quia eas ille rebellis populus non merebatur; ita eos mereri, ut sua regulâ à Deo priventur. Multa insuper mihi Sanctus est locutus, quæ erant ejusmodi, ut judicaverim, non esse scribenda. Quando verò consului meos confessorios, ipsique mihi indubitanter præceperunt, ut hæc premerentur silentio, rursus mihi comparuit postridie Sanctus Patriarcha, dixitque: Placuit mihi vestra sententia, nè omnia divulgentur, quæ dixi: tu tamen non intermitte ea singillatim ipsis referre. Designavit autem tres duntaxat, vel quatuor, mandando mihi, ut illos infallibiliter admonerem; atque ita Sanctus disparuit.

Post aliquot dies (erat jam annus sexcentessimus vigesimus septimus) cum omnis conatus in quadam civitate fuisset adhibitus, concernens persecutionem, vidi Christum Dominum sedentem in throno, vultu vehementer irato, qui presentibus quibusdam Patribus ex Religione Societatis, citavit ad judicium aliquos Religiosos & seculares, ad quos conversus, dixit ipsis: Genimina viperarum (atque appellavit illos alijs pessimis nominibus, quæ recte) propter quod peccatum vultis lapidare hos homines? designavit autem Religiosos Societatis. Qui sine peccato est vestrum, tollat lapides, & mittat in illos. Et cum eos illuminaret, ut agnoscerent suas proprias conscientias, ita fuerunt pudesciti, ut erubescerent abiverint, alius hæc, alius illac. Post paucos abhinc dies mihi iterum Dominus dixit, dum de eadem persecutione esset sermo: Ego destruam hos operarios iniquitatis. Aliâs vidi his diebus Dominum, tanquam offensum ob id,

quod agitur contra Patres Societatis, & adversus illos dicitur: atque aliquando mihi dixit: Persequuntur ipsos, qui sunt ex mea Societate: verum ego sustinui persecutiones, ex quo fui natus, donec moreretur in cruce, & postea sum consecutus honorem, & intravi in gloriam meam, ita illis eveniet. Fetiã verò secundã, quæ erat Sanctæ Crucis, hoc mense Mayo, vidi Sanctum Patrem Ludovicum jucundissimum, eò quòd Religiosi sui Ordinis his diebus tantopere affligerentur, & dixit mihi: Nunc video Religiosos Societatis ascendentes, per sublimes gradus, ad Deum. Deus sit in æternum benedictus.

De dono spiritualis magisterij, ad regendas animas, atque ducendas ad perfectionem, quod Deus ex pura sua bonitate contulit filijs Sancti Ignatij, fuit ista Virgo, eodem hoc anno, specialiter edocta in quadam visione, quam sic recenset.

Ante paucos dies vidi Majestatem JESU Christi Domini nostri, in ea specie, quam habuit, dum fuit exutus suis sacris vestibus, ut alligaretur columnæ, & flagellaretur, qui mihi amanter dixit: Hic adsum, Anima, comparens tibi, ut te instruam. Mea anima recreabatur, & affluebat solatio, ipsum videndo. Fuit verò tum, nescio à quo, obtensum velum instar cortinæ, quod nihilominus erat transparent, ita ut, licet inter Dominum, & me esset interjecta, possem eundem Dominum videre, etsi non adeò clarè. Erat in eo velo expressa elegantissima & splendidissima crux: sed subito fuit obtensum aliud velum, sicut antea, in quo apparebat pulcherrimus Sol. Postea obductum est tertium, plurimum coruscans, & mirum in modum resplendens. Dominus mihi indicavit (quod me jam aliàs, quanquam per diversa symbola, docuerat) cruce significari afflictiones, tolerandas ad imitationem Divinæ ipsius Majestatis; Sole fortitudinem & robur, quod dat Deus pro ijs sustinendis; tertio autem velo lumen, quod communicat, ad conformandum te cum sanctissima ejusdem voluntate. Atq; profectò tale erat lumen, quod prodibat ex eo tertio velo, ut mihi visã fuerim tota ab illo esse illuminata, non

solum in anima, sed etiam in corpore. Quando mihi hæc ostendebantur, visã velat eminus Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, in quadam admirabili sella sedentem, & postquam visio Domini disparuit, triumque illorum velorum, venit ad me Sanctus Pater, ac dixit: Triplo, & quintuplo sortem tuam, Anima, reddidisti meliorem, quemadmodum hic loquimini: siquidem ipsemet Dominus dignatus est agere tuum Magistrum. Quomodo, Pater, respondi ego, quomodo est id intelligendum? Nonne mihi Divina Majestas te magistrum dederat, ac ducem meæ animæ? & nunquid mihi etiam in terra non dat Confessarios, ut idem præstent? quavis Deus, repositus Sanctus, faciat, quod fieri vides, non excluduntur tamen alij modij: nos enim Sacerdotes sumus coadjutores Dei in cultura animarum, & qui sumus ex Societate JESU, accepimus pro hoc munere speciale à Deo donum: age illi gratias, & vale. Ego sum passus magnam celestis, quoad mihi postea fui reddita. Laudetur Deus in æternum. Amen.

Concludamus præsens caput brevi visione, quam hac Virgo habuit, de fructu, quem Deus per suam misericordiam largiente, minima ipsa Societas profert in ipsius Ecclesia. Unde etiam intelligitur causa, ob quam capite præcedenti vidimus, Sanctum Patriarcham nostrum fuisse à Beatissima Virgine vocatum, sacundi simos & feracissimam arborem, cujus rami ubertim protulerint fructum, in militante, & triumphante Ecclesia. Scriptum istud est anni sexcentis viginti quarti, ubi post alia sic loquitur.

Sequenti nocte affixa lecto, ob gravissimos stomachi dolores ac pectoris, & alia, quo mihi videbar comburi, post horam tertiam matutinam, conspexi Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, sedentem in sella, eo modo, quo consueverat vivere, qui mihi dixit: Istam crucem dolorum Deus immittit, quia sic exercentur virtutes, & comparantur merita: sed modò quiesce, manebo apud te, donec veniat frater noster. Erat venturus meus Confessarius, & celebrandam Missam. His verbis à Sancto Patre prolatis, cessaverunt dolores, & intellectus

id attribuendum esse ipsius potentiae, ac meritis. Tunc meus Sanctus Angelus Custos, quasi complacendo sibi in mei sublevatione, idque significando vultu, & modo loquendi, mihi dixit: Quiesce Soror, quiesce. Adfuerat mihi Sanctus Pater Ludovicus propè tribus horis, quibus elapsis ipsum vidi surgentem, & cogitavi, quod vellet reverti ad caelum: verum aliter res habuit; assurrexit, ut exciperet Sanctos Patriarchas Ordinum Religiosorum, & alios Sanctos, qui dignabantur venire ad me invensendam. Gloriosus Sanctus Dominicus accessit ad Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, dixitque illi talia verba, cum tanta tum honoris exhibitione, tum amore, ut ex his intellexerim, Sanctum Patrem Ludovicum fuisse gazophylacium, atque ditissimam fodinam virtutum. S. Dominico adhaerebat gloriosus S. Ignatius, atque

ab hoc Sancto Patriarcha, tanquam ex radice, assurgebat miro modo arbor, cujus rami attollebantur usque ad caelum, & extendebantur per universam terram. Significavit verò mihi Deus, sic indicari ingentem fructum, quem S. Ignatius, & ejusdem filij faciunt in mundo. Et quamvis alia quoque sacrae Religionis magnum fecerint, faciuntque fructum; ob quamdam nihilominus rationem me nunc id edocere Deus specialiter voluit de Societate Jesu, deque ipsius Patriarcha. Penes illum stabat ejus filius S. Franciscus Xaverius, qui ad me accedens mihi dixit: Soror, ego sum tantummodo ramusculus hujus arboris. Manserunt aliquamdiu apud me omnes ij Sancti, & postquam me sua praesentia multum sunt consolati, omnes redierunt simul ad caelum. Deus sit in aeternum benedictus. Amen.

CAPUT XXXV.

De gloria Venerabilis Patris Ludovici de Ponte, quam vidit, & gratijs ab ipso obtentis.

Magnus hic Pater, seculiq. nostri Doctor mysticus, suam amenissimo anima admirabilis hujus Virginis hortocolendo operam, ex Dei dispositione, integris triginta impendit annis. Debetur quidem favorabilis Divinae gratiae irrigationi, seu avi superni spiritus zephyro, inestimabile florum pretium, qui in eo, ad stuporem mundi, ad confusionem inferni, ad caeli admirationem, maximamque magni Dei nostri gloriam, resplenduerunt: verum tamen, quia idem Dominus (qua ipsa in re se exhibet liberaliorem) suorum petit cooperationem ministrorum non est dubium, quin sedula hujus insignis operarii industria aliqua etiam debeatur pars progressum, quibus deliciosus iste hortus Dei, heroicis Venerabilis Marinae spiritus, ad tam sublimem pervenit gradum perfectionis. Insumpsit Sanctus Pater postremos vitae annos, ad ultimum usque hujus diem, scribenda prima parti historiae istius Virginis, hi-

storicum agendo gestorum, quibus praecleariora, & virtutum, quibus solidiores, à compluribus annis in publicum non prodierunt. Deus autem hac illum adventitij praemij parte est remuneratus, ut eadem Virgo, novem annis, quibus ipsi supervixit, historiam pertexeret de sanctitate, & gloria sui Scriptoris, atque Patris spiritualis. Non extat propemodum, extabitve ullum caput in hac secunda parte, ubi non aliquid insinuetur de Patre Ludovico. Nihilominus chartas huc directius spectantes, redigam breviter ad aliquot capita, extracta ex adversarijs hujus Sponse Christi. Dico, ex adversarijs: nonnulla namque acta, qua hic attinguntur, fusiùs ab ipsa, juramento interposito, recensentur in processu facto, pro Sancti Patris Ludovici canonizatione, quod videri poterit in vita hujus insignis servi Dei. Sanctus Lucas in suis Actis egit historicum magnigentium Apostoli, & Paulus encomiasten virtutum Sancti Luca in suis epistolis. Sanctus Praecursor meruit celebrari ab Incarnato Deo Verbo,

Verbo, cuius ipse fuerat prætor, priusquam nasceretur. Sciunt ac solent Sancti sese, exemplo sui Domini, gratos hac in re exhibere, ut idem Dominus solus in omnibus glorificetur. Quæ præsentis capite complector, omnia evenerunt anno sexcentesimo vigesimo quarto, à decima septima Februarij, qua die Sanctus Pater feliciter, sanctissime moriendo, ad vitam migravit meliorem. Incipit igitur Virgo referendo, quod ipsi de hoc obitu fuit manifestatum, his verbis.

Eâ nocte, quæ Patri Ludovico de Ponte, in hac mortali vitâ, fuit extrema, postquam mihi ex Collegio S. Ambrosij Societatis JESU est significatum, sacro ipsum esse oleo unctum, rogavi meos Dominos Angelos hic præsentés, ut abirent ad ferendum ei auxilium, quod omnes perlibenter fecerunt, & adfuerunt felici illius morti. Reversi sunt, & horâ circiter primâ, à media nocte, me duxerunt ad eisdem cubiculum, in quo sanctum corpus exanime jacebat. Totum cubiculum apparebat simile cælo, propter multos Angelos Dei, circumdantes corpus. Appropinquavi illi, & non potui videre faciem, quæ erat tecta velo, seu panno bombycino, neque mihi fuit discooperata, nescio quam ob causam. Oscultata sum ipsius pedes, & manus, statimque sum reducta domum. Optabam rescire statum animæ Sancti mei Patris, & commendabam illam enixè Deo, atque Divina Majestas, quasi dissimulanter mecum agendo, mihi ostendit Purgatorium, acsi diceret: Aspice, an ipsû hie invenias, Lustravi attentè totum eum locum, & non vidi illum. Postea, horâ circiter decimâ matutinâ, me Sanctus Pater Ludovicus visitavit, alloquendo me, quem admodum faciebat, dum viveret. Vidi illum valde gloriosum, vultu prorsus vivido, ac tali, ut palàm faceret, se frui Deo. Multùm me est solatus, dolentem ob ipsius obitum, dixitque mihi: Quamvis jam non degam in vita mortali, nihilominus te non negligam, imò juvabo, instruamque melius, cum obrineam statum, in quo non possum errare. Fui vehementer exhilarata, confortata, & repleta solatio. Subitò comparuit in eisdem pectore sacrum no-

men Jesu, lucens ac resplendens instar Solis, cuius radij obtexerunt faciem, & hanc magnam lucem desijt à me videntem. Compareret mihi quotidie, meque invitum, & mei Sancti Angeli ipsum singulatim honorant ac venerantur. Dum autem ego id mirarer, dixerunt mihi: Nonne scis, illum esse Sanctum Sacerdotem, & Ministrum Dei? Quidam Sanctus Angelus Dei mihi dixit, felicem eam animam, dum egrederetur è corpore, transivisse penes Purgatorium, absque ulla pœna, imò cum ingenti gaudio, eò quòd agnosceret gratiam sibi præstitam à Deo, quâ ab ipso fuerit præservata à tam gravibus cruciatibus.

Eo die, quo peragebantur ipsius exequia, agendo in me mea oratione cû Deo, dum celebrarentur divina officia, vidi Sanctum Patrem in cælo, indutum nigra veste Societatis, cuius tamen stamen erat aureum: gerebat pileum clericalem in capite, & stolam in collo. Sedebat valde gloriosus & splendidus in sella, super tres quadrante gradus elevata, coram Beatissima Trinitate, magna cum autoritate, & aspectu gravi, verùm gloriosissimo. Vixi mox venientes multos Beatos ex eius Ordine (fuerint verò Sacerdotes) omnes ornatos stolis, & binos: singuli ipsam adorant venerabundi, quasi honoris ergo illi invadentes, & gratulantes gratiam à Deo collatam, quos Sanctus magnâ charitate excipiebat, & brachijs collum circumdando amplectebatur. Peractâ hæc sacrâ ceremoniâ, S. Pater Ludovicus, & omnes reliqui se coram Sanctissima Trinitate prostraverunt, & Dominus ipsis est impetrata suam Divinam benedictionem. Omnes assurrexerunt, & Pater Ludovicus est revertsus ad suam sedem, cæteris stantibus. Venerunt interea sex Angeli, & concinnis gradibus, utrinque terni, inceperunt dulcissimis personare instrumentis, canendo suavissimâ melodîâ laudes Dei, exhibitas illi sanctæ Animæ gratias. Hæc musicâ finitâ, rursus se coram Deo prostraverunt, qui ipsis denuò suam sanctam dedit benedictionem. Eo momento apparuit Pater Ludovicus usque ad deo resplendens, ut eum amplius non viderim. Deinde

mihî comparuit in meo cubiculo, mansitque apud me ultra unam horam, loquens de rebus spiritualibus. Dum illum interrogarem, an ipsi aliquid accesserit gloriæ ex peccatis hoc die exequijs, respondit mihi: Omnino. Sed ita de se est locutus, sicut vivens consueverat, dicendo: Mei Patres poterant pro concione referre magnas gratias, quas à meo Deo accepi, & dicere, me parum ex ijs profecisse; omittere autem meas laudes: omnia tamen aiebat, cedere ad gloriam accidentalem exequiarum, sibi celebratarum in celo.

Quodam tempore matutino, in Septembri, vacabam meis exercitijs, & eram aliquantum perplexa, ob meos solitos timores, quando conspexi Sanctum Patrem Ludovicum, qui sedens in quadam velut sella me salutavit, dicendo mihi peramanter: Quid times Anima, quid times? quis te affligit? quis te condemnat? Cum Deus, & tui Confessarij tua approbent, cur es tam meticulosa? Ergo ne Pater, respondi ego, non habeo, quod timeam? Expecta Anima, dixit Sanctus Pater, & coniecit oculis ad unam partem, assurrexit; ita tunc que tibi adfuit quidam Angelus Dei, unus est præcipuus, adeo ut me magno affectu stupore. Is me salutata dixit: Noli metuere Anima, sum enim Angelus Domini Majestatis, ad te missus, ut tibi ex ipsius voluntate, ejusdemque nomine dicerem, à Divina Majestate gubernari & dirigi omnes vias tuas, atque disponi, ut nunquam in tuo corde perseveret dubium, aut difficultas, quam in quibusdam credendis, quæ tibi eveniunt, habere consuevisti. Hoc dices tuis Confessarijs, quibus te oportet credere, atque obtemperare. Cum verò interrogarem S. Angelum, an mei timores essent aliquantulum immoderati, adversus beneplacitum Divinæ voluntatis, respondit mihi, judicia Dei esse altissima & occultissima, ac talia, ut ijs infinita comprehendantur; remedium autem, si quis in meis timoribus reperitur excessus, in eo consistere, quod mihi nomine Dei dixerat. Quia ipsum tantâ videbam conspicuum majestate, ut judicaverim illum esse è sublimioribus Angelis, rogavi eum, quanquam satis

timidè, ut mihi diceret, quis esset: & respondit mihi, se esse unum è præcipuis Divinæ Majestatis servis, habereque etiam curæ suæ commissum quendam locum, quem mihi Deus monstraverat, & quò præteritis diebus videram ingredientem maximâ diabolorum turmam. Post hæc mihi valedixit, relinquendo me affluentem solatio. Sanctus Pater Ludovicus remansit apud me, & resumpto sermone de meis timoribus, dixit: Quid times? Nunquid fortasse sunt majora ac difficiliora, quæ tibi eveniunt, quàm quæ evenerunt me vivente? Non profecto, dixi ego: timebam autem, nè meæ animæ inesset occulta quæpiam & latens, me non sciente, neque intelligente; propensio ad res singulares. Sanctus Pater mihi respondit, profundissimam, & occultissimam propensionem meæ animæ non esse aliam, quàm efficacissimum desiderium explendæ ad amissim in omnibus Divinæ voluntatis. Institi ulterius dicendo, meos timores omnes in hoc ipso fundari, quod ipse assererat, siquidem metuerem, quòd me eidem Divinæ voluntati, ad majorem illius gloriæ minimè conformarem. Tum dixit, me vel propterea securam esse. Rogavi ipsum, quanquam timidissimè, ut me interdum inviseret, atque respondit mihi, se id Deo volente facturum, modò adhiberem fidem veritatis, quas mihi ejusdem nomine esset expositurus. Post hoc mihi valedixit, ac abiit, cum quibusdam Angelis, & duobus Sanctis sui Ordinis, qui illum comitabantur. Deus sit benedictus. Amen.

Vigesimâ quintâ Decembris, ejusdem anni millesimi sexcentissimi vigesimi quarti, in festo Nativitatis CHRISTI, Divina Majestas singularem huic Virgini exhibuit favorem, quem hoc loco refero: quandoquidem in fine eventus, quem recenset, manifestè colligitur, quanto opere ipsi profuerit instructio Sancti Patris Ludovici, ut se ad illum promerendum disponeret. Omnia Virgo his verbis describit.

Quanquam, quæ est Dei bonitas, sim prompta ad exequendam sanctissimam ejusdem voluntatem, ut in omnibus de me disponat secundum suum beneplacitum, sem-

semper nihilominus propendeo ad migrandum ex hoc exilio, ut clarâ mei Dei & Domini fruatur visione. Præsertim verò sum vivacior hos primos motus experta, dum audirem referri, inter quosdam Principes Christianos exoriri bella, ob quam rem mea anima fuit vehementer afflictâ. Commendabam hoc negotium Deo, indicando unâ naturalem meæ animæ affectum, migrandi ex hac vita ad æternam. Tunc mihi Divina Majestas, ex magna sua bonitate & misericordia, dixit: Si quispiam Rex haberet in civitate hostili filium, aut alium sibi singulariter charum, dum illam à se evertendam obsideret, suspenderet oppugnationem, nè contristaret, anxiumque redderet filium intus cum obsessis manentem: atque ut me consolaretur, & remoraretur mea desideria, dixit mihi præterea, se velle, ut hæc festa secum transigam in cælo. Ego tergiversabar, uti aliàs, in acceptandis his extraordinarijs beneficijs. Dominus autem, ut me disponeret ac flecteret, dixit, itâ expedire: id enim fieri eum in modum, quo se hic Parentes gerunt erga filios, quos speciali prosequuntur amore, solentque illos versantes in scholis, pro eorundem recreatione, & consolatione, durantijs festis, deducere domum.

Post dicta à Domino hæc verba, isti mei Domini Angeli ad me venerunt, & dixerunt mihi: Soror, nunc vale, brevi revertemur, & interea apud te manebunt hi Sancti Angeli socij nostri. Aspexi, & vidi ibi totidem remanentes. Observavi deinde, quòd illi mei Domini ascendentes ad conspectum Dei, exposuerint Divinæ Majestati difficultatem, quam habebant in exequendo ipsius mandato, de me ducenda ad cælum, unâque periculum, nè natura deficeret, nisi ad id peragendum novum præstaret favorem. Deus singularem demonstrando amorem, obtulit petitum à se auxilium, & subito unus ex ijs Sanctis Angelis, qui apud me remanserant, me incepit spiritualissimè induere cælesti vestitu, ut me in cælo Deo præstaret. Induit me tunicâ, quæ erat nive candidior, ac deinde aliâ cæruleâ verè mirum in modum resplendente. Tandem me texit magnò ru-

bro, adeoque eleganti velo, ut videretur purissimis contextum carbunculis. Ad singula verò, quibus ab ipso exornabar, pronuntiabat nonnulla verba, quæ ego non intellexi. Conspexi postea grandem & pulchram pelvim argenteam, & in ea omnia instrumenta meorum martyriorum, ac dolorum: clavos pedum & manuum, flagella Christi Domini, quæ mihi in ætissimâ quadam unione fuerant impetrata, crucem, & alia instrumenta, de quibus sibi dictum est. Hanc pelvim, cum omnibus, quæ in illa erant, portabat in manibus quidam Angelus, qui antecedebat, ceteris omnibus ipsum comitantibus.

Itâ ascendimus ad cælestem Jerosolimam, in cujus ingressu prodijt Sacratissima Persona Spiritus Sancti, qui mihi dixit: Bene veneris amica mea, sponsa mea, veni, & intrabis in gaudium Domini tui. Introivimus, & Sancti Angeli, qui mecum ibant, me prostraverunt coram Beatissima Trinitate, ubi Pater æternus me vocavit filiam, & Filius sororem, atque Spiritus Sanctus sponsam, omnibus tribus admirabilem mihi exhibentibus amorem. Specialiter notavi, me à Filio Dei, Verbo Divino, appellatam fuisse sororem, Eisdemque Majestatem mihi dixisse: Omnis soror, propter naturam humanam, quam hominis causâ assumpsi. Vidi illic Sancti Patrem Ludovicum de Ponte gloriosissimè lætum & speciosum, qui me est allocutus dicendo: Nunquam speravi aliud, quàm ut his bonis fruereris, & quantumvis te tam varijs modis exercuerim ac probaverim, ut potueris suspicari id provenire ex defectu amoris, & excessu morositatis & fastidij, omnia tamen advertenter dirigebantur, ad res tuas melius explorandas: quæ tu tam bene ex omnibus profecisti, quàm ego desiderabam, & nunc vides. Versabar in præsentia illius magni Dei Domini nostri, experiendo finem, propter quem Divina Majestas mihi aliàs dicit præstare, & præstiturum has gratias, quæ erant, ut quiescerem, cognoscerem, & gauderem. Magna ibi fuit mea quies, contentio, & gaudium. Atque dum id attendere, sensim sine sensu mihi illa magis

magnificencia disperebat, ac tandem me
rursum reperi in meo angulo, dolens &
afflicta, videndo me privatam eo bono ex
Divina bonitate possessio. Ipse sit in eter-
num benedictus. Amen.



CAPUT XXXVI.

Continuatur eadem materia.



Uacunque hoc, & sequenti ca-
pitate scribuntur, acciderunt per
decursum anni sexcentissimi
viginti quinti. Exorditur
Sancta Virgo, sic dicendo.

Die Sabbathi, undecimâ Januarij, ve-
hementer integrâ nocte cruciabar à meis
morbis, videbâque mihi expiratura, &
suffocanda. Totâ eâ nocte mihi adfuit San-
ctus Pater Ludovicus de Ponte, sedens su-
per unum graduum, quibus ascenditur ad
illam auream aulam, de qua aliàs dixi. Vi-
dens me Sanctus Pater tantopere cruciari
& affligi, animabat me, juvabâque ferre
meam crucem. Ego illi dixi: Pater, rogo
te, si est voluntas Domini Dei mei, mitiga
hunc meum morbum, ecce enim suffocor.
Pater dixit peramanter, se id facturum.
Porrexit illi Sanctus Religiosus, Coadju-
tor ex ipsius Ordine, qui eundem comita-
batur, quandam rem, quam, eò quòd esset
valde parva, non bene vidi (postea ex ipso
rescivi, fuisse quoddam cœleste medica-
mentum) & ille ei dixit. Da id S. Angelo
Custodi istius creaturæ, ut ipsi applicet,
quod S. Angelus quàm reverentissimè sus-
cepit, dixit tamen: Sancte Pater, necdum
est tempus, ut illi hæc medicina applice-
tur, ne eam privemus meritò patientiæ.
Est omnino, respondit S. Pater Ludovicus,
aliâ namque ratione id compensabitur: ap-
plicetur ipsi istud medicamentum, ut nunc
mitigentur dolores, diutiùs tamen durent,
sic nihil perdet. Itâ fuit factum. Accessit
ad me S. Angelus, & apposuit mihi eam
medicinam in concavitate, quæ est sub oc-
cipite, statimq; melius habui, & multùm
sublevata toleravi meam afflictionem. Be-
nedictus sit Deus. Amen.

Non ignorabat Sanctus Angelus hanc ve-
ritatem, quæ est clara, Deoque consuetissima,

Visa abar. de Escobar Part II.

quòd meritum hominis iusti, qui patitur (&
par est ratio de satisfactione in penis Purgato-
rij) possit exaquari, si intensus brevis temporis
dolor commutetur, ut idem jam remissus dures
diutiùs, ejusdemque intensio suppleatur exten-
sione temporis. Verùm non videtur ipsi fuisse
revelatum, placere Deo, ut taliter in præenti
occasione fieret. Voluit autem Divina Maje-
stas suam quoad id voluntatem manifestare
Sancto Patri Ludovico, & illam ex ipso An-
gelum intelligere, sive ut Virgo magis ac ma-
gis redderetur addicta suo Beato Instructori,
sive ob alias gloriam suam concernentes ratio-
nes. Alia disputatio de eo, si quis excellenti-
am hujus sanctæ Animæ inde arguat, quòd il-
luminaverit Angelum, nec est hujus loci, ne-
que infallibilem judico esse consequentiam, ut
ex particulari uno actu concludatur in reliquis,
illuminantem esse superiorem illuminato. In
alio scripto, die vigesima tertiâ Februarij, sic
ait.

Vigesimalâ tertiâ hujus mihi comparuit
Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, qui
mihi semper ea proponit, quæ magnam
adferunt solatium, ac profunt ad meæ ani-
mæ profectum. Sed vigesimalâ quartâ mane
exarserunt in meo corde illi vehemen-
tes affectus, quos aliàs habeo, & his impel-
lentibus dicebam: Ubi es mi Deus? ubi te
inveniam? Indica mihi, ubi pascas in meri-
die. Hoc agens vidi descendentem ex cœlo
S. Patrem Ludovicum, & cum alijs collo-
quentem, quamvis illos tum non agno-
verim, neq; sciverim, qua de re conferrent,
postea tamen vidi esse Angelos Dei. San-
ctus Pater se collocavit in quadam admi-
rabili sella, & inde me interrogavit: Quid
dicis, Anima? quales sunt isti affectus? San-
ctæ Pater, respondi, quæro ex meo Deo,
ubi sit, ubi ipsum sim repertura, ubi pa-
scat in meridie? Sanctus Pater elevans o-
culos

T

culos

culos & manus ad cœlum admodum graviter ac reverenter, dixit: Dicam tibi id Divinum illud Esse Omnipotentis DEI existit in cœlo, ubi se communicat suis electis, eosdemque sui visione reddit beatos: est quoque in toto mundo, dādo & communicando, atque conservando, id quod sunt, suis creaturis; præsertim verò habitando in animabus & cordibus Justorum viventium in terra. Quamvis autem ipsū quæras, jam tamen illum habes, atque ipse te invenit in sublimiore gradu & possidet, quem nunc obtinet tua anima. Scisne hoc, ajebam ego, Sancte Pater, & estne tibi perspecta hæc posterior misericordia, quod Deus mihi illam præstiterit? Omnino, respondit Sanctus Pater, constat mihi id, quia mihi à Deo est revelatum, unde magno sum affectus gaudio, & gloriâ auctus accidentali. Cum enim tuas exceperim confessiones, animamque tuam rexe- rim ultra triginta annos, revelat mihi Deus tuos majores progressus, & gratias, quas tibi confert, atque ex omnibus in me gloria derivatur accidentalis, ob dictam causam. Nomine quoque ejusdem Domini eo erga te fungar munere, quod petis, ut te adjuvem, instruam, ac illuminem; & Divinæ Majestatis jussu, ipsiusque nomine tibi opitulabor, visitando te quàm sapissimè, ac edocebo Divinas illius veritates, non quod à te ignorentur, verum ut te in ijs magis confirmem, indicando tibi ipsas digito, eum in modum, quo Magister puerum suum discipulum docet literas Alphabeti. Illuminabo te etiam, ut superiore lumine prædita corroboratas habeas tuas potentias, & cognoscas Divina mysteria. Scire namque te oportet, nos in illis intelligendis, & in exponendis rebus cœlestibus, fuisse, spectatis ijs, quæ cognoscuntur & sciuntur in Beatitudine, velut idiotas, dum viveremus, & locutos, quemadmodum loqui solent Mauri imperiti lingvæ. Nunc bene occupatis, eliciendis actibus resignationis, & tolerandâ cruce, quam tibi Deus offert. Vale, quanquam non sim statim abiturus, manebo enim hîc modicum. Atque itâ fecit, quia ipsum ibi vidi diutius sedentem, ac tacentem, donec me

Deus rapuit in ecstasim, ex qua ad me reversa, illum non conspexi. Laudetur Divina Majestas. Amen.

Alibi, post enarratos alios varios eventus, refert aliquid aliud, spectans ad marianam, quam tractamus, ac describit sequentibus verbis.

Feriâ quartâ, secundâ Aprilis, sancter dormiendum correpta ingenti angustia & afflictione, quasi essem circumdata ab hostibus, & nullâ vi posse credere. Hunc in modum constituta, dicebam tam vivaciter, quàm si usum haberem sensuum: Hic non suppetit aliud remedium, quàm ut invocem Sanctissimam Virginem MARIAM, quod feci, prout tum potui, & subito sum expepecta, libera ab ea afflictione, vidique Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, cum comitatu aliquorum Angelorum, indutum conservâ veste sui Ordinis. Abstraxi me sicut aliàs soleo, quando peritor, donec DEUS (quod etiam multoties dixi) animam suâ suavissimâ vi abigat, ad videndum & intelligendum ea, quæ ipsi Divina Majestas manifestat. Jam verò, quando illum rursus conspexi, Sanctus Pater Ludovicus de Ponte comparuit in amiculo lineo, cui superpositum habebat pluviale, & in manu tulit pretiosissimam pelvim, in qua erat pulcherrima corona, suis prædita aculeis, similis illi, qua pingi solet in capite CHRISTI Domini: quia verò fuerat imposita meo capiti (prout alibi scripti) agnovi ipsam, cum eam sum intuita, & ubicunque viderem, dicorem: Hæc est illa corona, quæ mihi fuit imposita. Deinde vidi Sanctissimum Angelum Custodem, accedentem mihi Sanctum Patrem Ludovicum, petentem ab ipso eandem coronam, allegando, ad se spectare, ut illam asservet, eo quod sibi à DEO sit demandata mei custodia. At Sanctus Pater, monstrando profundissimam animi demissionem, & abducendo sapientissimas rationes, se excusavit, dicens, istud officium ad se pertinere, propterea quod tot annis egerim in Confessarium, Patrem spirituum, & li-

& Instructorem, sibi que fuerit à Divina Majestate commissa non solum animæ cura, sed etiam ipsius naturæ, nè deficeret, atque succumberet. Deus sit benedictus. Amen.

His dictis, vidi utrumque recurrentem ad Deum, ac si suas quisque proponeret causas, & expectaret decretum sanctissimæ ipsius voluntatis. Passa fui ecstasim, dum mirarer, quæ videbam, & quando ex hoc raptu redivi, jam ambos adverti esse (ut nos loqui solemus) crania, & tione factâ concordēs, atque à S. P. Ludovico de Ponte eximi ex ea corona tres aculeos, & porrigi meo S. Angelo Custodi. Obstupescēbam spectando hæc mysteria, quia ignorabam, quid significarent, & intra me ipsam cogitabam, quomodo ex res materiales reperirentur in cælo, quas videbam, utpote corona, spinæ, ac pelvis, & reliqua. S. autem P. Ludovicus agnoscens meam cogitationem, & respondens, dixit: Etiam S. Joannes in Apocalypsi dicit, fundamenta cælestium murorum esse duodecim lapides pretiosos, & singulas portas illius cælestis civitatis esse ædificatas ex singulis margaritis. Nos scimus, quomodo se hæc habeant, quæ à te non sunt examinanda: nunc enim non adest ratio, ob quam id facias. Eo tempore ingressus est Sacerdos, qui in Oratorio dicebat Missam, adferens Sanctissimum Sacramentum, ut mihi illud præberet, Sanctus verò Pater Ludovicus descendit ex eo alto loco, in quo erat, per quosdam quasi gradus, usque ad pavimentum mei cubiculi, ubi se prostravit, ac adoravit Majestatem Christi Domini existentis in Sacramento, & postquam sacro fui refeeta epulo, surrexit ac rediit ad priorem locum. Inde mihi dixit, illam coronam spineam, quæ præterlapsis diebus fuerat superposita meo capiti, non fuisse mihi ablatam, usque ad tempus, quo habui somnium, de quo sum locuta initio. Hoc dicto Sanctus disparuit, & ego veritatem ipsius verborum comperi ex effectibus. Cum enim eousque afflētissimum, omnibus ijs diebus, post appositam mihi eam coronam, habuissem caput, expergefacta ex illo somno, statim dolorem ipsius cepi sentire mitigatum.

Vita Mar. de Escob. Pars II.

Decimâ die post, quæ erat duodecima Aprilis, & dies Sabbathi, manè iterum conspexi Sanctum Patrem Ludovicum, cum speciali meæ animæ, & verò majore quàm aliàs, gaudio, quo affluens proci di ad ejus pedes, dicendo: Optimè advenis, mi Domine Pater. Sanctus extendendo brachium dixit: Desiste Anima, & revertere ad tuum locum. Deinde mihi incepit quædam dicere, meque docere, quorum unum erat, quòd cibus à me sumptus mihi jam non prolic ad sustentationem naturæ, Deus tamen velit à me cibum sumi, ut ab Eiusdem Majestate, in vita communi, & experte extraordinariorum singularitatum, constituatur norma Fidelibus proficua, ad agendam vitam spiritualem. Inter alia, quæ disseruit, etiam declaravit, quid significaverit, dum tres aculeos exemit ex dicta corona, dediq; meo Sancto Angelo Custodi. Dixit autem, quòd tres potentia meæ animæ, memoria, intellectus, ac voluntas, quando mihi ea corona fuit imposita, & inclinavi caput, specialissimos tres actus elicuerint, ad quos multò magis concurrerit spiritus supernaturalis, quàm natura, quæ hac vice minus egerit, quàm aliàs: & quia Angelus est purè spiritualis, atque Deus ipsi specialius commisit curam meæ animæ, & in his actibus magis spiritualibus plus operatur ministerium Angelorum, quàm hominū, ad hæc omnia indicanda, illi jussu Dei porrexerit tres eos aculeos; ipse tamen retinuerit coronam, ut mihi significaret, perpeffionem dolorum, quos tum senseram, eliciendo actus spirituales patientiæ, & aliarum virtutum, qua in re multum præstat natura adjuncta à gratiâ, magis ad se pertinere, eò quòd naturâ sit præditus humanâ, & Deus sibi commiserit non solum directionem animæ, in exercitio virtutum, sed etiam curam naturæ, nè deficeret. Hoc ipsum, quod exposuit Sanctus Pater Ludovicus, mihi fuerat prius dictum à Deo, in quo ista omnia, postquam mihi id manifestavit, vidi, attollendo oculos, modo ineffabili: & cum mirarer, ea à me tam clarè perspicere, dixit mihi Divina Majestas: Es oblita, & non meministi, tibi à me aliàs fuisse

T 2

fuisse

fuisse datam auream clavim, ut in me poses videre, quidquid velles, sicut qui habet clavim, ingreditur, dum vult, in gazophylacium. Hoc mihi commemoravit Dominus: & verò ita contigerat, me aliâ occasione accepisse eam clavim, quamvis tunc singularis illius beneficij fuerim immemor.

Istam visionem, quæ accidit duodecimâ Aprilis, adjunxi alteri visioni de corona, eod quod in utraque de ea agatur. Ante hanc autem posteriorem, feriâ quartâ, nonâ die dicti mensis, aliâ Sancti Patris Ludovici est exhilarata visitatione, quæ fuit hujusmodi.

Habebam, inquit, quasdam corollas precatórias, quæ mihi involutæ in charta datæ fuerant, & Sanctus meus Angelus Custos mihi dixit, ut eas evolverem, ibiq; juxta me collocarem. Feci id, & subito vidi globum lucis, instar Solis, qui suis radijs feriebat illas corollas, ac perfundebat splendore. Bene agnoscebam, non esse Deum, nesciebam tamen, quis taliter adveniret: quando tamen illum attentè aspexi, agnovi esse speciosissimum Seraphinû. Post hoc vidi Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, qui erat altè elevatus, & appropinquabat ad me. Ego subtimui, & conversa ad meum Sanctum Angelû Custodem, dixi illi: Sancte Angele, quid mihi est hic agendum, aut quid dicendum? Ipse autem, quasi me pacando, respondit: Expecta, nihil opus est agere. Tum Sanctus Pater Ludovicus, velut subridendo, dixit: Nunquamne perdes hos timores? &, attollens manus atque oculos ad cœlum, subjunxit: sed omnia placent Deo. Deinde descendens per aliquot gradus ad pavementum mei cubiculi, dedit benedictionem iisdem illis meis corollis, & acceptas ad manum est osculatus, reposuitque suo loco. Interrogavi meum Sanctû Angelum Custodem, quem in finem Sanctus Pater Ludovicus benedixisset eas corollas, quandoquidem ipsi jam virtutem communicaverit Sanctus Seraphinus, dum illas suis attingit radijs. Respondit mihi meus Sanctus Angelus: Adverte, magnus Deus noster comunicat nonnulla privilegia Sacerdotibus, quæ non communicavit An-

gelis, quale est, conferre virtutem rebus materialibus, ut per eas fugentur demones, sedentur tempestates, curenturque morbi. Et quia is, cui datura es unâ ex illis corollis, omnia hæc incommoda experitur in longo itinere, quod illi imminet, voluit Deus, ut hic Pater, qui fuit Sacerdos, & Sanctus, ijs impertiretur suam benedictionem, propter quam illis Divina Majestas, virtutem indidit contra omnia prædicta pericula. Converti me tum ad Sancti Patrem Ludovicum, sed non vidi illum amplius, quia abiverat. Indolui, & Sanctus Angelus mihi dixit: Abiit, quia ex his spiritualibus derivatur debilitas in naturâ, & nè tua nimium atteratur, cum sis nimè valde infirma, non vult, visitationes esse multum diuturnas.

Postea die Dominicâ, decimâ tenâ Aprilis, redijt ad me invisendam Sanctus Pater Ludovicus, & ego confugiens ad Deum dixi: Quid est hoc Dominè? quomodo me iste Sanctus tam frequenter visitat? Patiôrne fortasse, mi Deus, hac inter aliquam illusionem? Dominus respondit: Expecta; statimque cum majestate & gravissimâ autoritate subjunxit ista verba: Hoc tibi sit signum, non esse alium quam me, quod nunquam sancto meo sis cœnta timore: quibus verbis mea anima fuit reddita adeo serena & pacata, ac tam cœnta, esse veritates Divinas ea, quæ mihi eveniunt, ut existimem, me de ijs nullatenus posse dubitare. Ipse sit millies benedictus Amen.

Is, quem hac Virgo in præsentii scripto insinuat, & cui una ex illis benedictis corollis data, fuit Joannes de Haro qui tum sibi in Indias, futurus Gubernator Portus Divinæ Fidei, sub finem hujus ipsius anni sexcentis viginti quinti, egerit, abunde est directum per totam Hispaniam, fuitque saluè obire in Aula. Et quantum illi profuerit spirituale acceptum à Venerabili Matrona, constat ex ipsiusmet epistola ad eandem Virginem, cujus authenticum autographum est in mea manu, quod hic ad gloriam Dei, & Fidelium referam, estque ad verum tale.

JESUS

JESUS.

Omnes meæ molestiæ, Domina, mitigantur, dum solummodo considero, me à Tua Dominatione protegi. Jam mihi id hac occasione patuit: siquidem sanctæ tuæ preces effecerunt, ut evaderem victor, vitæque conservarem, quod fuit evidens miraculum. Quamvis enim mihi fuerint insidiosa quatuordecim vulnera, & quædã prorsus periculosa, non corripuit me tamen febris: quanquam cibum sumam tantum unciatum, & quidem salitam bubulam, ac panem ex herbarum radicibus confectum, & aquam bibam valde infalubrem. Scribo fusè meæ sorori, ipsa referat omnia,

quæ ego propter occupationes meas non possum. Tua Dominatio sit mei, per amorem Dei rogo, singulariter memor, & ego per omnem vitam recordabor, me esse tuum obedientem filium. Domina meæ Elisabethæ exosculor manus, eamque obsecro, ut mei meminerit in suis precibus, id quod etiam ab omnibus in hac sancta domo commemorantibus efflagito. Deus mihi Tuam Dominationem servet, sicut desidero, & indigeo. Ex Portu Divite, decimã quartã Februarij, Anno 1626.

Tuæ Dominationis

Joannes de Haro.

Videatur Cap. IX. Libri II.

CAPUT XXXVII.

Concluditur specialibus visionibus, quas habuit de Sancto Patre Ludovico de Ponte.

Visio, quam nunc describo, accidit sequenti Majo ejusdem anni sexcentisvigesimi quinti, dum à suo Confessario jussa fuit jurare, in processu pro canonizatione Venerabilis Patris Ludovici de Ponte. Testimonium, quod Virgo dedit, sibi fusè refertur: hic solam breviter annoto, quæ illi antecedenter evenerunt, & ab ipsa his verbis recensentur.

Cùm meus spiritus in magna versaretur obscuritate, & vehementer timeret, exequi, quod illi fuerat mandatum, ut præstaret juramentum, quadam occasione urgentissimæ necessitatis, & gloriæ Divinæ, meiq; timores me multum redderent perplexam, siquidem juramentum concernebat res extraordinarias, vidi Sanctum Franciscum Xaverium, & Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, cum quatuor Angelis, qui ipsos comitabantur. S. Franciscus Xaverius me peramanter est intuitus, & auferens omnem obscuritatem, quam in mea anima patiebar, replensque illam clarâ & serenissimâ luce, dixit mihi: In tuo juramento hæc, & hæc dices, quæ ego omnia conjeci in chartam, & cogitans, non futura plura, cessavi à scriptione. Sed paulò post rursus mihi Sanctus dixit alia, quæ

etiam in eadem charta scripsi. Ad hæc omnia Sanctus Pater Ludovicus nihil loquebatur, nullumque proferebat verbum. Id ego animadvertens, dixi illi. Sancte Pater, quomodo mihi nihil dices de ijs, quæ hic audis? Sanctus Pater agnovit meum spiritum, & cur sibi hoc dicerem, responditque mihi: Non possum obsistere Divinis veritatibus, quas iste Sanctus loquitur. Tum S. Franciscus Xaverius statim dixit: Deus est summa veritas, ideòque nec potest fallere, neque falli.

Interea se Sanctus Pater Ludovicus ad me vertit, & dixit mihi, quàm amantissimè: Quomodo vales Soror, quomodo tuus spiritus est constitutus? Pessimè sum, Sancte Pater, constituta, inquebam, pessimè: versor in summis timoribus. Sanctus Pater mihi, prout faciebat, cùm viveret, respondit, repetendo verba, quæ mihi Deus aliquando dixit, atq; ipse multum ponderavit, & sunt illa: *Do tibi in signum, me esse, qui tibi loquor, quod nunquam sis caritura meo sancto timore.* Quiesce, ajebar, Anima in tuo Deo, concedit enim tibi suam pacem, & quietem. Licet verò te interdum visitem, non facio id tamen sæpius, quia mihi non adhibes omnem fidem, quã posses, propter tuos consuetos timores.

T 3

Magno

Magno me hæc verba affecerunt pudore, & proposui emendationem, quanquam languidè. Hi autem Beati Sancti mihi valedixerunt, & rogaverunt duos Sanctos Angelos, ex ijs, quos secum adduxerant, ut manerent apud reliquos meos Dominos Angelos, & apud me, quod fecerunt, atque etiamnum apud me manent. Videtur mihi esse impossibile, non credere, quòd hæc veritates sint Divinæ, quia ex omnibus prædictis magnum sum affecuta lumen. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

Pergit Virgo referre aliam visionem ejusdem mensis May, & sic ait.

Post hoc vidi quadam nocte intrantem in meum cubiculum magnam multitudinem Angelorum, ferentium virides ramos in manibus. Rami habuerunt candidissimos flores, & ad eò resplendebant, ut totum cubiculum replerent lumine, spargentes unà suavissimum odorem. Existimavi illos Angelos advenire tanquam comitantes Dominum: non ità verò se res habuit, sed sequebatur iplos Sanctus Pater Ludovicus de Ponte, factò indutus amictu. Portabat in suis manibus cum magna reverentia quoddam vas coopertum velo. Accessit ad me, & cum admirabili gravitate, silentio, atque cœlesti modestia, unxit liquore coloris sanguinei, quem ferebat in vase, meos oculos, nares, manus, ac pedes, formando in dictis his partibus eodem liquore crucem, atque hoc factò discessit cum suo comitatu. Ego obstupui, & optavi intelligere istud mysterium, si Deo placeret. Idem Dominus in me excitavit desiderium, ut id ex ipso humiliter quærerem, quod feci, & Divina Majestas mihi respondit: Angelus tuus Custos tibi hoc dicet. Tum Sanctus Angelus mihi dixit: scias Soror, hunc tuum Sanctum Patrem in vita optavisse, ut adesset tuæ morti, tibi que conferret Sacramenta, quod ipsi Deus ex inscrutabilibus & arcanis judicijs non concessit: voluit tamen, ut te nunc ungeret, ex qua unctione consequeris vires spirituales & corporales, atque in omnibus confortaberis. Hoc mihi fuit dictum à Sancto Angelo, sed nihil intellexi, quando,

vel an citò essem moritura. Fiac hujus magni Domini voluntas, qui sit benedictus. Amen.

Mense Octobri ejusdem anni (licet in medio tempore multa alia viderit concernentia Sanctum Patrem Ludovicum, quæ sunt dicta, & dicentur aptioribus locis) referre quod sequitur.

Die Sabbathi, quæ fuit Sancti Lucae, ingressus est dæmon meum cubiculum, præferens terribilissimam speciem: videbatur mihi habere quosdam paxillos tractos per guttur & caput. Collocavit se coram me, & subito edidit gestum, aci timeret quempiam advenientem. Circumspexi, & vidi Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, cujus præsentia fugavit dæmonem, qui ibi amplius non substitit. Fui visò illo hoste valde afflictà: quotiescunque enim ipsum conspicio, videtur me afflare veneno, quo vehementer labefacta meas vires corporales. Interea me est allocutus Deus, dicendo: Fatigata es, Anima, veni mecum, & quiesces: cumque ipsa præciperet Sanctis Angelis, ut me abducerent, dum nos incepimus movere, Sanctus Pater Ludovicus eà vivacitate, quâ consueverat agere in vita, mihi dixit: Noli hæc ire. Sanctus Pater, respondi, non eo, sed ducor. Tum se convertens ad meos Sanctos Angelos, dixit illis, quàm me deberent ducere. Bene intelligo, ipsos id scivisse, vult tamen Deus, ut inde agnoscam, hunc Sanctum post suum obitum, eam gerere mei curam, quam gerebat, dum viveret.

Ducta sum ad cœlestem Jerosolymam, ubi quasi in medio illarum pulcherrimarum platearum, erat sumptuosum quoddam & speciosissimum palatium, quod habebat frontispicium elegantius, quàm sibi quis possit imaginari. Ingressi sumus per eandem portas, & cum pertransivissemus ad mitandam arcem, incidimus in alias portas, quarum anterior structura erat longe pulchrior & venustior, quàm priorum. Intra vimus illas, & ascendimus ad spatiosissimam aulam, ubi erat Deus Dominus noster, qui me benignissimè excepit, inhiq; singularem exhibuit amorem, dicendo hæc verba: *Sede à dextris meis. Ostendit*

mihî Divina Majestas, quomodo ab ipsa omnes creaturæ dependeant, qualiter illis communicet, atque conservet esse, quod habent. Hoc spectaculum me summo affecit stupore & solatio: existimo enim, visas à me ibi fuisse omnes creaturas productas, & conservatas à Divina potentia, tam rationales, quam irrationales; omnes homines, malos & bonos. Et cum Deo agerem gratias pro tam eximio beneficio, dixit mihi: Omnes creaturæ sunt subjectæ meæ voluntati, sinuntque se gubernari ac duci ad finem, ad quem illas condidi, tantum homo libero arbitrio, quod illi dedi, mihi resistit: & si cadere in me posset dolor, affligeret ipsius ingratitudine. Nihilominus, ut eo modo loquar, quo tu id nunc potes intelligere, complacentia & oblectatio, quam habeo in subjectione voluntatis meorum servorum, omnem excederet dolorem, quo me afficere possent rebelles, si illius forem capax.

Postquam mihi Deus hæc & alia hujusmodi dixit verba, mandavit Sanctis Angelis, ut me circumducerent per totum illud cœleste palatium, & mihi ostenderent, quæ in eo erant. Duxerunt me igitur per portam, quæ erat velut ad latus throni, in quo se ille Dominus manifestabat, & ostenderunt mihi omnia conclavia ejusdem palatij, in quibus mihi videbar invenire ipsum Deum in omnibus existentē. Summa erat elegantia, gloria, & pulchritudo illorum conclavium, nihilque in ijs aliud reperiebatur, quam Majestas Dei, & immani splendoris cæterorum Divinorum attributorum. Perlatratis his conclavibus, fui reducta ad illud primum, ubi se Deus clarius manifestabat, à quo eadem rursus excepta suavitate & benevolentia, sui iussa sedere, sicut antea. Valde sum pudefacta, & erabui, atque taliter repsi per eos gradus, super quos stabat thronus illius magni Domini, & sedendo locum cepti in postremo gradu, intuens ipsum, tanquam attonita, quod viderem illam ineffabilem majestatem & pulchritudinem. Fuit mihi verò præcipue manifestata incomprehensibilis illa infinitas, quæ singulis ipsius inest perfectionibus. Eo momen-

to prodiverunt ex divino ejusdem vultu splendores centies millies clariores splendoribus Solis, à quibus ad me pertingentibus, suavissimâ vi sum ducta ad Ejus Majestatem, cui mea anima fuit archissime unita. Licet autem essem velut submersa in eo Divino Esse, atque in ea Divina caligine, quam explicare est impossibile, & nunquam ullus bene percipit, nisi is, qui illam experitur; videtur tamen anima, ex speciali Dei gratia, sui fuisse compos, & animadvertisse, quid ibi ageret: cognovit verò se eo occupari maxime, quod multa cognosceret de Deo, & ex ea cognitione oriretur gaudium majus, quam dici possit, quodque, licet voluntas ibi excitaret amorem, ille tamen minus distinctè perciperetur, ac esset quasi aliquid gaudii conjunctum, atque cognitioni. Hanc unionem, & ea quæ in illa sentiebam, sum ter experta, post ultimam autem abrepta in profundam ecstasim, fui ab his meis Dominis Angelis reducta ad meum angulum.

Hic me Sanctus Pater Ludovicus de-
noto est allocutus: quamvis enim illum viderim in cœlo, nihil mihi ibi dixit. Hic, ut aiebam, me est allocutus dicendo, quod me direxerit, ut aliâ irem viâ, quia me in quodam transitu expectabat diabolus, atque disposeret, ut illac non pergerem, ne paterer incommodum, quod mihi ipsius conspectus solet adferre.

Aliâ vice mihi comparuit Sanctus Pater Ludovicus, dicens, an vellem secum ire. Ego illi respondi, me velle: postea valde sum mirata hanc meam promptitudinem, cum talia plerumque refugiam. Duxit me Sanctus Pater per quasdam scælas, quæ apparebant angustæ & obscuræ. Distinguebantur tripartito ductu, & in cuiusvis fine erat sedile, cui imminabat iris similis illi, quæ efformari solet in cœlo. Ad terminum postremæ partis graduum patebat ingressus ad cœlestem Jerosolimam, unde prodiverunt ad me excipientes quidam Sancti ex veteri Testamento, quos ego ibi clarè agnovi. Voluerit Deus id fieri, propter devotionem, quâ ex dono Ejusdem Majestatis feror erga Scripturam sacram, præsertim verò Psalmos Davidis.

Hi

Hi Sancti me duxerunt ad conspectū Dei, ubi prostrata capi osculari Divinos eos pedes, atque tum notavi prorsus singulare mysterium: nam itā trium, simulq; unius osculabar pedes, ut in uno deprehenderem tres, atque unum in tribus, id quod mihi Deus tam vivaciter representabat, ut mihi præ admiratione fuerim penitus erepta. Quando ad me redivi, iterum me repeti in meo cubiculo cum Sancto Patre Ludovico, qui, postquam me interrogavit, an intellexissem mysterium illarum scalarum, atque ego respondi, non fuisse à me intellectum, mihi illud explicuit, dicendo, scilicet angustas & obscuras esse viam arctam, quā me Deus eo duxerat tempore, quo mecum in hac vita versabatur, & tribus ijs scalarum ductibus, tribusque iridibus significari, quantum fecerim, fuerimq; passa, & quantum amaverim, pro rata mei profectus; nunc verò meam animam longè altiùs esse progressam.

Post aliquot dies rursus vidi manè Sanctum Patrem Ludovicum, sedentem in quadam velut sella, cum ea modestia & gravitate, cum qua sedere solebat, dum viveret. Salutavit me, dicendo: Creatura Dei, Divina Majestas sit tecum, & cepit considerare quendam libellum exemplū ex suo sinu, atque attentissimè perlustrare, lucentibus ipsi duobus Religiosis Fratribus ex ejusdem Ordine, qui tenebant duas candelas cereas. Hoc non diu egit, deinde advenit alius minor Frater lineatus, qui Sancto Patri adferebat apparatus scriptorium, & humillimè ad ipsum accedens, procubuit coram eo in genua. Tum Sanctus Pater apprehendit calamum, & annotavit quædam in illo mystico libello. Ego me converti ad Deum, petendo ab ipso, quod semper soleo, & abstraxi me, quantum potui ab hoc spectaculo. Verum, Deo meam animam disponente, sicut consuevit, attendi denuò diligentissimè visioni. Sanctus Pater me svavissimè corripuit, ob hanc abstractionem, dicendo: Cessā tandem, Anima, noli, per Dei amorem, taliter agere; & surgens ex sua sede, ac per tres, quatuorve gradus descendens, veniebat modestissimè atque gravissimè

ad me. Ego, quia illum plurimum veneror, cœpi vehementer expavescere, humiliando me. Accessit, dixitq; mihi amarissimè: Accipe, Anima, hunc librum mysticum, & serva illum in tuo corde, est enim tuus. Mea anima fuit modicum turbata, longèq; magis est consternata, quod ipsi accideret difficilè accipere librum ex manu Sancti Patris: verum cum modestè perseveraret in eo mihi offerendo, effecit ut illum susceperem, quem susceptum reposui in meo corde, sicut eram iusta. Hoc peracto Sanctus Pater rediit ad suam sedem, & ego multum mirabar, quod factum fuerat. Cum itā aliquamdiu fuisset constituta, & Sanctus me videret attonitam, dixit mihi: Anima, miraris mysterium, quod vidisti. Volo ergo tibi pro tuo solatio, & quia sic vult Deus, dicere, quid significet.

Scias velim, Majestatem Dei Domini nostri, jam inde à sua æternitate completam fuisse, & completi Divinā suā mente, omnes vias, atque momenta vite tuæ, & status tuæ animæ, ab initio primæ tuæ ætatis. Et quia idem Dominus Majestatis mihi commendavit vineam tuæ animæ, tuamquam suo operario ac ministro, ut illam custodirem, curarem, atque excolerem, ego id perlibenter feci, & quā optimo potui scivique affectu, conando semper itā ipsius gerere curam, eamque colere, ut abundantem proferret fructum, qualis Divina debetur Majestati, quæ illam pro se spectavit. Respondit autem admirabili fructu magnis misericordijs, quibus fuit præparata, & auxilijs sibi collatis, etiāq; respondebit, Divino ipsius aspirante favore, & auxilio. Unde ego specialis fruor gloriæ accidentaliter, pro ea muneris parte, quæ mihi obtigit in ejus cura. Hoc mysterium Deus ipsi voluit indicare istā specie libri, dum illud commisit meis manibus, & ego in eo annotavi, quæ vidisti, ut id significarem, quod ad me spectat. Voluit quoque Divina Majestas, ut tibi à me traderetur, quante tantopere concernebat, siquidem ex operata acceptis beneficijs, & obedientibus vocationibus, atq; inspirationibus tuis & Domini. Istud est, quod vidisti, myste-

rium libri, qui tanto te affecit stupore & admiratione. Age Domino Deo tuo magnas gratias, pro tam multis, & magnis beneficijs, quæ tibi contulit.

Postea se Sanctus Pater composuit ad quoddam spirituale silentium, & mea anima se immerfit secretissimæ & profundissimæ considerationi, expendendo tot ac tanta beneficia, quæ illi Deus ipsius contulit & confert, atque fines, propter quos id Divina Eiusdem Majestas facit. Paulò post Sanctus Pater, expergefactus ex ea quietâ oratione, mihi dixit. Adverte, Anima, Deus Dominus noster, in omnibus rebus, & beneficijs, quæ operatur in animabus suarum creaturarum, habet admirabiles & sublimissimos fines: eorum verò, quæ in te agit, præcipui sunt isti. Primò, quia eâ fuisti à Deo prædita dispositione & naturâ, ut tales tibi præstaret misericordias, exhibet tibi illas ad majus animæ tuæ emolumentum. Secundò, ut inde proficiant, qui nûc vivunt, & post te sunt victuri; utq; ejusdem Majestas glorificetur, & exaltetur in omnibus operibus suis & miserationibus. Tertio, ad consolandam & recreandam tuâ in hoc exilio animam, atq; ad corroborandam & exhilarandam debilem, viribûsq; destitutam naturam, eo prorsus modo, quo mater volens ob necessarium aliquem finem abire à suo parvo filiolo, omnia ipsi dat ornamenta aurea, & gemmas, ut illum abstrahat à dolore & tristitia, quam sentire potest ob ejus abitum, dicendo: Accipe, mi fili, ista omnia cimelia, recrea te illis & exorna: tua enim sunt, & tua esse volo. Atq; sic illû relinquit sese ijs oblectantem, donec revertatur. Itâ magna Dei nostri bonitas, suo modo tecû agit, & cû animabus, quibus sua communicare dignatur magnalia, propter fines concernentes suum honorem.

Dum Sanctus Pater hæc diceret, videbatur mihi in meo spiritu resonare quædam vox hujus alloquij, qualis est, quam reddit echo in amplo & novo ædificio, alibi repetens, quæ in aliò loco dicuntur, quod mihi intentius perpendenti dixit Sanctus Pater: Bene est, Anima; mysterium tamen itâ se habet. Sicut Magister docet puerum discentem, ipsique itâ le-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

ctionem assignat, ut eûdem jubeat omnia verba repetere, quæ ille pronuntiat, quòd à puero melius addiscantur: itâ interdum, suo modo, Deus & Sancti ipsius alloquuntur animam. Deus loquitur, & spiritus percipit, ac audit, quæ dicuntur à Deo, itâ ut existimet, Deum in ipso, & se in Deo loqui. Habet Dominus Deus noster infinitos modos sese communicandi, & tu es multos experta, prout scis. Observa omnia, esto bono animo, & confortata cor tuum in Domino, quia Divina Majestas est tuus Pater, & mihi tanquam famulo suo atque cooperatori; mandavit, ut te inviserem ac adjuvarem, tibi que ejusdem nomine ea manifestarem, quæ tibi adferant solatium, & profint. Quod si hæc pro tua consolatione & satisfactione cum ijs contuleris, qui in hac vita degunt, poteris securissime acquiescere, quandoquidem tuus spiritus in id propendet, ut omnia, quàm optimè potes, conferas cum tuis Confessarijs, quod quidem jam non esset adeò necessarium. Ego tamen id approbo: sic namque agere est virtutis, & boni spiritûs. Nunc, Anima, vale. Sanctus Pater abiit, & ego ob hanc instructionem magno affuebam solatio, mirabarque misericordiam, & sapientiam magni Dei & Domini nostri.

Denique sextâ Decembris nocte, postquam nescio quid comedi, cû mihi quicunq; cibus obit, fui ultra tres horas afflictissima ob dolores stomachi, quibus durantibus conplexi S. Patrem Ludovicum, qui mihi dixit: Quid tibi est, Anima? affligeris. Ego hæc temporaria, & consveta incommoda nihili faciens, illi respondi: Pater vehementissimè opto ac desidero, itâ ut hac de causa ardeam, asse qui veram rationem explendæ Divinæ voluntatis. Hæc ego desideria, dixit S. Pater, à multis diebus in te notavi. Reposui dicendo: Verùm desideria ista sunt inania. Hoc noli, subjunxit Sanctus, noli dicere, Anima: quiesce nunc, volo enim apud te hac nocte manere. Incepit deinde singulari suavitate, quæ tamen plena erat gravitate & autoritate, mihi eximia quæque recensere de cælo, & gloria Beatorum; de pace, unanimitate, satieta-

te, gaudio & læticia illorum cœlestium incolarum, quibus perfruuntur, ac alia admiranda. Atq; ita me recreavit usq; ad horam sextam matutinam, ut quodammodo oblivisceretur meorum dolorum. Dum sit in æternum benedictus. Amen.

CAPUT XXXVIII.

Favores ipsi exhibiti à Deipara Virgine, & mysteria atq; gloriosa ejusdem Celsissimæ Reginæ decora, quæ cognovit.

Prioribus capitibus sum completus favores, huic Sponsæ Christi exhibitos à cœli incolis, & singularem familiaritatē, quā cum ea egerunt. Spiritus enim hujus Virginis tantæ fuit perfectionis, ut Beati viventem adhuc in carne suspicerent, tanquam æternorum jam bonorum compotem. Hæc omnia tantò elucescunt clariùs ex modo, quo cum ipsa egit Beatissima Virgo, & ex gratiis, quas illi contulit, quantò majus inter cœli Reginam, & ejusdem famulos, intercedit discrimen. Patebit id ex spiritali elemosina, quam ab omnibus cœlestis illius Palatii Sanctis accepit, inter quorum dona, quemadmodum Sol inter stellas, illud emittit, quo ipsi Magna misericordie Mater subvenit. Evenit An: 1624. quod famula Dei his verbis refert.

In festo omnium Sanctorum, horis matutinis, Deus mihi, manenti in meo loco, dignatus est monstrare in spiritu solennitatē, quæ eo die in cœlesti Patria celebrabatur, in honorem illorum felicissimorum Civium. Vidi in medio illius S. Civitatis elegantissimum & obstupescendum castellum, cujus portæ patebant, magnā plenum gloriā & decore, instar regij palatii, in quo morabatur Majestas Triunius Domini Dei nostri. Univerfa cœlestis aula videbatur quodammodo ardere divino igne, & festivis luminibus, adeò lucentibus, ut millenos possent illuminare mundos. Audivi exquisitam & amoenissimam musicam syaviū instrumentorum, & vocum Angelicarum: omnia erant plena gaudio, gloriā, & laudibus Dei. Ex isto castello prodijt sollemnissima pompa, in qua geminato ordine procedebant Angeli & Animæ beatæ. In medio gradiebatur Majestas Jesu Christi Domini nostri, procedentium autē agmen claudebat Sanctissima Virgo ejusdem Mater, cum comitatu omnium Sanctarum Virginum, Mar-

tyrum, Viduarum, & Conjugatarū. Cantu, qui interea audiebatur, laudabatur Deus, & Sancti ipsius. Hunc in modum procedentes obiverunt cœlestem Jerusalem tantò spatio, ut à me nequeat explicari, quidem mihi Civitas representabatur amplissima, & velut immense magnitudinem pervenerunt ad idem castellum ubi se omnes prostraverunt, & adoraverunt Deum, agendo illi gratias pro beneficio, quod ipsis ex pura sua bonitate presterat, reddendo eos participes gloriæ, quæ possidebant. Dedit illis Deus suam sanctissimam benedictionem, & Sancti quoque Angeli abiverunt ad suum singuli locum, ac sedem. Observavi, etiam Christum Jesum Dominum nostrum, quæ bonitatem se se prostravisse, & adoratum ab eodem fuisse Dominum, egitq; gratias pro beneficio sibi collato, dum univē sanctissimam ipsius Humanitatem Divinæ Personæ Verbi æterni.

Advenit postea quidam Angelus exi-
premis, ferens in suis manibus pretiosissimam pelvim crystallinam, ornatam auro, & pulcherrimo coopertam linteis. Satis se cum pelvi coram Deo, qui ipsam benedixit, & pretiosum in illam imposuit nummum aureum, qui ineffabili modo, tantum esset unicus, erat simul trinus, representans Beatissimam Trinitatem. Nummus iste mansit in medio pelvis. Angelus prodivit ex Augusto eo palatio, & more eorum, qui colligunt oblata in templo, tulit pelvim ad Sanctissimam Virginem Dei Genitricem, cujus Majestas in eam imposuit elegantem aureum nummum splendens instar Solis. Deinde omnes cæteri Sancti singillatim obtulerunt nummum aureum, alij majorem, alij minorem, juxta suam quæque conditionem. Peractâ oblatione, Angelus tulit oblata ad Deum, quæ ejusdem

Majestas consideravit, multumque sibi in
ijs complacuit, & mandavit eidem Sancto
Angelo, ut illa mihi exhiberet videnda, &
meis Dominis Angelis, apud me manen-
tibus. Ijs visis mei Domini vehementer
sunt mirati illorum pretium, & fuerunt su-
pra modum exhilarati: ego pariter sum ga-
vifa, licet tum ignorarem mysterium. San-
ctus Angelus retulit pelvim ad cœlum, &
præsentavit ipsam Sacratissimæ Personæ
Spiritus Sancti, qui se dignatur vocare
sponsam hujus vilissimæ suæ famulæ. Hoc
facto, & post unum propè diem elapsum,
mihi Dominus declaravit mysterium eo-
rum nummorum aureorum, dicendo: Ani-
ma, nolui te ex hac solennitate abire va-
cuan, & absque magno lucto. Noveris
igitur, illos nummos à Sanctissima Virgi-
ne Maria, & Sanctis oblatos, esse symbo-
lum orationum, quas in Divino meo con-
spectu pro te eodem die obtulerunt. Non-
ne verò, aiebam ego, mi Deus, semper pro
me orant: Ità est, respondit Dominus: sed
hac die erant prorsus speciales, & affectuo-
sæ preces, quas pro te mei Sancti fuderunt.
Benedictus sit Deus in omnibus operibus
suis. Amen.

*Sequens gratia ipsi fuit præstata decimâ O-
ctobris, anno sexcentesimo vigesimo quinto,
quam ita recenset.*

Decimâ hujus manè vidi descenden-
tem, ad meum paupertinum cubicellum,
Augustissimam Cœli Reginam. Confugi
celeriter ad Deum, more solito, & rogavi
ipsum, nè me sineret decipi, sed doceret
suas sanctas veritates, & exequi suam vo-
luntatem. Deus autem me compulit eâ
svavitate, quâ aliàs, ad videndam ac audi-
endam, & alloquendam eam magnâ Do-
minam. Veniebat eum summa majestate,
& copioso comitatu Angelorum, atque
multarum cœlestium Virginum, quarum
dispar erat statura & habitus. Latera ipsius
stipabant duo gloriosi Patriarchæ, S. Do-
minicus, & S. Ignatius de Loyola, qui su-
stentabant manibus fimbrias veli, quo erat
tecta illa Regina cœli. Dixit mihi, se ve-
nire ad benedicendas mihi corollas preca-
torias, quas ante me habebam, & de qui-
bus me Sanctus meus Angelus præmo-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

nuerat, quo jubente ibi fuerant posita.
Itaque illas ex eo alto loco, unde me allo-
quebatur, benedixit in nomine Patris, Fi-
lij, & Spiritus Sancti, relictisque illic duo-
bus Sanctis, S. Dominico, & S. Ignatio, de-
scendit per duos circiter, tresve gradus ad
locum, in quo ego manebam, vehementer
confusa, eò quòd me majestas illius ad-
mirandæ Principis ad summam pertmove-
ret venerationem. Verùm ipsa benignis-
simè & amantissimè elevavit unâ manu
meum caput, quasi me amplexando, dixit-
que mihi: Deus te protegat, amica mea;
alteram autem posuit super corollas, con-
tractando omnes, atque subjunxit, se non
solum istis velle impetiri benedictionem,
sed etiam alijs clavis in cista, reposita in
parte interiore domus: atque conversa ad
meos Dominos Angelos, dixit uni ex ipsis,
qui appellatur *Fortitudo*, ut eas adferret.
Ivit, statimque allatas imposuit suo dextro
brachio, ubi Sanctissima Virgo ijs dedit
suam benedictionem, sicut prioribus. De-
inde Sanctus Angelus easdem singillatim
porrexit eidem Dominæ, quas ipsa suis
contractavit manibus, attingendo omnes
globulos. Post hoc dixit, melle corollis,
& singulis earum globulis virtutem con-
tra demones, & morbos, quos illi procu-
rant, perturbando & alterando humores.
Discessit magna hæc Domina mihi valedi-
cendo, & cum eo sacro comitatu redijt ad
cœlum.

Rursum vigesimâ septimâ Decembris,
eiusdem anni, vidi eminentem hanc Præcel-
sam Dominam ad me venientem cum suo
sacratissimo filio, quem parvulum gestabat
in ulnis, comitante ipsam purissimo spon-
so Sancto Josepho, & innumerabili multi-
tudine Angelorum, qui admirabiliter can-
nendo laudabant Deum, gratias illi agen-
do pro singularissimo beneficio, præstato
generi humano, dum nostri causâ factus
est homo. Eâ conspectâ non solum expa-
vi, sed etiam vehementer sui turbata & af-
flicta, atque mei timores vires suas cæpe-
runt exerere. Ideirco, dum jam appropin-
quaret, ipsi dixi: Noli, mea Domina, noli
id facere, noli, mea Domina; sum enim
peccatrix indigna tantâ gratiâ; quæ verba
solicite

solicite iterabam, ob meam magnam afflictionem, donec à Deo pacata conticui. Benignissima cœli Regina ad me accessit, & dixit mihi: Accipe, amica, accipe hunc Dominum, quem unice diligis; adora ipsū, & solare te eodem, atque oblecta. Cū id diceret, collocavit illum in meis ulnis, & Sanctissimus Puer me singulari amore & charitate est amplexatus. Adoravi ipsū, tanquam Deum & Dominum meum, osculata sum ejus manus, & gratias illi egi pro collato nobis beneficio. Subito fui mihi aliquantum erepta, & existimo Divinum Puellum permansisse unitum meo cordi. Postquam ad me redivi, licet ipsū haberem in corde, reperi tamen illum etiam in brachijs. Tum ad me accessit gloriosissimus Patriarcha Sanctus Josephus, qui acceptum reverentissime ex meis ulnis Sanctissimum Puerum, reposuit ad ulnas Sanctissimæ Matris. Interea nubecula aurea, quæ inter utramque Majestatem & me intercesserat, subduxit meis oculis illud gratiosum mysterium.

In festo deinde Sanctorum Regum, postquam mihi Deus spectanda exhibuit mysteria illius diei, quæ alibi descripsi, adivi cum singulari veneratione & reverentia Sanctissimam Virginem, dixique illi: Domina mea, hodierna dies est ex præcipuis festis Ecclesiæ Catholicæ, obsecro Tuam Majestatem, ut tam solemnī die mihi largiri digneris strenam, atque aliquam præstare gratiam meis Confessarijs, & mihi. Celsissima Regina mihi peramanter respondit, dicendo: Libentissime satisfactionem tuæ petitioni, & imponendo manum ad suum sinum, exemit tres splendidissimos nummos aureos, singulos magnitudine exæquantes dimidium nummum Imperialem, ac dixit: Soror, accipe hos tres nummos aureos, qui sunt symbolum charitatis erga Deum & proximos, ac distribue, ut singulis unus obveniat. Fui turbata, cū viderem, ab hac Domina exponi eos nummos, sed coacta sum illos acceptare, quos sinistra manu fortiter compressi, quæ plerumque expeditius utor. Egi gratias, quantas potui, Ejus Majestati, pro beneficio mihi præstito. Sanctus meus An-

gelus Custos, ad me accessit, ut ipsos acciperet. Nequaquam, agebam ego, Domine Angele, non sunt omnes mei, sed unus tantummodo. Da mihi omnes, respondit ipse, quia duos tradam Angelis Custodibus tuorum Confessariorum. Dedit ei illos, & Sanctus Angelus fecit, quod dixerat. Quando sum ad me reverta, reperiri me in meo angulo. Hoc evenit sexta Junii, anno sexcentesimo vigesimo secundo.

Eodem anno, decima tertia Augusti, me Dominus vocavit, & dixit mihi: Veni Anima, videbis festum, quod in cœlo celebratur Beatissimæ Trinitatis, in honorem meæ Sanctissimæ Matris. Fui statim, ut ut non possem resistere; ducta ad cœlum, & eonspexi in throno, super omnia, quæ possunt cogitari, splendidissimo ac pulcherrimo, summam Majestatem Trinitatis nostri magni Dei. Non vidi ipsū in specie corporea, sed cognoscebam intellectualiter ejusdem Essentiam, Personas, & perfectiones. Vidi deinde procedentes et suis sedibus novem choros Angelorum, singulos seorsim, & Deus mihi manifestavit naturam, potentiam, & perfectiones cujuslibet chori, unaque discrimen, quod inter illos intercedit. Aderant supra modum compositi & speciosi, omnes armati, & non gerebant arma super vestes, sed erant eisdem armis miro modo induti, tanquam vestibus. Fuit verè celeste spectaculum festivus ille, tam splendidus, & magnificus ornatus. Singuli Chori procedebant ordine geminato, circumeuntes illam orbem Civitatem, donec integrum circumferrent circumulum. Post hoc se prostraverunt coram eo augusto throno, adorantes in illa Majestatem Omnipotentis Dei. Attribuebatur ea solennitas specialiter Personæ Beatæ Trinitatis æterni, cui universi accinebant divinas laudes dicendo: Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus exercituum. Postquam id fecerunt Angeli primi Chori, & eodem ordine processerunt Angeli Chori secundarii, & gens me invasit desiderium, ut cum ipsi cantarem, eademque verba dicerem, perurum non audebam. Tum meus Sanctus Angelus Custos agnoscens meum affectum, mihi dixit: Bene potes canere.

age cum omnibus, quod omnes dicunt. Feci id, repetendo eadem verba. Similiter sunt progressi reliqui Chori.

Singuli, post exhibitum eum honorem Domino Majestatis, se conferebant ad honorandam gloriosissimam Virginem. Hæc magna Domina se debat in alio pulcherrimo throno, qui mihi æquè elegans & celestis apparebat, ac prior, præterquam quòd non spiraret occultam quandam Divinitatem, & nescio quid ineffabile, quo alter erat exornatus. Præbebat se hæc Præcellsa Regina spectandam adeò formosam, adeòque indicibili gloriâ præditam, ut in animo meo dicerem: Quamvis in hac celesti Patria nihil aliud possideretur boni, quàm visio hujus gloriosissimæ Dominæ, millenis nobis esset laborandum annis, ut tam incomparabili bono frueremur.

Peractâ representatione cultûs, qui illi ab omnibus ijs cœlestibus Choris exhibebatur; conplexi in quodam loco earum platearum, aliquantum eminus, ferocissimum quoddam animal simile tauro, ibi discurrens, & edens gestus, ac si quempiam impeteret cornibus, & versaret per aërem, quamvis neminem viderem feriri, tantumque omnia desinerent in fictione, quia nullus aderat qui feriretur. Stupebam visio hoc spectaculo, & dicebam intra me: quid est hoc? si est diabolus, quomodo est in cœlo? si verò non est, quem potest hæc bestia significare? Dominus agnitis meis dubijs mihi dixit: Non est diabolus, sed quædam figura superbiæ, obstinationis, & illusionis, de qua referetur victoria, cellura in honorem meæ Sanctissimæ Matris.

Ipsè sit benedictus. Amen.

CAPUT XXXIX.

Manifestat illi Dominus mysteria Conceptionis suæ Matris, ejusdemque præsentationem in templo, & alia.

M

Ultra de ijs, que Dominus huic suæ famule manifestavit, pertinentia ad mysteria Sanctissimæ suæ Genitricis, præsertim purissimam ipsius Conceptionem, fuerunt scri-

pta in prima parte hujus historia: hic referam, que deinceps de ipsâ intellexit, ac discaravit Patri M. Fr. Andrea de Ponte, Ordinis Prædicatorum, cujus charactere & manu propria, ex ore Virginis, conscriptas habeo chartas. Fuit Venerabilis hic Vir germanus Sancti Patris Ludovici de Ponte frater, & unus ex Confessarijs, de quo ipsa multoties loquitur. Cum eo P. Michael de Orenja partiebatur laborem, & absens omnem illi committebat curam, de spiritali ipsius Virginis profectu. Ità verò, loquens de anno sexcentesimo vigesimo quarto, ait.

His diebus, nihil penitus hac de re cogitans, quamvis meo more vacarem orationi, conplexi Virginem Dominam nostram, & juxta ipsam, eidemque valde vici-

num Divinū fulgentissimū Solem, cujus radijs illustrabatur. Conata sum me, propter consuetos meos timores, abstrahere ab hac visione, sed non potui. Vidi, quomodo ille Sol occupaverit hanc Dominam, & in se transformaverit, eum in modum, quo ignis occupat ferrum, ut totum videatur in se ipsum transmutare. Fuit Virgo tantâ claritate & splendoribus repleta, ut à me videri desierit. Expendebam meditabunda hoc mysterium, & optabam scire, quid significaret. Tum Dominus mihi dixit: Scias velim, Anima, corpus meæ Sanctissimæ Matris in visceribus Sanctæ Annæ, consueto & naturali modo fuisse formati, quo cætera corpora humana, verum celerius, & longè breviori tempore: cum autem esset ultimè dispositum, ut informaretur ab anima, eo ipso momento, eodemque instanti, quo anima creata illud informavit, plenam quoque fuisset gratiâ, ac donis Dei; atque à Divino Sole admirandis illustratam splendoribus, dum eam reddi-

dit Dei-formem, ipsique contulit usum rationis, ut jam tum subito inceperit mereri. Istud est mysterium, quod vidisti.

Postea die Dominicâ vigesimâ quartâ Novembris, rursus conspexi hanc Augustissimam Dominam, quæ mihi dixit: Veni mecum, Soror, & videbis mirabilia. Et verò me initio, ob meam verecundiam ac timores, excusaverim, nihil mihi tamen id profuit. Duxit me ergo ad cœlestem Jerusalem, ubi eo die celebrabatur solennissimum festum, cui me Sanctissima Virgo voluit adesse. Audivi suavissimam musicam Angelorum, quæ tota referebatur ad laudem magnæ istius Dominæ. Erat ingens lætitia, & gaudium illius cœlestis Aula. Videbantur mihi ex altitudine ad solum ejus cœli decidere quædam velut stellæ fulgentes, etiâque ad terram nostram cadebant cœlestes rores & influentia. Regina Cœli fuit gloriosissima, & lætissima; cecinit duos versus ex Cantico *Magnificat*, quorum unus erat: *Quia respexit humilitatem ancille sue: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Gratias tum egit Patri æterno pro collatis sibi beneficijs, dum est concepta sinè originali peccato, ipsamque elegit in matrem sui filij. Angeli deinde cecinerunt: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Peractâ solennitate me reduxit ad meum angulum. Dominus mihi dixit, diem illum esse in cœlo solennissimum, eò quòd eodem Archangelus Michaël vicerit Draconem, qui vehementer impediabat cultum conceptæ absque labe originali Sanctissimæ Virginis: fuerit verò sublatum grande quodpiâ piz opinionis obstaculum.

Anno sexcentesimo vigesimo quinto, septimâ Decembris, in vigilia festi purissimæ Conceptionis, & diè gloriosissimi Doctoris Sancti Ambrosij, mihi apparuit Regina Angelorum, cum hoc Sancto Doctore, & dixit: Vide, Anima, adduco hîc Ambrosium, qui est meus amicus. Et cum hoc diceret, elevavit ipsius Majestas brachium, atque cum magna charitate imposuit humero Sancti. Vidi clariùs, quod à me superius dictum est, ipsam non solum in eo primo instanti incepisse, accelerato

usu rationis, mereri, sed etiam confirmatam fuisse in gratia. Ostendit mihi Dominus statum illius Celsissimæ Reginæ, & vidi eam tam plenam divinis donis, ut me reddiderit attonitam. Postquam cessavi contemplari hoc mysterium, benignissima ista Domina accessit ad me, & dixit mihi: Soror, nolo te irâ abire, ut non accipias ex meis manibus aliquod munus. Detrahe Ejsdem Majestas contortum aureum anulum, nigro, & alio præterea colore caustico distinctum; cumque peteret meam manum, extendi sinistram, & Sanctissima Virgo tum dixit: Da mihi dextram. Extendi illam, & ipsamet Ejus Majestas inseruit anulum in meum digitum proximum minimo, quem is penetravit. Subjunxit hæc Domina: Istud est signum, quod brevi sis migratura, simisque nos visitura in cœlo. Jam autem scis, breves Dei moras esse diuturnas: noli turbari, ideo enim tibi Deus non manifestat horam ac diem tuæ mortis, nè te conturbet. Hoc mihi Sanctissima Virgo dixit, quia me jam desiderabam diligenter præparare, ac disponere ad bene moriendum. Discessi à me ipsius Majestas, datâ mihi suâ benedictione: petij ab illa gratiam pro ijs, qui se mihi commendaverant, & dixit mihi, se ipsi gratificaturam.

Postridie, octavâ ejusdem mensis, qui celebratur festum hujus Dominæ conceptæ absque peccato originali, vacabam meæ consuetæ orationi, atque permota cogitatione & apprehensione, quam de meo habeo defectibus, meaque miseria: rogabam Deum magno affectu, ut me juvaret, illuminaret, ac suo meam animam accenderet amore. Præter hos affectus, se immoebant alij, ut Divina Majestas respiceret ipsam Sanctam Ecclesiam, ipsique largiret victoriam contra hostes Fidei. Crevit devor usque adeo, ut ipsum etiam corpus avoreretur, & acli mei essem impositus, magnam exporrigebam brachia, quasi conatus apprehendere, quod desiderabam. Tum conspexi ante me Jesum Christum Dominum nostrum affixum cruci, & quantum appareret tanquam mortuus, habere caput profundè inclinatam, quam ob causam

fam, & quia parte aliquâ tegebatur à sacro suo capillitio, non poteram integrè videre Divinum illius vultum; nihilominus me Ejus Majestas solabatur, interrogando, quæ me cura angeret, atque invitando, ut accederem, & in ipso quiescerem. Ego illi commemoravi graves meæ animæ, & Sanctæ ipsius Ecclesiæ necessitates. Ut me consolaretur, refixit unum brachium à cruce, quo mihi videbatur multa completi, unde arguebam, fore, ut nobis præstet, reconciliatus hominibus, aliquam misericordiam. Dixi igitur: Bene id intelligo, mi Domine, licet mihi à Tua Majestate ad eodè tacitè & ænigmaticè dictum fuerit. Jussit me deinde appropinquare ad suos sacros pedes, ad quos prostrata, ut eos oscularer, sui ab Ejusdem Majestate ducta ad cælestem Jerosolymam, ubi totam illam sanctam Civitatem vidi festivè singulari apparatu, & insolito splendore exornatam.

Celebrabatur mysterium Sanctissimi Sacramenti, quod vehementer mirabar, cum dies aliam mihi videretur exigere solennitatem. Erat in cælo ara quadrata, magnificentissimè instructa, & super illam elegantissima hierotheca, continens Sanctissimum Sacramentum, in quo, juxta captum meæ animæ, vidi distinctissimè Jesum Christum Dominum nostrum, Deum & Hominem verum, atque in eo totam Beatissimam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Contemplabar hoc sacrum mysterium, ac videbã, & agnoscebam omnia prædicta, absque ullo dubio: aliunde verò mihi videbar non penetrare plene illud Divinum arcanum, neque mihi suppeterent verba, vel modus ad explicandum id, quod intelligebam. Occupata hac notitiâ vidi omnes eos infinitos spiritus Angelicos, & Animas beatas reverentissimè venientes, ad sublimissimum illud mysterium adorandum, & flexis genibus osculabantur primum gradum ex tribus, quibus ascendebatur ad illam magnificentiam aram, in qua erat collocata hierotheca. Vidi præterea, peractâ illâ, ab innumerabili eo numero Angelorum, & sanctarum Animarum, adoratione, acce-

dentem Sanctissimam Virginem Dominam nostram, tot abundantem gratijs, tantâque conspicuam gloriâ, ut excedat omnia, quæ humana potest assequi cogitatio. Procedebat cum comitatu plurimorum Angelorum, & Sanctarum Virginum, atque postquam pervenit ad aram, adoravit demississimè & reverentissimè idem Divinum mysterium, & osculata est omnes tres gradus, quibus consentis procubuit in genua, & collocavit super quoddam velut suppedaneum, cui immediatè insistebat ara, cubitos brachiorum, superponendo suis manibus suum sacrum vultum. Dum id Sanctissima Virgo ageret, representavit se mihi Sanctissima Trinitas aliter, quàm eam priùs viderim in Sacramento. (tum enim videbam tres Divinas Personas, non in figura & specie imaginaria, sicut antea, verum intellectuali, & spiritualissimâ cognitione) atque cepit manifestare magnas virtutes, & singulares gratias, à se illi admirabilissimæ Domine collatas.

Audiebam eas prærogativas, & laudes Sanctissimæ Virginis, sed non satis intelligebam, quod mihi idcirco fieri videbatur, quia longè excedebant meum captum: intellexi tamen bene, quomodo sibi Deus complaceret in Præcessa illa Domina, quanto ipsam prosequeretur amore, quantumque eidem gratularetur gratias ipsius & gloriam, & quòd esset concepta immunis à peccato originali, quòdque Divinus ille panis formatus, & sacrosanctum illud mysterium peractum fuisset in purissimis ejusdem visceribus. Concluserit Dominus omnes ipsius laudes ijs verbis: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* quibus dictis vidi, quòd totum illud sacrum mysterium sese intimè illi Sacrosanctæ Virgini univertit, eamque penetraverit, & hinc tantopere deificata, tantòque pulchrior evaserit & gloriosior, quàm fuerit antea, ut ego quodammodo attonita obstupuerim. Apparuit mihi quædam quasi nubecula referens glaciem inauratam, quæ mihi eripiebat conspectum illius summæ Reginæ, patentibus tantum quibusdam velut rimis, per quas nonnihil, quanquam parum,

tam

tam jucundi objecti poteram discernere. Quia verò anima erat inescata eâ svavissimâ voluptate, quam ex illius aspectu capiebat, ibam huc & illuc, vehementer anhelans ad contemplandam denuò gloriam & pulchritudinem magni ejus thesauri, qui à nubecula obtegebatur. Resonabat tùm dulcissima musica, per universam illam sanctam Civitatem, neque aliud erat videre, quàm solennitatem & gaudia. Solatum, quo affuebam, me tandem mihi penitus eripuit. Quando ad me redivi, licet præcipuum spectaculum præterierit, nihilominus mihi illa cœlestis Aula adhuc apparebat, quasi plena jucunditate, & gloriâ. Inde sum reducta ad meum angulum, ibique fui visitata à svavissima ista & Celsissima Regina, quam toto cordis mei affectu supplex rogavi, ut gereret curam meam animæ, & aliorum, quos ipsi commendavi, specialiter autem præsentium Ecclesiæ necessitatum: atque postquam singulari benignitate se exhibuit promptam, ad præstandum, quidquid petieram, abivit.

Post prædicta, rursùm decimâ tertiâ ejusdem mensis, vidi JESUM Christum Dominum nostrum affixum cruci, atque dum afflictissima ipsi dicerem: Quid est hoc, mi Domine, cum non videatur esse tempus, ut te mihi in hac specie præbeas spectandum? respondit mihi Ejusdem Majestas, ingentem præ se ferens dolorem: Quid me vis agere, cum talia sint peccata horum Regnorum, ut me coram Patre meo crucifigant? Nónne verò, mi Domine, agebam ego, nuperum illud indicium, & brachium tuum refixum à cruce, quod mihi videbatur plurima ad se attrahere, significabat amicitiam, teque reconciliatum esse hominibus? Quamvis non fueris decepta, respondit Dominus, non penetravisti tamen omnia, quæ eo gestu indicavi. Volui tibi significare amicitiam initam cum justis, & finalem reconciliationem cum prædestinatis, ex quibus meam capio oblectationem & voluptatem, quosque foveo, & summo prosequor amore. Alijs autem, dicebam, quid fiet? Peribuntne tam multæ animæ? Respondit mihi Ejusdem Majestas gravissimè: Ego nolo perire ullam a-

nimam, quin imò omnibus præbeo necessaria auxilia, ut consequantur salutem, atque hoc dicto disparuit.

Sequenti anno sexcentesimo vigesimo sexto, octavâ Decembris, quâ festum agitur purissimæ Conceptionis, habuit hæc Dei femina aliam visionem de dulcissimo isto mysterio, quam nobis sic descriptam reliquit.

Die Conceptionis Domine nostræ, sub diluculum matutinû, expendebam quoddam negotium, atque licet concerneret obsequium Dei, ac essem sollicita & assidua, videns non fieri, quod ad majorem ipsius gloriam exoptabam, importunitus tamen hujus cogitationis me reddebat dubiam, ac timebam, nè, quamvis in negotio Divinæ quærerem executionem voluntatis, aliquis quoad me subesset excessus. Ideo me conabar ab illa abstrahere, agendo cum Deo, quæ mihi nihilominus semel & iterum occurrebat. Erat mihi molesta, unde mei Sancti Angeli, consolantes me, dixerunt: Nè te affligas, Soror, quod enim admiscetur, est naturale. Paulò post conspexi Sanctissimam Virginem splendidissimè ornatam, elegantissimè indutam veste, cui admirabiles gemmæ erant intextæ. Fuit prædita usque adeo divinâ pulchritudine, ut abriperet oculos meam animam, & omnem voluntatem. Veniebat, ac si festinaret, dicebatque mihi: Anima, veni mecum, confer te huc. Abvertebam, me coram Ejus Majestate comparere velut laceram, malèque comparatè, ideòque illi respondi: Mea Domina, quomodo tecum sic ibo? Veni Soror, dicit Domina, & apprehenso meo brachio, duxit me secum, non sine magnâ mea verecundia, & verecundia, dum considerarem, qualiter essem vestita, ut mihi, propter venustatem & ornatum Celsissimæ illius Reginæ, quam comitabar, etiam turpis viderer, quàm essem. Duxit me per gloriosos gradus, quos ex alto usque decoriam videbat subtile sustentaculum. Per unam partem ascendebat Ipsius Majestas, & per alteram, donec pertingeremus ad celestem Jerosolymam. Postquam eò pervenimus, patefactum fuit celum. Magna Domina est ingressa, & introduxit me.

cum, atque relinquens me valde erubescens & confusam, quod me viderem tam viliter indutam, abiit ad suum locum, & sedem.

Angeli in ceperunt cœlesti melodiam celebrare festum purissimæ Conceptionis hujus Domine. Accinebant laudes Domino Deo, gratias ipsi agendo, propter beneficium mundo præstitum, inchoatâ hodie nostrâ redemptione. Addebant quoque laudes & cantica in honorem Virginis, quæ musica fati diu duravit. Venerunt deinde ad me Domini mei Angeli, & cum illis S. Pater Ludovicus de Ponte, ac dixerunt mihi: Divinus sponfus mandat, ut te ducamus ad regia ipsius conclavia & penetralia. In istone, respondi, vestitum ducenda? Omnino, rejebant, ita enim jubet Dominus. Introduxerunt me in augustum palatium, & in aulam plenam gloria atque majestate, ubi aderat Sacratissima Persona Spiritus Sancti. Dum illuc venimus, dixit Divina Majestas Angelis: Mundate, & exornate hanc animam, ut ad me accedat. Domine noster, responderunt, munus hoc mundandi spectat ad Sanctum hic presentem. Bene est, dixit Dominus, bene dixistis, fiat id ab ipso. Accessi ad Sanctum Patrem Ludovicum, procubui, compositis manibus, in genua: Sanctus Pater stans, elevatis in altum oculis, & manibus junctis, dixit orationem, quam non intellexi, imposuit deinde manus meo capiti, ac tum mihi dedit benedictionem. Angeli me more solito, statim exornaverunt pretioso vestitu, cimelijs, torque, & coronâ. Divinus Spiritus me peramanter est intuitus, dixitque mihi latine: *Tota pulchra es, amica mea, sede à dextris meis.* Confessi ad latus illius summi Domini, ubi meam animam occupavit quidam velut somnus, & reclinavi me, ut sic dicam, super genua Domini. Loquor taliter, quia hac vice non vidi Spiritum Sanctum in figura humana, sed aliter, & in specie spiritualissima. Ibi anima consopita fruebatur Divinis mysterijs, & amirandis rebus, quæ nequeunt verbis exponi, sed sentiri. Hunc in modum fui diu constituta. Inde quodammodo evolavi, uniendi me intimè

Vita Mar. de Escob. Pars II.

Deo, ubi remansit superior pars animæ, etiam postquam fui reducta ad meum angulum.

Eodem die, priusquam me Sanctissima Virgo, sicut dixi, abduceret, Deus mihi denuò manifestavit mysterium purissimæ ipsius Conceptionis, immunitis à macula peccati originalis, cum cæteris, quæ a ibi scripti, atque addidit, primam gratiam eidem collatam in illo primo instanti, quo anima fuit unita corpori, fuisse majorem, quàm habuerint Angeli vel Sancti, & hanc deinceps semper crevit.

Non vult dicere, primam gratiam collatam Sanctissimæ Virgini in instanti Conceptionis, fuisse majorem quacunque aliâ gratiâ, quæ data est Angelis vel hominibus, id enim satis erat indubitatum, neque à Deo diceretur tanquam aliquid speciale: sed primam hujus Virginis gratiam in Conceptione fuisse majorem omni eâ, quàm Angeli, & Sancti per decursum meritorum sunt consecuti. Hactenus verba sunt intellectu facilia, expendantur tamen bene à Lectore: meo namque tenui iudicio adhuc amplius significant, quod nempe hæc magna Domina Dei Mater, non solum plus habuerit gratia in suo initio, quàm quicumque Angelus aut Sanctus divitè in suo fine, verum etiam plus, quàm habuerint omnes collectivè: hoc est, quod in sua Conceptione non tantum amplius habuerit gratia, quàm Sanctus Michaël, vel Sanctus Joannes Baptista, quando cessaverunt mereri, idemque est de singulis reliquis intelligendum, sed amplius quàm omnes simul sumpti; ad id ut, si quis unum lancium imponeret gratiam omnium Angelorum ac Sanctorum, & alteri primam eam gratiam Augustissimæ Regine nostræ, hæc præponderaret. O quousque postea fuerit progressa, dum in momenta gloriosissima ipsius vite crevit in immensum!

Mysterium presentate hujus Domine in templo, & alia Deus illi etiam revelavit anno sexcentesimo vigesimo quarto, quod Venerabilis Marina his describit verbis.

Biduo ante festum Præsentationis, dum vacarem orationi, vidi hanc Dominam, quæ mihi dixit: Veni mecum, Soror, ostendam tibi, & videbis admiranda. Domina mea, respondi, posset me Tua Majestas

stas ducere ad videndum infernum, quod mihi proderit, ut videns quid ibi fiat, me impendam emendationi meæ perversæ vitæ. Nequaquam, nequaquam, dixit Sanctissima Virgo, hoc non est necessarium. Duxit me Eiusdem Majestas ad templum, ubi à suis Sanctissimis Parentibus fuit Deo præsentata. Ibi vidi quindecim gradus, quos mea Domina conscenderat, & spectavi ipsam gradatim ascendentem. In primo gradu tales elicit actus resignationis in Divinam voluntatem, & amoris Dei, atque oblationis sui ipsius, ut plurimum ijs promeruerit; in secundo, pariterque cæteris gradibus actus, & merita mirum in modum creverunt, & quando pervenit ad supremum, videbatur mihi eminentissimus esse excessus gratiarum.

Deinde mihi hæc magna Domina ostendit mysterium suæ Virgineæ Desponsationis cum Sancto Josepho. Ibi illam vidi plenam gratijs ac donis cœlestibus, & majoribus auctam meritis, respondentibus singulari obedientiæ, quâ se Divinæ subiecit dispositioni ineundo conjugium. Actus hic obedientiæ fuit in purissima Virgine specialis meriti, Deoque acceptissimus. Monstravit mihi etiam, quomodo se in Divini Verbi Incarnatione submitserit nuntio Angeli. Vidi, quâ ratione præbendo consensum, & pronuntiando illud fiat, talibus cumulata fuerit gratijs & prærogativis, ut omnem superent facundiam, atq; exaggerationem. Exhibuit mihi postea

spektandum modum, quo suum Divinum Filium in templo præsentavit, & collocavit in ulnis Sancti Iosephi, qualiterque eum dedicaverit Patri æterno, offerendo ipsum pro genere humano, & quomodo, cognoscens Sacrosanctum Filium, pro redemptione nostra morturum in cruce, illum promptissimâ obtulerit voluntate: quo actu longè amplius promeruit, quàm omnibus prioribus actibus. Ostensum mihi consequenter fuit mysterium, quando amisit & invenit Divinum Patrum in templo, ubi elicit excellentissimos & ferventissimos actus resignationis in Divinam voluntatem, tolerando interea acerbissimos dolores & afflictiones, æquales gaudio, quod eo invento habuit. Tum illi multò prædictis majora accreverunt merita. Tandem fui ab hac magna Domina ducta ad pedem Crucis, ubi cum singulari dolore, & pari magnanimitate atque promptitudine Patri æterno suum filium pro remedio mundi obtulit in sacrificium. Hic tantum fuit, tamque ineffabile ipsius meritum, ut gratia, quâ eo die fuit repleta, excederet illam, quam omnibus junctim actibus recentis obtinuerat. Post hoc me Celsissima Regina secum duxit ad cœlestem Jerosolymam, ubi eam vidi tantâ repletam gloriâ & splendoribus, ut sicut Sol stellas, ita ipsa omnium reliquorum Beatorum gloriam videretur superare. Deus sit illius, iterumque milles benedictus. Amen.

CAPUT XL.

Prosequitur, quæ vidit de mysterijs, & gloria hujus Præcellæ Dominæ.



Instituens eidem argumento, concernenti multas Deiparæ Virginis prærogativas, & favores, quos ab ea obtinuit hæc ejusdem Domine famula, & dilecta filia, ita vigesima quinta Marty, anno sexcentesimo vigesimo quarto, scribit.

In festo Annunciationis meæ Dominæ, dum ante Solis ortum essem collecta, mi-

hi meus Sanctus Angelus Custos dixit: rotor, dispone te, quia Deus tibi hodie vitæ præstare aliquam gratiam, sicut contulerat. Post aliquot horas conspexi Sanctissimam Virginem in eâ ætate, & ita custoditam, sicut fuerat, dum est salutata ab Angelo, tam venustam, speciosam, & gratijs plenam ac donis cœlestibus, ut nullis possit verbis explicari. Audivi suam Archangelum Gabrielem, qui ipsi

singulari reverentiâ, nomine totius Beatissimæ Trinitatis, nuntium exponebat. Videbatur mihi tota cœlestis Aula, tam Deus, quam ipsius Angeli, animo quodammodo, ut loqui solemus, suspensio præstolari illud *fiat* ex ore hujus Sanctissimæ Virginis, pariterque universa terra & homines expectare suum remedium, ut assentiretur. Simul ac ejus Majestas pronuntiavit: Ecce ancilla Domini, fiat &c. vidi in cœlo ingentes plausus & jubilos; audivi cœlestem musicam, & laudes Dei. Atque eodem momento Omnipotens Deus illam purissimam Virginem replevit multis gratijs, & inestimabilibus bonis, transformando ipsam in se, adeo ut videretur esse per participationem quodammodo Deus, & vera ejusdem Dei Mater, tamenti solum Verbum æternum in virginis illis visceribus assumeret carnem. Subito vidi Angelos sese prosternentes, ipsamque tanquam Dominam adorantes. Idem fecit Sanctus Archangelus Gabriel, & provolutus in genua gratias illi egit pro beneficio, quod mundo præstiterat, acceptando nuntium, eique suum præbendo consensum.

Dum spectarem tam grande mysterium, Sacratissima hæc Domina fuit ducta ad cœlestem Jerosolimam, comitantibus ipsam omnibus Angelis (qui me quoque cum ea duxerunt) & præsentata Beatissimæ Trinitati, ubi summo cum gaudio & honore exceptam Pater æternus compellavit dicendo: Filia mea; Filius, Mater & Domina mea; atque Spiritus Sanctus, sponsa mea. Prostraverunt se denuo omnes illi Angelici spiritus in eo cœlo, & specie quadam adorationis ipsam sunt professi suam esse Dominam. Sanctissima Virgo me amantissimè intuebatur, atque advertens, quod & ego ipsi vellem adeptum honorem gratulari, me vocavit dicens: Veni, amica, accede. Accessi, prostravi me, & adoravi illam velut Dei Matrem, & meam Dominam. Sic prostrata circumspiciebam cupiens rescire, an ibi aliqua meæ adesset amica, & conspexi quasdam, quod magno mihi fuit solatio. Postea fui elevata, & osculata sum pedes meæ Augustissimæ Dominæ, cujus Majestas est suis bra-

chijs admodum benevolè amplexata meos humeros. Tum appropinquaverunt meæ amicae adorantes Reginam cœli, eique congratulantes, quæ eundem ipsi exhibuit favorem, quem mihi. Rogavi illam pro ijs, qui se mihi commendaverant, & Ejus Majestas mihi respondit, se meæ petitioni satisfacturam. Hoc factò rapta fui in ecstasim, & quando ad me redij, reperi me in meo angulo.

Aliâ vice vidi hanc Excellentissimam Virginem coram Patre æterno, petentem & supplicantem, ut sibi daret facultatem eundi ad me invisendam, mihi que præstandam magnam gratiam, ad benedicendum nempe meum Oratorium; eò quod in illo peragendum esset quoddam opus mihi à Deo imperatum. Pater æternus ipsi dixit: Filia, & Domina, fiat quod petis, fiat, per me licet. Observavi specialiter, quod appellaretur Domina, cum non loqueretur Filius, sed Pater æternus. Hærebam in meo dubio, & Divina Majestas mihi dixit: Scias velim, Anima, postquam Filius meus humanam assumpsit carnem, inter me & hominem, præsertim verò Virginem, intercedere quandam parentelam, ac proinde benevolentia causa, atque ut doceam, qualis ipsi debeat veneratio. illam voco Dominam. Descendit cœlestis Regina ad meum Oratorium, cum numero Angelotum comitatu, & magna copia Sanctorum, tam veteris, quam novi Testamenti, summa cum majestate & pompa, cooperta grandi velo cæruleo, pretiosissimis gemmis referto. Duas veli ipsius extremitates sustentabant duo Patriarchæ, Ordinis Prædicatorum, & Societatis Jesu, S. Dominicus & S. Ignatius. Licet autem agnoverim alios quoque Sanctos in eò sacro comitatu, specialiter tamen dignovi hos duos, & Sanctum Regem Davidem. Quando sunt ingressi Oratorium, tota illa beata Societas, & ipsamet Domina se prostravit; atque in signum majestatis & honoris multi Angeli suis manibus sustentabant syrma veli. Sacratissima Virgo surrexit, junxit manus, ac tum benedixit Oratorium, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Deinde rursus manus

composuit, & eam cum magna reverentia prostravit, & assurgendo conversa ad me, dixit mihi: Vale, Anima, jam enim non est tempus agendi plura, & eadem majestate, quā advenerat, reversa est ad cœlum. Deus sit benedictus. Amen.

Consueverunt antiquitus Imperatores, atque etiamnum solent Reges, suas sponfas vocare Dominas, non quasi profiterentur, his competere dominium in illos, sed ut eo titulo ostenderent, quod ipsis communicaverint dominium in ceteros. Et quia magnus Deus noster ac Dominus nobiscum loquens nostris utitur terminis, nullumque sibi prefixit limitem in honoranda Maria, vocata fuit ab eo Domina, ut nos doceret, subjectas esse huic magna Reginae omnes creaturas. Pergit Venerabilis Marina eodem anno sexcentesimo quarto, dicens:

In vigilia Assumptionis Dominae nostræ mihi Dominus dixit, quod me esset dignaturus his diebus ducere secum ad caelestem Patriam, ad festum suæ Sanctissimæ Matris, ut ibi viderem ipsius gloriam. Itā est factum, quia fui in spiritu ducta ad illam supernam Civitatem, ubi ijs diebus habitavi, manendo unā hic, & conversando cum creaturis, quanquam non absque summa difficultate & violentia. Ostendit mihi Divina Majestas inter eundem gloriam animæ Sanctissimæ suæ Matris. Erat tam eximij, tamque heroicis plena virtutibus, atque tantis cumulata meritis, ut prodeuntibus ex se radijs luminis quodammodo obscuraret sublimissimos Sanctos, & Seraphinos, eum in modum, quo præsentē Sole disparent stellæ. Deinde jam ingressa cœlum vidi eandem Præcellentem Reginam, tam eminenti præditam gloriā, ut mihi propè impossibile fuerit eam intueri aliter, quā prætenso quasi velo, & in quadam velut caligine divina. Sicut enim magnitudinem & gloriam Domini Dei nostri, ipsiusque immensū Esse, anima, quantumcunq; Sancta, nequit in hac mortali vita videre, nisi obscure, ac tanquam interjecto velo, itā, suo modo, mihi, quadam proportione, videbatur contingere in cognoscendis prerogativis hujus Dominae. Emicabant ex ea quædam quasi divina fulgetra gloriæ, illuminantia meam

animam, quibus collustrata aliquid cognoscebam, sed subito desituebar eo lumine, existimo nihilominus, solum in modicum, quod ex gloria hujus magnæ Reginae vix longissimè excessisse gloriam omnium simul sumptorum Sanctorum. Gratulata sum ipsi millicies bona, quæ possidebat, petivi ab illa gratias pro me, & pro ijs, qui se mihi commendaverant, atque ipsius benignitas mihi est pollicita, se mihi satisfacturam.

Postridie, ipso ejus festo, conspexi hanc Dominam, jam quasi resuscitatam, cum Sanctissimo ipsius Filio. Non vidi ullum Sanctorum, tantummodo apud me erat mei Domini Angeli. Videbam quoque procul distantes multos Angelos ex sublimioribus, qui hanc Dominam admirabantur, di contemplabantur. Ostendit mihi illam Dominus tribus vicibus, in triplici quasi statu, seu gradu. In primo ipsam vidi tam gloriosam, & plenam majestate, ut ei videretur inesse pulchritudo omnis gloriæ, in altero, cum existimarem nihil ultra superesse videndum, cognovi eam gloriâ auctiorem, & admirabiliorem. Verum in tertio gradu vidi illam adeo plenam magnificentiâ & gloriâ Dei, ut obstupescerem, atque non percipiendo omnia, quæ mihi ibi repræsentabantur, velut absorberentur, quæ cognovi, & more meo, dum miror quid manifestatur de Divina Essentia, eam tunc dicebam: Amplius adhuc superest videndum, amplius est quàm hoc, amplius quàm hoc. Mansi satis diu in illa obscura cognitione, fruendo visione tantæ summæ Reginae, & affluendo quàm maximo solatio. Inde fui deducta ad primum gradum, ubi ipsam initio videram. Descendit eò quoq; Divina Majestas, & Sanctissima Virgo, quæ me magnâ tendentine benignissimè est amplexata. Inestimabilis est fragrantia & odor, quem hæc Domina spirabat, & arbitror, quod multo magis hinc de suis admirandis virtutibus communicaverit, dummodo id meis delectationibus non perdam. Dixit mihi, se futuram semper meam protectricem & adiutricem, quæ hinc præstituram gratias, & omnibus quæ mihi essent opem aliquam allaturæ.

Anno sequenti, sexcentesimo vigesimo quinto, eodem die Assumptionis, Dominus mihi dignatus est ostendere, qualis ea fuerit, & gratificari, ut adessem, tanquam tum contingeret, gloriosæ migrationi Sanctissimæ Matris. Decumbebat Inclita Virgo modestissimo situ in lectulo, quem circumdabant Sancti Apostoli, & ego unâ cum ipsis: quando autem illa purissima anima erat resolvenda ab eo sacro corpore, aperti fuerunt cæli, atque tota Beatissima Trinitas descendit ad illud cubiculum, cum multis Beatorum spirituum exercitibus. Suscepit illam purissimam animam, & sicut ignis occupat ferrum, videturque in se transmutare, ita fortunata ea anima fuit quodammodo occupata à Divinitate, quam est complexa, sibi que univit. Non vidi animam hujus Dominae in ulla specie imaginaria, quia mihi ipsam Deus representabat in cognitione purè intellectuali, ostendendo mihi quoddam esse spirituale, admirabilius & pulchrius omnibus, quæ nosse intellectus de hujus mundi rebus potest concipere. Reversus est Dominus ad cælum, cum omni ea Angelorum multitudine, inter suavissimam musicam & gaudia. Ego instantissimè, & cum lachrymis invocabam Sanctissimam Virginem, rogando illam, ut me secum acciperet. Confugiebam ad Deum, idemque ab eo petebam, utque me, & meos Confessarios jam educeret ex hoc exilio. Divina Majestas mihi benignissimè respondit, quod tam illos, quam me, suo tempore esset evocatura: atque ad me consolandam voluit, ut eâ occasione ascenderem ad videnda, quæ agerentur in cælo.

Fui ducta à meis Dominis Angelis, cum illo felici comitatu, & postquam eò perveni, vidi eam sanctissimam animam constitui à Divina Majestate in tam alto & excelso throno, ut esset gloriosior omnibus ibi existentibus beatis spiritibus. Rapta sum in ecstasim, & inveni me deinde in meo angulo. Hic post elapsam spatium paulò ampliùs quam horæ, rursus vidi, quod descendens Sacratissima Persona Jesu Christi Domini nostri, quem innumera-bilis ecclestium Aulicorum sequebatur

multitudo, secum adduceret animam Sanctissimæ suæ Matris ad locum sepulchri, ubi erat depositum sacrum corpus: eo aperto se denud univerunt anima & corpus, & magna illa Domina ineffabili fuit cumulata gloria. Tum is triumphalis comitatus cepit progredi, resonante cælesti musicâ, cum solennissima pompa. Augustissima Domina procedebat quasi innixa Lateri Jesu Christi amabilissimi Domini nostri, & sic penetraverunt ad cælos, atque grandis ea Regina fuit collocata in throno gloriæ, juxta suum Sacratissimum Filium, ubi ipsam omnes Hierarchiæ Angelicæ, omnesque animæ beatæ, profundissimè sese demittentes, & supra modum gaudentes, venerantur, & suspiciebant tanquam suam Dominam, ac Reginam. Deus sit benedictus. Amen.

Scriptum, quod nunc referam, est anni millesimi sexcentesimo vigesimo octavi, ubi ips, quæ vidit die gloriosissimi obitus Celsissimæ hujus Virginis, aliam addidit circumstantiam, rum sibi ostensam: ex qua apparet, non solum Sanctissimam Trinitatem, ad glorificandam Virginem; sed etiam Inclitum ipsius filium, Hominem & Deum, ad illam excipiendam descendisse. Progreditur postea ad enarrandum alium favorem, quem ab hac Domina obtinuit, & sic illum describit.

Feriâ tertiâ, decimâ quintâ Augusti, mihi Deus ostendit, qualiter gloriosissima Virgo migraverit ex hac vita mortali. Vidi, quomodo composita in suo lectulo expiraverit, & Filius ipsius Christus Dominus noster illam animam susceperit, exhibendo ei honorem, ac tenerrimum & indicibilem amorem. Deinde feriâ quartâ, decimâ sextâ ejusdem, conspexi magnam multitudinem Angelorum, descendenti-um ex cælo, & ingredientium in meum cubiculum. Non intelligebam mysterium, & expectabam, quis illius futurus esset exitus, Vidi alios, qui, sicut hic regiæ custodiæ consueverunt facere, parabant aditum, & removebant occurfantes, quam tum non viderim, neque sciverim, quos repellerent. Postea vidi intrantem Virginem Dominam nostram, singulari conspicuam majestate, pulchritudine, &

affabilitate, cum comitatu multarum sanctarum animarum, inter quas agnovi Patrem Petrum de Leon ex Societate Jesu, qui ante Patrem Ludovicum de Ponte multis annis meum egit Confessarium, & Marinam Hernandez meam bonam sociam. Aliqui ex ijs Sanctis Angelis inceperunt, ingrediente hac Domina, canere hymnum de Sanctissimo Sacramento. Audivi illum, & mirata sum, quia non intelligebam, quoniam tenderet: atque cum hac de re cogitarem, aspexi Sanctissimam Virginem, & vidi, quod, sicut hic pectori statuarum inserimus sacras reliquias, suo clausas operculo, ita hæc cœlestis Domina ferret in suo pectore Puerum Jesum velatū speciebus sacramentalibus. Pervenit ad locum, in quo eram, & Sancti quidam Angeli in momento (summā siquidem celeritate talia exequuntur, ut aliās dixi) formaverunt elegantissimum & magnificentum thronum, ad caput mei paupertini lecti.

Ante hunc thronum, procubuit Sacratissima Virgo in genua, & ego circumspiciens vidi, sub conopeo illius admirandi throni, totam Sanctissimam Trinitatem, quā adorata surrexit, & accedens me est amplexata, postquam me nomine Dei salutavit, atque sacrosancto suo pectore attingit meum, in quo contactu visus est mihi ille summus Dominus, qui erat in ipsius pectore, totus illabi in meam animam, penetrando ipsam & corroborando, ac replendo speciali consolatione. Erexit se rursus Sacratissima Regina (nam se Ejus Majestas incurvaverat ad amplexandam miserabilem hanc suam ancillam, quæ jam tot annis jacet prostrata in hoc lecto) dixitque mihi amantissimè: Ostende mihi, Soror mea, tuas manus. Exposui illas, quas ipsa suis benedictis apprehendens dixit: signata es signaculo Filij mei; cumque à me vellet discedere, valedicendo mihi, rogavi illam, nè abiret, absque data mihi sua sancta benedictione, quod Ipsius Majestas fecit. Observavi autem specialiter, quod etiam ex modo, quo mihi illam dabat, voluerit apparere foemina: non exporrexit enim torum brachium, more Prælatorum, sed

modestissimam præ se ferendo verecundiam extendit solam manum. Tum à me capit recedere, non tamen derespente, quia hæc visitationes raro sic finiuntur, sed pedetentim; atque sic se meis oculis subducebat, donec illam rursus non viderem. Venerunt ad me illico quidam Sancti Angeli, & apprehensis cum mirabili modestia meis manibus, efformaverunt crucem super signa, quæ in ijs habeo, idemque fecerunt in pedibus, & in latere.

Considerabam deinde, quinam illi essent, qui, initio hujus visionis, advenientes abigebantur à Sanctis Angelis, qui præparantibus viam, intrante Inclita Virgine: & intellexi, quod mihi, id agendo, significaverint, nonnullos infideles, quia ex traditione Majorum de hujus Domine gloria quædam audiverunt, esse eidem bene addictos, sed repelli, eò quod accedant absque fide & penitentia, neque consequi fructum ipsius visitationum, & intercessionis. Deus sit in æternum benedictus. Amen.

Hanc visionem Venerabilis Marina materiam, de obitu & assumptione Deparæ, concludemus specialia revelatione, tenerimus continente circumstantias. Evenit hoc eodem festo, quamvis non inveniam expressum verbum, computatis tamen chartis, fuerit proxime sequens, millesimus sexcentissimus trigessimus annus, aut summum millesimus sexcentissimus trigessimus. Refert ipsa eventum huiusmodi.

Die Assumptionis Dei Genitricis, dum in meis consuetis exercitijs, eliciendo in dentes affectus, agerem cum Deo, sicut Sanctis Angelis ducta ad locum, in quo hæc Sacratissima Regina desijt vivere, unde ipsius anima est translata ad æterna tabernacula. Appropinquavi cupidissime illi sacro lecto, in quo ista Augustissima Regina jacebat defuncta. Erat indurata vestibus, & gerebat velum in capite, ac viveret, resplendens instar pulchre luce. Sanctissima brachia & manus habebat modestissimè supra sacrum suum corpus extensas, sacros suos pedes nudos, sed benedictos. Circumstabant Apostolice vultus rimè deplorantes jacturam, quam in exilio & solitudine erant passuri, proprio

hujus Domine absentiam. Mea anima induit eundem affectum, & cum viderem meam Dominam exanimem, cepi amare flere, intinereque dolens aiebam: Delicium meum, & Domina mea, omne meum solatium, & cordis mei gaudium, quomodo abivisti ad eterna tabernacula, antequam te viderim, aut tibi valedixerim? quomodo me relinquis adeo desolatam? Tolle me tecum, Domina mea: animæ, & vitæ meæ, tolle me tecum: nolo enim hic remanere. Isto desiderio ardens ingerebam me inter Sanctos Apostolos, & Angelos, qui ibi aderant innumeri, atque dicebam: Sinite me accedere ad Dominam meam: Sinite me accedere ad illam accedere, quia hinc dependet mea vita, & vehementer instabam. Illi Sancti Angeli me, quodam gestu, velut abigebant, dicendo: Tace, Anima, tace: quid clamas, quid vociferaris? sed frustra id fiebat, nam denique perveni ad contingendum sacrum corpus meæ Domine. Osculata sum sanctos ipsius pedes & manus, rogavi illam summo affectu, ut me secum abduceret. Tum conqueivi, & intimo perfusa solatio sum passa ecstasim. Taliter fui: sed longo tempore constituta, ignoro, quamdiu: scio tamen, quod, etiam si tempus fuisset longissimum, mihi visum esset momentum, propter dulcedinem, quam tenui, & maxima bona, quibus sum fruita. Deus sit benedictus. Amen.

Post hoc me reperi in meo angello, sed oculis animæ semper defixis in meam Dominam, & in illud mysterium, quod isthinc spectabam, ac si illic forem. Hoc modo ipsi aliquandiu aderam, existens in meo cubiculo, & mei Domini Angeli, me derepente rursus reduxerunt ad locum mysterij. Constituerunt me penes lectum, ubi erat mea Domina. Sancti Apostoli jam diserebant de sepultura. Vidi, quomodo reverentissimè abstulerint sacrum corpus, quod comitabatur innumerabilis multitudo Angelorum. Deposuerunt illud in sepulchro, & occluserunt, ac deinde exosculantes lapidem sepulchralem, tenerèque lachrymantes Sancti Apostoli, valedixerunt illi sacro loco, & abiverunt. Reman-

serunt ibi infiniti Angeli, qui circumdantes sepulchrum, eidem exhibebant honorem, eò quod in eo depositus esset inestimabilis thesaurus illius virginæ corporis. Ego mirabar, & eram velut absorpta, neque inde unquam voluissem recedere, sed fui à meis Dominis Angelis, quasi inadvertenter, reducta ad meum cubiculum. Postea plenè mihi restituta, & advertens, me quasi procul ab eo sacro loco distare, ita visus meæ animæ illi inhæsit, & affectus cordis, ut me intra triduum non possem ab ipso abstrahere.

Tandem feriâ sextâ sub ortum Solis, versando in mea oratione cum Deo, vidi in ea cœlesti Jerosolyma celebrari solennissimum festum, totamque illam cœlestem civitatem commoveri. Aperti fuerunt cœli, descenderunt innumeri Angeli longo ordine, & cantando admirabili melodiam laudes Dei. Hac ratione pervenerunt ad locum sepulchri Sanctissimæ Virginis, circumdando illud ac honorando. Deinde advenit cum summa & divina pompa Beatissima Trinitas, & Majestas Jesu Christi, amabilissimi Servatoris nostri. Ille Dominus ferebat in manibus animam suæ Sanctissimæ Matris, comparentis mihi instar solis admirabilissimè resurgens, qui tegebat puellulam, cujus pedes solummodo conspicebantur. Fuit subito apertum sepulchrum, & Christus Dominus noster accessit ad illud benedictum corpus, filialem ipsi, & suavissimam exhibendo reverentiam; atque dum ejus pectori & vultui imponeret illum solem, statim se anima ei infudit, denuòque univit, & tangente eodem Domino brachium meæ Domine, surrexit resuscitata, milliesque splendidior sole, quem hic videmus. Tum Beatissima Trinitas demonstrando ineffabile gaudium, & ante se ducendo illam Cellissimam Virginem, ascendit cum omni ea exultantibus pompa, & triumphali apparatu ad cœlestem Civitatem, ubi ab ipso meo Trino Domino hæc magna Regina fuit collocata in immentè & summa altitudine, proximè Divinam Majestatem.

Non recentui, nè filium mysterij interromperem, vehementes & ardentes affectus

ctus meæ animæ. Simul ac vidi meam Dominam resuscitatam, summopere desiderabam, & internè exclamabam, ut pervenirem ad exoscülendam ipsius manum, eamque honorandam & rogandam, ut me secum abduceret, atque non relinqueret in hoc exilio. Volebam per tantam Angelorum multitudinem, & multos è Sanctis Apostolis pertumpere, ut pertingerem ad meum thesaurum, sic namque vocabam meam Dominam, sed videbar id mihi non posse assequi. Transpiciebam per omnes, quàm optinè poteram, ad eam magnam Matrem clementiæ & misericordiæ, quæ se talem exhibendo, dum tanto me æstuate desiderio, eoque ardere affectu videret, mandavit benignissimè, ut me permitterent accedere. Accessi, prostravi me cum singulari reverentia, & specialissima consolatione ad pedes meæ Dominæ, quæ me, amore & benignitate sibi propriâ, erexit, tuoque sanctissimo brachio meum colulum stringendo, & me amplexando, retinens suam benedictam manum meo humero impositam, mihi hæc dulcia & gratiosa verba dixit: Tace, mea Anima, noli affligi vel angui, ducam enim te mecum, veniamque ad te abducendam suo tempore, quando Deo placebit, ut adsim: tace jam, Anima, tace. Ità conquievi, & fui in meo Deo perfusa solatio, atque spectavi ulterius eam pompam ascendentem ad cælum, sicut paulò antè dixi, nec non & reliqua.

Post sat longum temporis spatium, elapsam à prædicta visione, Domini mei Angeli, me, jussu Divinæ Majestatis, abduxerunt ad cælestem civitatem, & collocaverunt in conspectu illius cælestis Dominæ, quam magno affectu rogavi, ut impetraret à Deo remedium cõmunium necessitatum, & particularium, atque gratificaretur omnibus, qui se mihi commenderant. Sanctissima Regina mihi promisit, se id facturam, & porrigens ramum olivæ cuidam Sancto Angelo, præcepit, ut illum mihi ferret, poneretque ad meam manum, quod Sanctus Angelus fecit, ostendendo id sibi plurimum placere. Suscepi donum cum magno solatio, & cum

millenas agerem gratias Domino, Sanctissimæque ipsius Matri, occupavit me profunda ecstasis, postquam mihi restituta, me reperi in meo angulo. Hic mea anima denuò fixè intuebatur & contemplantur illud sacrum sepulchrum, ita ut ab eo non possem avertere oculos interiores: quod cum aliquamdiu agerem, vidi quendam Sanctum Angelum è præcipuis, quem multi alij comitabantur. Is exponebat ex sepulchro quoddam quasi linteamen candidissimum, & asservabat intra se: ac deinde duos albos pulvillos, qui erant super duos gradus, & caput ejusdem sepulchri, prætereaque album linteolum, quo Apostoli texerant sacratissimum vultum meæ Dominæ. Asservavit omnia, & occlusit sepulchrum, movendo se, acti abituriret. Ego videns quæcunque fiebant, cupi fervido affectu, & ingenti desiderio obtinendi aliquid ex ijs sanctis reliquijs, quali eminus exclamare, dicendo: Domine Angele, ah Domine Angele, da mihi ob honorem Domini Dei, & Sanctissimæ ipsius Matris, aliquid ex reliquijs, quas asservas. Et præ vehementia affectus mihi videbam magis ac magis ad eum locum appropinquare. Dum essem vicinior, rursus mihi ardentem, rogando Sanctum Angelum, qui simulabat abitum, ut me consolaretur, ipse id non æstimabat, ut apparebat, mihique respondebat: Non possum, Anima, annuere enim hæc fero ad Sacrum. Persectabam in petitione mea, & nihil proficebam. Tum meus Sanctus Angelus Cælestos, & reliqui, vehementer rogaverunt, ut Angelum superiorem, ut mihi aliquid daret, quibus ille dedit linteolum, quod facies Præcellæ Dominæ fuerat cooperatum. Hunc in modum mea anima in suo Deo fuit repleta solatio, obstupescens talis ob ipso fieri, & infinitas illi gratias agens, me inveni in meo cubiculo.

Hic mihi Sanctus meus Angelus Cælestos dixit, reperturam me certo loco illud admirabile linteolum, quod ego accepti reverita sum, & imposui meis oculis, appropinxi, & velut attonita ob hæc mysteria, inveni ad Deum: Hæc operaris, ac talia, ut deantur esse quodammodo incredula.

Deus & Domine mi, præstas propter tuam infinitam bonitatem, & arcanissima iudicia, ancillæ tuæ, & miserabili creaturæ. Divina Majestas audivit mea verba, & modo gravissimo, summèque æstimabili, mihi dixit: Anima, ego sum tuus Deus, qui tibi loquor, meque tibi communico, tanquam infallibilis veritas, prout sum: noli timere, & quiesce in me. Ob hoc Deum dictum summo tui repleta solatio, & in altissimam abrepta ecclasiam. Quando ex raptu redivi, non cessabam agere Deo gra-

tias, pro talibus misericordijs. Hoc egi multis diebus. Ipse sic millies, iterumque millies benedictus. Amen.

Multa vidit Venerabilis Marina, alia Potentissima Domina nostra, & Regina Angelorum mysteria, connexa cum mysterijs Sacratissimi ipsius Filij, delictij nostri, de quibus aliquid distinctius (generatim enim totus liber huc poterat reduci) dicemus sequentibus capitulis. Prætermisi, quæ anno sexcentesimo vigesimo septimo vidit de mysterijs Assumptio- nis, quia simillima jam enarratis.

CAPUT XLII.

Manifestat illi Christus Dominus nonnulla,
ex suis mysterijs.

Uni via regia, eoque communitè sola secuta, perveniendi ad altissimos contemplanda Divinitatis gradus (post perfectissimè obtentas virtutes) sit meditatio Humanitatis Christi Domini nostri, & sublimium vite ipsius ac mortis misteriorum; atque Venerabilis Marina, ut in tota ejusdem historia apparet, huc non solum in suis initijs collimaverit, ad laborando, ut quam exactissimè imitaretur Servatorem nostrum, verum etiam in medio, ac sine creberrimè sese ipsi meditando exercuerit; voluit idem Dominus, ut inter notitias intellectuales, & reconditos sensus, quos quam plurimos habebat de ipsius Divinitate, frequenter quoque videret modum, & precipuas circumstantias, quas Sanctissima ejusdem Humanitas observaverat in negotio nostræ redemptionis; quam fuerit ineffabile beneficium, quo Deus mundum sibi obstrinxit, dum illi hunc dedit Redemptorem. Eum in modum Deus, tum erga dilectam suam spensam se exhibuit benevolens, tum nos docere voluisse videtur, quantopere à recta aberret semita, qua ducit ad verticem Sionis, allucentibus radijs purioris contemplationis; ut qui ex proposito recedit à meditatione misteriorum nostræ salutis. Referam imprimis nonnulla, quæ hac Virgo de ipsi cognovit generatim, & quasdam gratias, quas ab amanti simo Deo nostro Incarnato, & dulcissimo Salvatore obtinuit:

Vita Mar. de Escobor Parisi.

deinde differemus singillatim de ejusdem mysterijs. Sexta Augusti anno sexcentesimo vigesimo quinto, post narratam aliam brevem visionem, quam habuit tendentem ad utilitatem proximorum, referendam suo loco, ita pergit.

Eodem die Transfigurationis Christi Domini delictij nostri, sum ducta à meis Dominis Angelis ad cœlestem Jerosolimam, in cujus altissimo loco, vidi spatio- sissimam quandam, obstupescendam, & plenissimam divinis splendoribus aulam, atque in eadem omni ex parte innumera- biles Angelos. In superiore illius extremitate erat erectus thronus ad stuporem gloriosus, in quo residebat Beatissima Trinitas. Observavi autem, quod secunda Persona, Verbum Divinum, se mihi non exhiberet spectandam, sicut aliàs, quoad Esse tantummodo Divinum, sed tanquam verè unitum Sacrosanctæ suæ Humanitati, eademque; ut nos loquimur, vestitum. E regione hujus sublimis throni, & in eadem aula, erat subsechium instar admirabilis Scamni, eleganter ornatum, & magnificentum, ubi confidebant novem Angeli, ex eminentissimis, & excellentissimis supernæ illius curiæ. Nequit ulia explicare lingua lumen mihi representatum, & venustatem, quæ inerat ipsorum vultibus, atque splendorem & pretium vestium. Vidi subito, postquam modicum telonitæ cœle-

Y

cœle-

cœlestis musica, Dominum DEUM Trinum, gravissimo infinitæ authoritatis & majestatis gestu, velut indicantem ijs novem supremis Angelis, quæ esset sua voluntas, quidque ipsis esset agendum. Tum assurrexit, qui medium occupabat locum, & majorem præ se ferebat dignitatem, séque coram DEO prosternens, & acceptâ ab eo benedictione se erigens, arque manum sinistram tenens admotam cingulo, ac summâ gravitate movens dexteram, dixit ad omnes cœlestes spiritus ibi præsentés (modo tali, ut exponi non possit) hæc verba: Postquam advenit tempus, quod Divina Trinitus DEI Domini nostri Majestas, in suo Divino Consistorio constituerat, ut unigenitus ipsius Filius humanam carnem in visceribus MARIE Virginis, Reginae ac Dominae nostræ, assumeret, pro redemptione & remedio totius generis humani, descendit ex sinu Patris, fuitque Divino operante Spiritu, in purissimis illius visceribus Incarnatus.

His dictis se denuò prostravit (unâque cæteri Angeli) ob reverentiam eorum verborum; iterumque assurgens, affecutus est admirabile, & supra modum sublime lumen, quo agnovit magnitudinem, & æstimabilitatem ejus maximi mysterij. Tum admirabilissimâ & ineffabili ratione aliud prodidit ex ipso lumen, simile illi, quod acceperat, atque istud irradians omnes alios Angelos, qui aderant, eandem ipsis infudit notitiam, adeò ut iste magnus Angelus videretur esse divinus canalis Domini Majestatis, à quo immediate conceptæ tam sublimes cognitiones, postea per ipsum reliquis communicabantur. Meæ pauperi animæ obligit aliqua particula illius luminis. Nequit autem intra millenos annos explicari, quòd in ijs verbis denuò intelligitur, quæ hîc tam facîle pronuntiamus, & quòd concipitur de scientia, potentia, ac infinito DEI amore, deque immensa ejusdem erga homines clementia. Denique, ut ex hoc Sancto Angelo, qui me illuminabat, intellexi, bona in nos per Incarnationem Filij DEI derivata, nunquam fuerunt cognita, aut

audita, qualia in se sunt, neque plene intellecta & percepta, præterquam ab ipso met DEO, qui ea est operatus. Idcirco, quando ingens illa Beatorum Spirituum multitudo, lumine sibi communicato ab Angelo superiore, penetravit ea verba, vidi ipsos in arcana illa communicatione, tanquam attonitos, & ecstáticos, propria bonitatem hujus magni DEI, sibi denuò revelatam, gratias eidem agentes infinitas, ipsúmque ob tam excelsum opus laudantes. Tum Dominus Majestatis ostendens sibi multum placere, quòd magnus iste Angelus bene suo fuerit functus munere, dedit illi suam benedictionem, quam ipse suscepit prostratus, ac deinde rediit ad suam sedem.

Hoc ordine, & servatis omnibus circumstantijs, quas de primo hoc Angelo retuli, consequenter assurgebant cæteri octo Angeli, suam agentes personam, idcirco hîc nihil quoad substantiam referam diversum de ijs, quæ singuli, toti cœlesti Angelorum multitudini, & meæ pauperi animæ revelabant de mysterio, singulis seorsim revelato à DEO. Prodiit igitur secundus, eademque majestate, quâ primus, dixit: Atque natus est, ex hac Virgine & Domina nostra, fuitque reclinatus in præsepio, & cum hominibus conversatus septuaginta trium annorum, patrando admiranda opera. Tertius recessit adorationem, admirabiliter ipsam expendentem Sanctorum Regum, & beneficium, quòd mundus in eo mysterio est consecutus. Quartus dixit, quomodo hîc Dominus fuerit à sua Sanctissima Matre præsentatus in templo. Declaravit miros actus religionis, quibus ista Domina æterno Patri suum obtulit Filium, pro hominis redemptione. Hactenus aliqua adhuc possunt exquiri verba, quæ aliquatenus dicta ab his Sanctis Angelis explicarent, quævis etiam omnia solùm summatim attingam, in quibus autem modo suppetunt, quibus aliquatenus primatur de sublimissima ponderatione, quâ quintus Angelus declaravit gestum passionis & mortis Domini, atque immolationis profusi illius pretiosissimi sanguinis post resurrectionem. Sextus egit, de gloriosissima Resurrectione,

explicando mysterium tam divinis encomijs, ut excedant cujusvis captum intellectus. Eundem in modum septimus exposuit miracula magnificentissimi ipsius triumphi in Ascensione. Octavus dixit mirrissima de adventu Spiritus Sancti, & de divinis incendijs infiniti ipsius amoris. Conclufit, ac absolvit solennitatem hujus cœlestis repræsentationis Angelus nonus, explanando sublimissimè deliciosum mysterium Sanctissimi Sacramenti altaris, infinitum ipsius pretium, ejusdem convenientiam in salutem nostram & remedium, solatium animarum nostrarum in eo nobis relictum. Significavit mihi Dominus, ea quæ videram, & illud lumen, quod immediatè istis singulis Angelis supremis largiebatur, esse symbolum revelationis, quâ hi Angeli habuerunt, ut ab ipsâ communiicaretur alijs. Ipse sit in æternum benedictus. Amen.

Sequens narratio fuit scripta in Novembri, anni millesimi sexcentissimi vigesimi sexti, in qua sic ait.

Recidi his diebus in quasdam molestias corporales, quæ me afflixerunt: fui præterea vexata humore quodam melancholico, qui me, opinione meâ, reddebat terribam & anxiam. Dominus me est intuitus velut subiratus, dixitq; mihi: Quid habes Anima? quid tibi est? Ego erudui, vehementer extimescens. Veni mecum, subjunxit Dominus, & mandavit meis Dominis Angelis, ut me abducerent, quò Dominus destinabat. Id ipsi sunt executi, & ego me deprehendi in tipa vasti cujusdam fluvij, qui totus sanguine manabat. Ibam nudipes, & postquam eò perveni, jussit me Dominus illum ingredi. Metuebam, & cunctabar intrare. Tum mihi Ejus Majestas inflixit ictum in dorso, quasi me impellendo, & acsi me vellet præcipitare ad fluvium. Quapropter in eum intravi propè usque ad talos, & ibi existens mihi videbar tota illo sanguine perfusa. Mei Angeli me eo tempore induerunt candidissimâ tunicâ, & super hanc aliâ elegantiore, atque hoc modo me duxerunt per aërem, ignorantem quò irem, donec pervenissemus ad cœlum, quod fuit apertum, & in-

Vita Mar. de Escob. Pars II.

gressi in illud, me constituerunt in conspectu Triunus Dei. Divina Majestas me valde amanter suscepit, & acsi quidpiam cuperet rescire, cum ineffabili teneritudine me interrogavit: Anima, quid vis? quomodo huc venis? quis te maculavit? Ego respondi: Magnus ille Dominus omnipotens mihi inflixit ictum, compulsiq; me intrare in fluvium sanguineum, & maculavit me. Tum Divina Majestas instat Patris sese oblectantis, dum se rudi modo loquendi parvuli filij accommodat, qui ipsi conqueritur, se malè fuisse habitum, quando re ipsâ est assecutus gratiam, mihi dixit: Estne possibile, quòd te maculaverit? agite Angeli mei, ducite ipsam ad alium illum fluvium, quem nôstis, ibiq; eam abluite. Duxerunt me itaque ad fluvium non magnum, sed pulcherrimum, & instat crysalli pellucidum, procedentem ex throno Divini Agni. In hoc me totam abluerunt, & evasi tam splendida, tantaque coruscans luce, acsi Sol alter esset in pectore, alter in dorso. Deinde me rursum stiterunt Divinæ Majestati, quæ me cum magna affabilitate intuens dixit: Nunc, Anima, es pulchra; statimque præcepit meis Dominis Angelis, ut me reducerent ad meum angulum, quod fecerunt. Postea mihi Dominus manifestavit, quòd ille fluvius sanguineus significaverit pretiosum sanguinem Jesu Christi Redemptoris nostri, qui nobis applicatur in Sacramentis, cum incrementis gratiæ, quam in illis consequimur; quòd q; fluvius pellucidus, procedens ex throno Agni, fuerit symbolum gloriæ, quæ obtinetur, & nos reddit beatos per gratiam, quam nobis Christus promeruit. Deus sit benedictus. Amen.

Non est mirum, quòd anima in hoc raptu, videns se sanguine tinctam, quem tunc non agnoscebat, judicaverit se esse maculatam. Istâ phrasi Isaias, ut multi volunt. Patres & Interpretes, indumenta Christi appellat: ut inquinata proprio ipsius sanguine, quando gloriosus ascendebat ad cœlum, cap. 63. quamvis fortasse alijs sit Propheta sensus, magis textus accommodatus. Hic tamen sufficit, à tot Patribus & Doctoribus Ecclesie dici, esse modum loquendi decentissimum, dum Angeli symbolicis usentes figuris,

figuris, & ipse Christus, de hoc sanguine loquuntur, tanquam de liquore, qui inquinat, licet sit encaustum, quod exornat. Pergit Virgo aliter recensere gratias, obtentas à Christo Domino; si non pretiosiores, attamen teneriores, quas ita enarrat.

Alio die, cum sumerem cibum, contempsi Majestatem Jesu Christi Domini nostri, & expavi tanquam attonita. Habebam ante me scutellam iuseculi, atque cochlear, quod non poteram sustentare manu, vel ori admoveere. Tunc mihi benignissimus iste Dominus dixit: Anima mea cape necessarium vitæ subsidium. Mox, ut quodammodo liberarer à verecundia, comparuit quædam nubecula inter Dominum ac me: nihilominus non poteram cochlear labijs applicare. Extendit tum Ipsi us Majestas manum, & attingens digitis manubrium cochlearis, iuvit me illud in os imponere.

Aliâ vice, effervescentibus vehementer meis affectibus, petivi ab Eius Majestate, mote meo, multa concernentia ejusdem obsequium. Hæc aviditas obtinendi istius beneficii tantum non me mihi ipsi eripiebat, ideoque illi dixi: Verè Domine, quandoquidem in Evangelio tuo dixisti, mihi, cum non merear ex meemetipso exaudiri, esse obtinendum per importunitatem, quod à te peto, verè te jure adigere debeo, ad præstandum, quod promisisti. Respondit mihi Ipsi us Majestas cum magna suavitate, dicendo: Anima mea, ergone me jure adiges? Esto. coram quo autem id fiet, cum ego sim supremus Dominus? Coram Divina tua, agebam, Misericordia & Justitia, te, mi Domine in jus vocabo. Tu Domine id dixisti, ac proinde te oportet implere, quod es pollicitus. Fiat, Anima, compelle me, dixit Dominus, & ego stabo promissis. Tam suavis & benignus est hic magnus Dominus, etiamque infinites amplius, ut apparebit ex eo, quod modo referam, & accidit die Sabbathi, vigesima prima hujus mensis Novembris.

Revolvebam in animo meo, quod à multis jam annis non possim interesse Missæ solenni, & cantatæ; recordabar illius sacræ cæremonia, quâ, dum tempore sym-

boli, Choro cum paula & reverentia canente ea verba: *Et homo factus est*, omnes præsentés se inclinant: atque hoc solum reminiscendo, sensi magnam tenerritatem & devotionem. Id mihi expenderunt dixit Dominus: Visne audire Missam cantatam, & capiésne inde solatium? Mi Domine, respondi, nihil aliud volo, quam quod tu volueris; & conata sum me, quantum potui, abstrahere ab ista cogitatione, metuens, nè Dominus mirabile aliquid suum opus vellet exequi. Post aliquot horas vidi descendentes, quasi ex caelis, multos Angelos splendide indutos, & compositissimos, multumque coruscantes, qui gerebant ornamentis suis superinductos velut amictus lineos, adeo delicatos & subtilés, ut pretiosam vestium materiam mirumè obtegerent. Ferebant albus candelas in suis manibus, & procedebant bini. Post omnes adveniebat Jesus Christus Dominus noster, ornatus vestibus Sacerdotalibus, cujus latera stipabant duo Sancti, in habitu Diaconi & Subdiaconi, qui erant, S. Dominicus Fundator Ordinis Prædicatorum, & S. Ignatius Fundator Societatis. Quando sunt ingressi meum cubiculum, jam mei Domini Angeli habebant eam admirabili facilitate, sibi convectâ, paratum peretegans altare, super quod erat Majestas Triunus Domini DEI nostri. Postquam Christus Dominus, Delicia nostrum, ad illud accessit, eam duobus Sanctis, totus Divinâ gravitate, & voce tantâ, quanquam tono moderato, cantum dixit: *In nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Angeli responderunt: *Amen*. Vox Domini resonabat tam eximie ac divinè, ut statim appareret, eam esse Personam, quæ est verus Homo & Deus: hæc audita supra modum oblectabat, & accendebat solatium. Dixit postea Episcopus Majestas: *Gloriam excelsis Deo* & Angelicæ continuaverunt, ac finiverunt eandem in modo absoluto, nullaque interpositâ mora. Dominus dixit orationem, cujus ego solum tantum intellexi conclusionem, quæ erat: *Qui vivis, & regnas &c.* Responderunt suo Choro Angeli: *Amen*. Tum S. Dominicus, & S. Ignatius transtulerunt eam

latere ad alterum libros Missales, qui erant duo. Divina Majestas inchoavit Evangelium, dicendo: *Dominus vobiscum.* & Angeli responderunt nonnulla verba, quae nō percepī. Profecuta est Eiusdem Majestas Evangelium, quod erat: *Missus est Angelus Gabriel.* & pervenit usque ad ea verba: *Ave gratiā plena* ubi sublitit, ac rediens ad altare accepit parvam hostiam (vidi clarē,

ab Ipsius Majestate nullam hostiam fuisse sumptam) venitque cum Sanctis ad me, & realiter ac verē mihi illam dedit sumendam: verē enim agnovi istam communionem esse sacramentalem. Reverius Dominus ad altare, inclinavit se, atque abivit, sicut venerat, datā mihi prius suā benedictione. Ipse sit benedictus. Amen.

CAPUT XLII.

De revelatis huic Virgini mysterijs Incarnationis, & Nativitatis Filij Dei.

Devotissima sunt circumstantia, & aliquae earum prorsus singulares, quibus cum Deo hac duo mysteria Venerabili Marina revelavit, praesertim ille, quas vidit praevias ad sacram Nativitatem Redemptoris nostri. Connectamus suo ordine, quae ipsa nobis diversis hac de re temporibus scripta reliquit. Incipit ita loquens.

Feriā tertiā vesp̄ri, vigesimā sextā Novembris, hoc anno sexcentesimo vigesimo quarto, vidi, quod illi mei Domini Angeli, qui morantur in aula inaurata, aperirent ejusdem portas, seque praepararent, & omnia, velut pro magna solennitate, dispo-nerent. Prodierunt inde subito alij Angeli Dei magno numero, qui singulari melodiā & suavitate concinebant Divinas Laudes. Aula spirabat odorem tam caelestem, ut non solum anima, sed ipsa quoque mea natura refocillaretur. Egrediebantur Angeli, quasi supplicantium riu bini, & replebant totum meum cubiculum, atque Oratorium, & adjunctam illi cameram, quin me intermedij parietes impedirent, quō minus ipsos viderem. Post eos prodivit Triq̄nus Dominus Deus noster, specialiter verō se mihi distinctius representavit Sacratissima Persona Patris aeterni. Veniebat humanam praefereus speciem in eo appa-rente corpore, quod aliās dico, esse ab-que comparatione longē subtilius phanta-sticis corporibus, quae solent assumere An-geli. Hic Dominus est ingressus Oratori-

um, & accedens ad altare, collocavit in parte ipsius superiore id, quod ferebat in manibus: erat verō patena, instar earum, quibus utitur Ecclesia, sed pretiosissima, & super illam apparebat inanimus puerulus, non excedens longitudinem digiti, qui licet non videretur esse major, indicibilis tamen erat ejusdem pulchritudo, & im-mensa venustas. Vidi deinde egredien-tes, ex eadem inaurata aula, plurimos alios Angelos, qui pariter laudes Dei concine-bant, & postremō prodivit Sanctissima Virgo, magnā spectabilis majestate, & speciosissima. Introivit in Oratorium, & prostravit se coram Patre aeterno, procum-bens in genua, seque profundē inclinavit, ut quasi fronte contingeret terram: crexit postea caput, provoluta in genua. Tum Pater aeternus se convertit ad hanc Incly-tam Virginem, cum patena & Puerulo, in ea posito (sicut se Sacerdos vertere con-suevit ad porrigendam Sacram Eucharis-tiam) dixitque illi: Domina, vides hic meum aeternum Filium, quem tibi trado, ut in tuis visceribus assumat carnem hu-manam; suscipe ipsum, ac educa, atque fove, & inservi eidem tanquam Filio meo, ut suo tempore redimat mundum. Ecce confido tibi ipsum, ac trado: novi enim te huic muneri satisfacturam, prout debes. Virgo se inclinavit profundē, & postquam praebuit assensum, inmentus ille Infantu-lus introivit per Virginis pectus, seque in-clusit in purissimo ipsius utero. Egit haec magna Domina: tenerimas Patri aeterno

gratias, pro collato sibi beneficio, & Dominus est illam amplexatus, vocando eam filiam, rursúmque admonendo, ut omnia pro sua obligatione quàm perfectissimè exequeretur. Totus iste sacer comitatus postea intravit aulam, ex qua prodiverat, dum mea anima millenos eliceret affectus, contemplando mysterium, quod viderat. Deus sit benedictus. Amen.

Videtur, non sine quapiam significatione fuisse hic Venerabili Marinæ ostensum, quòd Verbum Divinum, in ea specie, introverit per pectus suæ Sanctissimæ Matris, acsi inprimis cor quæretet; atque inde, nostro loquendi modo, descenderit, ad assumendam carnem humanam, intra purissimum ipsius uterum. Ubi cogitare forsitan aliquis possit, favori ei opinioni, quam gravissimi Theologi existimant esse probabilem, corpus Christi Domini fuisse formatum ex purissimo sanguine cordis Virginis Domine nostræ, qui miraculosè delapsus fuerit, ad destinatum locum virgineorum ipsius viscerum. Verùm tenui meo iudicio, certius esse arbitror, hic nobis indicari sublimissimam dispositionem, & excellentissimos affectus cordis magna Domine nostræ, quibus, audito nuntio Angelico, multòque amplius ipsi, quæ ipsi Deus internè loquebatur, se preparavit ad illud Divinum mysterium: ob quam rationem Sancti Patres, & sacri Doctores dicunt, quòd Virgo Verbum conceperit prius in mente, quàm in ventre; prius in ardenti suo spiritu, quàm in purissimis suis visceribus. Equè stupenda est alia visio, quàm de hac materia habuit uno circiter mense post, ubi, sicut in præcedenti vidit, quem Pater æternus indiderit sensum Virgini Matri, quoad Incarnationem, ita illi modo manifestatum fuit, quid eodem tempore egerit Pater, & Divinus Filius, Christus amabilissimus Dominus noster. Id ipsa sic describit.

Feriâ quintâ, decimâ nonâ Decembris, eodem anno, sub diluculum matutinum, vidi, quòd mei Domini Angeli (non illi qui incolunt aulam auream, sed qui mihi assistunt in meo cubiculo) sese moverent, atque loco pretiosarum, & gemmis refertarum vestium, quibus ipsos video ordinariè indutos, alias gererent elegantiores, acsi pro quapiam se exornavissent solennitate. Dum id considerarem,

vidi magnam Angelicorum spirituum multitudinem ex cælo descendentem, eodem ordine, quo antea, canentium sicut supra dixi: atque ita postremo loco Patrem æternum in eadem specie, & cum pretiosa patena, ac Divino Puerulo in manibus, prout priore vice. Postquam Divina benedictas advenit, omnes Angeli se prosternunt, terram facie attingentes, & sequè aliis velut regentes (quales enim hinc protulisti) ob reverentiam mysterij, quod adorabant. Tum Pater æternus alloquitur coram me speciosissimum illum, & admirabilissimum Puerulum, quædam tantæ cum autoritate & majestate dixit, ut, quamvis mihi manserint impressa, modum tamen, quo sunt pronuntiata, reverentiam, & alios affectus, quos ipsi auditis mea anima sentiebar, sit impossibile explicare. Fuerunt autem ad verbum ista: Fili mi dilectissime, mitto te in mundum, ut redimas, dirigasque, & illumines genus humanum. Eo momento fui edocta, quòd ille Sacrosanctus Puerulus elicuerit actum obedientiæ, & resignationis in voluntatem sui Patris, tam heroicum, omnique ex parte perfectum, ut Pater æternus sibi in eo, super omnia, quæ dici possunt vel cogitari, complacuerit. Progressus est deinde Dominus, loquendo ad Puerulum, his conceptis verbis, quæ appono: Tu es filius meus, mea dextera, meum potens brachium; te ego Regem & Dominum creatorum omnium creaturarum, atque Judicum vivorum & mortuorum.

His dictis Dominus se ad me convertit, mihi que dixit: Et tu, Anima, quid ad hæc dicis? Ego tota eram aborpta, contempendo ob tantum mysterium; quàm optime tamen potui, respondi Ejus Mostati: Dico, mi Domine, me magnas tibi agere gratias, pro singulari beneficio, quod contulisti humano generi, dando mi hunc Filium tuum, ut ipsum salvarem. In Sancto Filio tuo pariter ago gratias, quòd tantâ charitate dignatus sit acceptare tuum mandatum, nosque tantis suis rebus impensis. Offero me etiam in actione ejusdem indignam, me que in omnibus

per omnia in ipsius regno voluntatem. Tum Dominus, velut acceptando meam exiguam oblationem, affabili vultu ostendit, sibi eam placere, vertitque se ad Angelos, & impertiendo ipsis suam sanctam benedictionem, dixit illis: Angeli mei, do vobis meam benedictionem. Et conversus ad me, benedicensque mihi; subjunxit: Atque tibi, creatura, etiam illam impertior. Postea Divina Majestas, eum in modum, quo advenerat, rediit ad cœlum, cum suis Angelis. Ipsi illum benedicant. Amen.

Quas Venerabilis Marina habuit revelationes de Nativitate Christi, in festis Natalitijs, anni sexcentesimo vigesimo quinti, habuit: quoque anno sequenti, millesimo sexcentesimo vigesimo sexto, adjunctis tamen quibusdam circumstantijs, qua ipsi denuo de hoc sacrosancto mysterio fuerunt manifestata. Alias præterea cum est affectu gratias, concernentes hanc solennitatem. Unde statui, nè idem inutiliter iterarem, referre tantummodo scripta anno sexcentesimo vigesimo sexto, addendo interdum aliquid ex anno sexcentesimo vigesimo quinto, ubi hoc illudque fufius recensetur. Sic igitur ait.

His diebus, ante festa Natalitia, Dominus mihi cepit, ex mera sua bonitate, ostendere, quæ sanctam ipsius antecesserunt Nativitatem, voluitque, ut comitater Sanctissimam Virginem, proficiscentem Bethlehemi versus. Ibat hæc Domina unâ cum suo putissimo Sponso, Sancto Josepho, circumdata à multis Angelis, ipsam comitantibus. Primâ nocte, vigesimâ secundâ Decembris pervenimus ad quoddam hospitium, ubi ejus Majestas cum exigua fuit benevolentia excepta. Domus habebat spatiosam aream, & in singulis lateribus cubicellum satis malè accommodatum, quorum unum intravit Præcellsa Regina, & sedit in podiolo, seu tumulo asurgente ex terra, atque Sanctus Josephus juxta ipsam in sellula. Hospita se gerebat perquam inhumanè, ostendendo, quantopere sibi displiceret, quòd Virgo divertisset in ejus domum. Incluta Virgo, & Sanctus ipsius Sponsus id mirâ tolerabat patientiâ & humilitate. Ibi Sanctissima Virgo magna à

Deo accepit lumina, & intellexit, appropinquare felicem virginæ partus horam. Tota illa nox fuit transecta, assistentibus in cubicello multis Angelis. Deinde vidi, quomodo S. Josephus, orto jam Sole, cum admirabili reverentia, demissione, & modestia, duxerit Sanctissimam Virginem, juveritque conscendere asellum, ac deposito suo pallio, texerit eodem hanc magnâ Dominam, & ipse pallio carens apprehenderit aselli capistrum, atque inceperit antecedere.

Eo die sub vespertum, vigesimâ tertiâ mensis, pervenimus ad aliud divertorium, simillimum quoad fabricam præcedenti, sed prorsus diversum quod attinet ad hospitalitatem. Tabernaria erat mulier corpulenta, quæ mihi ex habitu, & velo capitis videbatur esse rustica. Suscepit Sanctissimam Virginem quàm libentissimè, & exhibendo illi singularem humanitatè, Ingressa est hæc Domina parvum cubicellum, quod erat in uno latere illius atrij. Hospita continuò adfuit, & amantissimè ipsam invitavit, ut veniret, seque calefaceret ad focum, ad quem intrabatur per magnam januam, primariæ in prædicto atrio portæ oppositam. Verùm Virgo, actis magnis pro hoc favore gratijs, non annuit humanæ invitationi, & graciosè atque humiliter se excusavit. Vidi multos itantes ad ignem, & juxta focum, quos omnes apparebat esse pauperes. Erant ibi multæ distinctæ mensulæ, ubi omnes cenabant: suppellex fuit paupertina & rudis, visaque mihi est lignea. Bona mulier sollicitabatur de bene tractanda Virgine, & dicebat hospitiibus cenantibus: Advenit quædam Domipa formosa, modesta, ac discreta, quantum desiderari potest; nescio qualis sit, sed oportet absque dubio esse eximiam aliquam, & spectabilissimam matronam. Omnes libenter rescivissent, quænam esset. Exemit benevola hospita ex quodam repositorio gratiosam scutellam testaceam simplicissimam, quam replevit jusculo, superposuit orbi ejusdem materiæ, attulitque Virgini, cum alio cibo, quem ex ijs, quos pro alijs paratos habebat, selegit quàm optimum, & Celsissima Domina illum cum gau-

gaudio, & magna gratiarum actione suscepit ex manu devotæ rusticæ, atque ostendit se comedere. Ego omnibus aderam, etiâque duæ sociæ, una Monialis, altera sæcularis, quæ me comitabantur. Videbar mihi accipere oblatum cibum, ejusdemque reddere participes socias, urgendo illas, ut accederent ad ipsum sumendum. Sanctissimus Patriarcha Josephus exposuit candidissimum panem instar spiræ, ut inde aliquid sumeret, ad quem & me invitavit.

Totum atrium tunc semper, unâque ille angulus, quem intraveramus, erat plenus Angelis Dei, ut ibi videretur esse cœlum: intra prædictum tamen tempus, præter illos, qui comitabantur Inclytam Dominam nostram, descenderunt ex cœlo duodecim Angeli, aut paulò plures, qui erant ex eminentioribus, & magnam præ se ferebant majestatem. Hi ceperunt canere dulcissimum cantum, resonantibus simul suavissimis instrumentis, quæ juncta vocibus cœlestem edebant harmoniam, & totus textus continebat laudes Dei. Tonus adeò in hæsit meæ memoriæ, ut, si nōlsem musicam, existimem, illum à me facile notis musicis exprimendum. Absolutâ musicâ, tradiderunt instrumenta alijs Angelis minoribus, qui pariter aderant. Remanserunt ibi sat diu, assistentes Sanctissimæ Virgini, ipsâmq; gratiosissimè & reverentissimè honorantes, tanquam Reginam suam ac Dominam, ac deinde sunt reversi ad cœlum. Quando adfuit hora discessus, Virgo peramanter valedixit suæ devotæ hospiti, & imponens manum ipsius humero, dixit ei: Omnipotens Deus tibi, Soror, rependat hospitalitatem mihi à te exhibitam; quod quidem fiet. Bona illa mulier, perquam reverenter & humiliter, juvit Sanctissimam Virginem, in conscendendo a se: cum autem inciperet suum iter prosequi, fui mihi penitus erepta, cessante sic visione.

Die vigesimâ quintâ, horâ primâ post mediam noctem, me deprehendi, etiâmq; meas socias in tuguriolo Bethlehemitico, & adverti, Cellissimam Reginam jam perivisse. Tenebat illa sacratissimum suum Filium, pulchriorem, quàm concipi possit,

in suis ulnis, qui tamen plorabat more aliorum infantium, & lachrymabatur: ex oculis quoque Sanctissimæ Matris decidebant copiosè ac teneræ lachrymæ, servatâ nihilominus maximâ, & plus quàm humanâ vultûs serenitate, & compositione. Vidi cœlos apertos, & in eorum summitate Beatissimam Trinitatem, majestate conspicuam & magnificentiâ verè ineffabili, quæ clarissimè demonstrabat gaudium, & complacentiam, ob recens natum Puerulum. Omne illud spatium, à regio throno Dei, usque ad vile tuguriolum, erat refertum Angelicis spiritibus, & audivi ab eodem Domino, designante Infantem, ipse dici: Iste est Deus vester & Dominus, adorate illum. Tum ea beatorum Angelorum multitudo, quæ mihi apparebat propè infinita, se humiliter prosterens, adoravit cum ineffabili gaudio Divinum Puerum. Ego pariter, licet indignissima, accessi ad ipsum adorandum, advocando sicut meas socias, ut idem facerent, quem admodum etiam fecerunt. Hæc visus extraordinario meam animam affectu solatio, & abripuit in profundam ecstasim. Quando ex ea redivi, repeti me in meo paupere cubiculo. Deus sit benedictus. Amen.

Secundâ die Natalitiorum festorum, ac si eo solatio, ac devotione, quam feci, quodque mihi Deus in prædictis mysteriis præstiterit gratiam, fuissim quidpiam promerita, novum mihi contulit beneficium. Audivi in cœlo vehementem strepitum tonitruorum (quæ non erant similia tonitribus, sed suavissima) & ingentem ro-gorem: atque ob experientiam, quam habeo, intellexi, Sacratissimam Personam Spiritûs Sancti velle aliquid operari. Nam quod multoties dixi, apparitiones hæc Domini plerumque antecedit iste facilis strepitus. Descendit ad hoc cubiculum, cum comitatu multorum Angelorum, & intra quandam tamen caliginem, & quædammodo tectus divinâ nebulâ. Postquam ad me pervenit, dixit mihi cum immensa gravitate, simulque ineffabili amore: Virgini, amica mea, mecum, ducam te ad celestem Patriam; & quasi extendens brachia

chium me elevavit, atque Sancti ipsius Angeli me detrepente exornaverunt vestibus, & cultu festivo, sicut aliàs. Ducta sum à Divina Majestate ad cælum, ubi arcè unita Divinæ ipsius Essentiz sum consecuta altissimas cognitiones, de immensis ejusdem perfectionibus, confusè, & in divina quadam caligine. Sic diu hæsi velut immerita lumini, unde me Dominus duxit ad aliam longè eminentiorem altitudinem, ubi me ipsam non novi, & fruita sum talibus bonis, ut sufficissent ad conficiendam naturam, meque illic privandam vitâ, nisi ab omnipotenti manu fuisset confortata. Restituta mihi, deprehendi me in eo priorè (satu prædictæ unionis, & exhibuit se mihi idem Dominus spectandû instar Regis ipsendidissimè exornati. Habebat tres vestes superinductas, easque itâ elevatas, ut extima aliquid retereret de intermedia, atque hæc pariter aliquam discooperiret partem intimæ. Intuita me est Divina Majestas obstupefactam ijs, quæ videbam, dixitque mihi: Scias velim, Anima, me indutum esse potentiâ, charitate, & fortitudine: deceet verò, ut tu, quæ es tota mea, & mea dilecta sponsa, te illis induas, mihi que aliquatenus similis evadas. Ego celeritè, & sollicitissimè respondi. Non mi Domine, non mi Domine, non nisi charitate, & fortitudine. Fiat itâ, dixit Dominus: primam enim, quæ est potentiæ & gloriæ, tibi servabo pro fine vitæ. Reverta ad me ex hoc raptu, me inveni in meo angulo. Benedictus sit Deus. Amen.

Gratiam istam à Spiritu Sancto obtinuit, anno sexcentesimo vigesimo quinto, quam hoc loco retuli, eò quòd se ad eam promerendam videatur disposuisse affectibus erga mysterium Sanctissimæ Nativitatis. Sequentes tres visiones pertinent ad annum sexcentessimum vigesimum sextum. Continuat porro concernentia Christum Dominum, Delicium nostrum, recens natum, & post enarrata alia festorum Natalitiorum mysteria, sic ait.

Vocavit me rutilum Dominus, dicendo: Veni mecum, Anima, videbis solennitatem, quam animæ infantium, quæ sine proprijs meritis, me perfruuntur, propter solam

Vita Mar. de Escob. Pars II.

gratiam baptismalem, hodie celebrant in honorem Pueri recens nati veri Hominis & Dei. Duxit me Divina Majestas ad cælestem Patriam, in eaque collocavit intra palatium separatum, inferius reliquo cælo, quod tamen etiam erat cælum. Vidi ibi obtineri magnâ atque æterna bona, & cognosci possiderique ipsammet Deum quamvis non tam perfectè & excellenter, quàm eo fruuntur cæteri Sancti. Bene advertebatur utriusque statûs discrimen. In hoc palatio conspexi Sanctissimam Virginem mirum in modum ornatam, & pretiosissimis abundantem cimilijs gratiæ ac gloriæ, quæ in suis sacratissimis ulnis tenebat suum Sanctissimum Filium. Sedebat in splendido throno immensæ majestatis, circumdata à millenis Angelis, qui dulcissimè decantabant divinas laudes, & magnalia præsentis mysterij. Ex illo Pueri Deo prodibant divini radij immortalis luminis & gloriæ, qui illustrabant animas eorum fortunatorum infantium, juxtaque ipsorum capacitatem illos reddebant beatos. Infantes longo ordine, & bini, sese invicem sequentes, canebant & laudabant Deum, gratiæque illi agebant pro beneficio nostræ redemptionis; ac deinde profstrati ipsum adoraverunt, tanquam suum Deum ac Dominum, atque Divinus Puer ijs dedit suam sanctam benedictionem.

Die S. Joannis Evangelistæ, quod erat tertium festum Natalitium, mihi similiter Dominus dixit: Veni, Anima, & intereris solennitati, quæ celebratur à Sanctis novi Testamenti, in honorem Verbi in carne nati. Ascendi ad cælum, vidi Christum Dominum jam virum triginta circiter annorum, augustâ spectabilem majestate, & autoritate supremi Regis, sedentem in splendidissimo & pulcherrimo throno. Hic thronus erat impositus curru triumphali, non admodum alto. Trahebatur à sex Sanctis animalibus (licet namque esset species animalium, anima tamen agnoscebat eorum Sanctitatem) candidissimi, & venustissimi coloris. Singula suam in fæmore ferebant diver-

Z

sum

lum infigne. Erant autem Sol, Luna, speculum, crux, clavi, corona spinea. Postea intellexi, quòd representarent Sanctos Evangelistas, & Prophetas. Ducta fuit solennis pompa per circuitum celestis civitatis, Angelorum, & Sanctorum novi Testamenti. Concinebant laudes, in honorem Humanitatis Christi Domini, & præconia ipsius Nativitatis. Musica adeò erat admirabilis ac divina, ut attonitam redderet meam animam. Substitit processio ante thronum Sanctissimæ Trinitatis, & quando advenit ille mysticus currus, Pater æternus suscepit amabilissimè suum Filium, dixitque ipsi: *Sede à dextris meis.* Dominus descendit ex throno, & conscendit ad dextram sui Patris æterni, atque Sanctis, & Angelis, qui illum prostrati in eo cæli pavimento adorabant, tanquam suum Deum ac Dominum, dedit cum ineffabili benignitate suam Sanctam benedictionem.

Eodem die, post prædicta, cum vacarem meæ convetæ orationi, commendando me Sancto Joanni, rogavi illum, ut me, cum esset ipsius festum, commendaret Deo, & intercederet pro mea paupere anima. Cum etenim iste Sanctus tot habuerit revelationes, optabam ut mihi Deus ipso interveniente largiretur lumen, nè errarem in hac vis, quâ me Divina Majestas dignatur ducere. Interea mihi idem Sanctus comparuit, meque salutatam interrogavit: Quid vis, Anima? Benedicte sancte, respondi, ut mihi des eleemosynam. Et extendi manum ad eam suscipiendam. Accipe, dixit ipse, & imposuit in illam nummum elegantem ac pretiosum, quasi aureum, mirè pulchrum & splendentem, quem fortiter intrinxi: & sensi, quòd penetraverit ad meam animam, meque vehementer ditatam bonis repleverit spiritualibus. Pollicitus mihi præterea est Sanctus, se fore meum advocatum. Interrogavi ipsum: Pretiose Sancte, quomodo te non vidi in hodierna pompa? Et respondit mihi: soror, ego ibi incedebam penes Dominum, & juxta currum. Verum sicut hæc non lucent stellæ,

nec videntur præsentem sole, ita ego, coram Majestate Domini non apparui, & propterea non advertisti me adesse. Hoc dicto, Sanctus rediit ad cælum. Laudatur DEUS in æternum. Amen.

Visionem, nunc à me referendam, & postremam de hoc summo mysterio habuit in festo Nativitatis, anno sexcentesimo octavo, quam his verbis descripsit reliquit.

Hoc die me Dominus duxit ad celestem Patriam, & interfui solennitati, que in ea peragebatur in honorem Dei Patris recens nati. Notavi Sacrum ac magnum strepitum, & ordinatissimam Angelorum Dei solitudinem. Alij capiebant divinas laudes; alij, nescio quâ ratione, loco globorum ejaculabantur hislas, quæ volantes summe resplendebant; alij evibrabant velut pyrobolos; alij quæ fulgetra suavissimi & lucidissimi ignis: constituerunt solennissimam procellionem, obeuntes totum cælum, atque inde cum magna exultatione descenderunt ad terram, quibus conspectis aufugit tremor internalis cohors, quæ hic vagabatur. Revenierunt ad stabulum Bethlehæmense, repererunt Puerum Deum & Sanctam matrem ejus Matrem, maximam demonstrantes gloriam & majestatem. Adhibuit ibi tota Beatissima Trinitas, & Dominus Majestatis mandavit omnibus Angelis, ut illum Puerum adorarent, tanquam suum Deum, & verum hominem, Dominum suum. Omnes humi prostrati in suum adoraverunt, ac deinde sunt osculati ejus pedes, profitentes illum esse Deum & caput Angelorum ac hominum.

Finitâ hac adoratione, vidi advenisse Pastores, qui sanctam suam simplicitate, persuasi ab Angelis, ipsum adoraverunt eidemque sua obtulerunt munera. Postea illum adoravi ego, atque etiam nonnullæ, & cæ non paucæ, Moniales, nec non feminae seculares, quæ me comitabantur, cum magna eundem adoraverunt devotione: inter quas agnoscebas meas quasdam amicas, Moniales Sancti Bernardi ex Conventu, dicto de la Fielgas, atque Dominicanas ex Conventu

qui nomen habet à Matre Dei, utroque Civitatis hujus Vallisoletanæ, prætereaq; duos Religiosos diverforû Ordinum. Postremò vidi accedentem quendam virum nobilem, qui adveniebat alijs associatus. Is intravit solus, & adoravit Puerum Deum recenter natum. Alij ipsius comites manserunt foris confabulantes & ridentes, dicebantq; sibi invicem: Videamus, quorsum iste eat. Tum cessavit visio.

CAPUT XLIII.

Ea, quæ ipsi Christus Dominus patefecit, de sacrosancta sua Circumcisione, Adoratione Regum, Præsentatione in templo.



Progrediens Venerabilis Marina in recensendis, qua illi de Pucro recens nato fuerunt revelata, sic ait, loquendo de anno sexcentesimo vigesimo quinto.

A vigilia sacrosanctæ Circumcisionis hærebam immersa spiritualissimæ contemplationi, infundente mihi Deo singulare lumen, de admirabili resignatione hujus Dei Pueri, & Salvatoris nostri, in sanctissimam voluntatem sui Patris æterni, ad redimendum genus humanum, tantis suis impensis & commodo nostro. Biduo post mihi, dum audirem Missam, Dominus exhibuit spectandum hoc mysterium. Sanctissima Virgo habebat in suis ulnis Sacratissimum suum Filium, quasi tum primum fuisset circumcissus. Flebat tenerè Puellus sentiens vehementem dolorem, & pallens. Inclyta Virgo vultu ad summam gravitatem composito fundebat lachrymas, atq; portigebat Filio Dei & suo putissima ubera, acsi ipsum conaretur pacare: animadvertebatur verò in Domina commiseratio, ob dolores Filioli, penetrans illius animã. Hic mihi Deus profundam, & præter mortem claram contulit cognitionem, ut intelligerem internam constitutionem Divini istius Infantis, & Sacratissimæ Ipsiæ Matris. Agnovi in illo manifestè actum heroicum, & voluntatem promptissimam, ad obediendum suo Sanctissimo Patri, quã se offerebat, ad perpetuendam hominum causã mortem & crucem. Sacratissima quoque Virgo, quod ad ipsam attinebat, acceptabat eandem obedientiam, atque

Vita Mar. de Esob. Pars II.

tanquam suum Filium, cui suam tribuerat carnem, ferventissimis actibus in id ipsum offerebat Patri æterno.

Ego, hoc spectaculo tenerrimè commota, accessi ad Dominum, dixique ipsi blandè ac dolenter: Cùm Tua Majestas posset tot alijs modis mundum redimere, vel unicã sanguinis guttà, aut unã lachrymulã, quid opus fuit pretio tot dolorum, & contumeliarum? Sacrosanctus Puer mihi exterius nè verbum est locutus, verùm tanquam Deus arcano, & penetrante sermone mihi dixit: Itã omnino est, Soror, sicut dicis, nihilominus tanta pati volui, ut obedirem Patri meo æterno, glorificando ipsum his doloribus, & ostendendo hominibus, quantopere à me diligantur, ut illos obligarem ad mihi respondendum, me amando, mihiq; serviendo. Hoc audiens appropinquavi magis ad meum Dominum Puerum, egi illi gratias pro beneficio nobis præstito, optavi osculari ejus pedes, & quæ fuit immensa ipsius benignitas, sum illos osculata. Quando accessi, vidi quòd mysticè in ijs gereret signa suorum vulnerum: mysticè, inquam, quia re ipsã nec erant vulnera, neque signa visibilia. Fuit mihi significatum, quòd, sicut ab instanti suæ sacrosanctæ Incarnationis Dominus præsentis habuit suos cruciatus, itã quoque habuerit pedes oblatos, & præparatos ad clavos, quibus suo tempore fuerunt transixi. Ob hanc visionem sum sat longam passã ecstasim, atque dum ad me redivi, erat tempus sacre Communionis.

Postea in festo trium Regum, mihi Divina Majestas dignata est manifestare mysterium

sterium hujus solennitatis, & quæ acciderunt, quando hi felices Sancti venerunt ad ipsum adorandum. Intellexi, hos Sanctos tres Reges, fuisse sapientissimos, & ex naturali scientia, quæ erant præditi, ac sacram & humanarum literarum peritia, multoque magis propter lumen, quod Deus eorum animæ internè communicavit, & exterius per stellam, agnovisse, magnum hunc Deum & Dominum nostrum jam esse natum in mundo. Vidi, quod ipsum vivacissimâ fide, quam habebant de ejus Divinitate, quæviserint intrantes Jerosolymam cum periculo, & magno vitæ discrimine, atque interrogantes, ubi esset natus. Deinde vidi appropinquantem tuguriolo Bethlehemitico, cum numeroso hominum comitatu, & strepitu jumentorum. Ingressi invenerunt Divinum Puerum in brachijs suæ Sanctissimæ Matris, sedentis cum Sancto Josepho. Totum illud paupertinum hospitium erat conversum in cœlum, plenum Angelis, & gloriâ cœlesti, quanquam Sancti Reges nihil horum viderint, præter Puerum & Matrem, coruscantes tam splendidis radijs, ut ille optimè adverteretur esse verus Deus & Homo. Fuerunt excepti à Virgine, demonstrante ipsis, summa cum gravitate, magnum amorem.

Tum illi prostrati adoraverunt Puerum tanquam verum Deum. Observavi autem, quod singuli seorsim prius fuerint osculati terram, ac deinde cum singulari reverentia, humilitate & devotione, accesserint ad osculum pedum ipsius, obtulerintque ei allata sua munera, quæ ex illorum manibus suscepit gloriosus Sanctus Josephus. Post adorationem & oblationem est ipsos allocuta Inclyta Virgo, cum suavissima charitate ac benevolentia, gratias illis egit pro sancto zelo, fide, ac donis, cum quibus advenerant. Ipsi pariter sunt allocuti Ejusdem Majestatem, non intellexi tamen, quid dixerint. Cum valedicerent, Sacratissima Domina assurrexit, tenendo suum Sacrosanctum Filium in ulnis, exhibuit Sanctis Regibus honorem, semper manens in eodem loco. Sanctus Josephus est egressus extra tugurium, ipsis

valedicturus. Tum mea visio cessavit. Deus sit semper benedictus. Amen.

Antiqui Authores pleni sunt testimonijs probantibus, in Asia eos, qui adorabant tres Reges, solitos fuisse osculari terram: idcirco non est mirum, Sanctos Magos adorantes Divinum Puerum, ut verum Deum, & legitimum suum Regem, usos fuisse hac reverentia, quam vidit Venerabilis Maritus. Aliâ vice, septimâ Januarij, anno sexcentesimo vigesimo septimo, spectavi idem mysterium cum ipsâ circumstantijs, quæviserit ostensum quasi representatum in ipsius cubiculo. Tantum addit, quomodo illius Angelus se preparaverint, ad excipiendum sacrum nati tum descendentem ex cubo, qualiter unitâ visione prædicti ipsius Angeli accesserint, ut ei precarentur felicia festa. Tandem anno sexcentesimo vigesimo octavo, eodem die Hierophanie ipsi Dominus deus ostendit idem mysterium, verum adjunctis specialissimis circumstantijs. Licet verò aliquæ earum videntur opponi illis, quæ referuntur in scripto præcedenti, si obiter considerentur; ex annotatione tamen, quam postea apponemus, Lectorem intelliget, nullatenus ab invicem discrepare. His solium adverto, quæviserit unus alterve antiquorum Patrum existimaverit, Puerum fuisse adoratum; jam degentem in quædam opinio, non autem in stabulo (quam opinionem nonnulli moderni Doctores censent esse probabilem) communem tamen Patrum sententiam & sensum Ecclesia Catholica expressam in hujus festi officio esse, magisque à sacris Interpretibus probari, quod Puer Deus, cum Sanctissima sua Matre, adhuc in eodem fuerit tugurio in quo erat natus; quemadmodum Venerabilis Maritus fuit ostensum, quotiescumq; videri hæc mysterium. Ipsa igitur dicit sequentia.

Præterlapso hoc festo Regum, operante me impendere orationi, & meditati hæc mysterium modo securo, & ordinario, imaginando mihi personas, & locam, ac circumstantibus adesse, quæ venerunt in adoratione hujus Domini. Multum commovebat excitare imaginationem, & nullas in cubiculo efformare figuras: adigebam me ad id amplius, & minus poteram. Tunc mihi mei Domini Angeli dixerunt: Scilicet noli te fatigare, nihil enim efficias.

re jam non ducit hac viâ. Derepentè con-
spexi Divinam Majestatem, quæ mihi di-
xit: Visne adesse adorationi Regum: Du-
cam te, & repræsentabitur tibi à me quàm
vivacissimè, eoque magis, quòd ego illam
sim repræsentaturus, cum ipsemet tibi fue-
rim adoratus. Non, mi Domine, respondi,
non volo extraordinaria. Omnino, sub-
junxit Dominus, si vis, faciam id. Nihilo-
minus tergiversabat, & indicabam meam
detractionem. Desiste, Anima, dixerunt
mihi tunc mei Angeli, fac quod tibi Domi-
nus offert: nos te ducemus ad stabulum
Bethlehemiticum. Neque etiam sic indu-
cebam animum, donec id Ipsius Majestas
re ipsâ exequeretur.

Inveni illud tugurium, quanquam pau-
perinum, valde mundum, & nitidè ada-
ptatum. Sanctissima Virgo habebat vestè
ex panno non crasso, sed subtili, cujus co-
lor erat hyacinthinus obscurus, declinans
in ferrugineum, velum erat coloris fulvi
pariter obscuri: sedebat in quadam velut
fella non rudè, ex ligno tamen, quod appa-
rebat esse ejus coloris, cujus est lignum, ut
à nobis hic appellatur, sanctum. Tenebat
in alnis suum Sacrosanctum Filium, cui
porrigebat sua virginea ubera denudata.
Divinus Puer erat involutus mundissimis
lineolis, & fasciæ erant nitidissimæ. Tam
Domina, quàm Puer tantam, humanissi-
mæ mixtam savoritati, exhibebant maje-
statem, ut animadverteretur, hunc esse eti-
am Deum, & illam ipsius Matrem. Ade-
rat quoq; Sanctus Josephus, licet aliquan-
tùm remotus. In medio illius tugurij sta-
bat mensa quadrata, recta candidissimâ &
politissimâ mappâ, cui erat superpositus
orbis, & huic spirâ delicatissimi panis, atq;
aliæ buccellæ, quas, cujusmodi essent, non
vidi.

Dum ista spectarem, intraverunt Reges
absque magno strepitu, & antequam ac-
cederent, distantes duobus circiter, vel tri-
bus cubitis à loco, in quo erat Virgo, se
prostraverunt humi, ac deinde sese erigen-
tes iverunt ad adorandum puerum Deum.
Inclya Virgo ipsos excepit, magnam de-
monstrando affabilitatem, & gravissimam
modestiam. Non assurrexit, sed inclinan-

do aliquantùm corpus, nutu capitis ijs ex-
hibuit honorem. Sanctus Josephus illos
est officiosè veneratus. Tum Virgo Sacro-
sanctum Puerum collocavit in suo sinu, ita
ut Divino vultu respiceret Reges, qui ipsū
adorantes, sunt osculati ejusdem pedes, &
obtulerunt illi sua munera. Hæc erant
duo vasa instar phialarum, quatuor una con-
tinebat thus, altera myrrham, prætereaq;
aurum. Duo mihi videbantur esse frustra
auri, instar duarum ferrearum librarum,
quales hic in ponderando adhibemus. O-
mnia ista posuerant super mensulam, quæ
erat in tugurio. Post hoc Reges surrexe-
runt, & abiverunt, nescio quò: non vidi
enim illos ultra. Sanctus Josephus non est
cum ipsis egressus, sed illic manens accessit
ad mensam, & fractâ spirâ tulit inde, in
eodem orbe, duo frustula Sanctissimæ
Virgini, ut illa sumeret. Observavi, San-
ctum Patriarcham, modestæ comitati, &
amori castissimo, quo ipsam prosequaba-
tur, tanquam sponsus, conjunxisse quan-
dam submissionem, flexo coram Celissimâ
Domina quàm reverentissimè uno ge-
nu, dum illi porrigeret orbem, quem Eju-
dem Majestas decentissimè suscepit, osten-
dens, se comedere.

Petij ab hac Domina strenam, quam
mihi pro me, & meis notis donavit, pro-
que amicis meis comitibus, Monialibus &
secularibus. Sanctus Josephus mihi obtu-
lit frustum illius candidissimi panis, ego
autem multùm reluctabar, neque ipsum
audebam suscipere. Sed Sanctus videns
meam tergiversationem, accepit panem,
suâque manu imposuit in meum sinum.
Durante hoc mylterio sensi vehementes
affectus, donec mihi restituta, me repertū
in meo angulo. Deus sit in æternum be-
nedictus. Amen.

*Quod Deus, dum idem mysterium bis, ac
diversis temporibus revelat, aliquis manife-
stet circumstantias posterius, non visas primâ
vice, etiâq; nonnullas omitat ex ijs, quæ
prius fuerunt manifestate, nullam adfert diffi-
cultatem legenti sacros Prophetas, & Apoca-
lypsim. Notant id eum Sancto Hieronymo In-
terpretes in cap. 1. & cap. 10. Ezechielis. Id-
circo Venerabilis Marina, postquam primâ vice
vidit.*

vidit Reges osculantes terram, potuit hac secundâ vice non videre, vel id ipsum scrivit, quando dixit, quod se prostraverint, & adoraverint Puerum. Sed neq. ullam habet difficultatem, quod in tugurio fuerit mensula, & sella non prorsus rudis: siquidem dubitari nequit, quin prudens sedulitas, ac debita S. Josephi sollicitudo, vel aliquorum notorum Bethlehemitarum, aut devotorum pastorum, procuraverit mistuo datam pauperinam supellectilem, qua usus esset summo Regi, & ejusdem Matri, per eos dies, quibus ibi erant commoraturi.

Tota difficultas consistit in appositis hic quibusdam circumstantiis, que alijs videntur adversari. Dixit superius: Vidi appropinquantes tuguriolo Bethlehemitico, cum magno hominum comitatu, & strepitu jumentorum. hic inquit: Intraverunt Reges absque magno strepitu. qua in re nulla est oppositio. Advenerunt tres Reges cum magno strepitu ad tugurium, postquam autem descendunt ex jumentis, at quo dum illud intrarent, gesserunt se modeste & quietè, quantum ipsis fuit possibile. In precedenti visione illos comitabatur ex ipsorum regione usque Jerusalem, & inde ad presepe, referitq. strepitum, quem vidit, quando adveniebant, sicut contingere solet in accessu ad diversorium. In presenti visione erat Venerabilis Marina intra tugurium, neque illi fuit exhibitus strepitus, quem homines & jumenta foris excitabant, sed modesta reverentia, & modicus strepitus, cum quo Sancti sunt ingressi.

In hac secunda visione dicit de Virgine: Non assurrexit, sed inclinando aliquantum corpus, nutu capitis ipsis exhibuit honorem. Exponit Venerabilis Marina modum, quo hæc Inclya Domina exceperit Sanctos Reges: neq. id quidquam repugnat dictis in priorè visione de modo, quo illis valedixit, ubi ait: Cum valedicerent, Sacratissima Domina assurrexit &c. Combinentur tempora, & concordabunt veritates. Ostensum fuit Venerabili Marinæ primò, qualiter se Regina cæli gesserit, dimittendo Reges; secundâ verò vice, qualiter eosdem exceperit. Velle jam scribatur, cur hæc magna Domina excipiat sedendo, ac dimittat stando, esset potius commentari mysterium, quam scribere historiam. Transeo ad alias majores difficultates, quas nonnemo potest observare.

In superiore visione dicit: Quod obtulerint allata à se munera, que ex illorum manibus suscepti gloriosus Sanctus Josephus. In hac, postquam descripsit dona, addit: Omnia ista potuerunt super mensulam, que erat in tugurio. Legatur attentè contextus, qui non exprimit, quis illa omnia posuerit super mensulam: & procul dubio loquitur, meâ opinione, de Sancto Josepho, qui consequenter loquens de Regibus adjungit: Post hoc Reges surrexerunt &c. Constat ex hac visione, Dominam nostram cum Sanctissimo suo Filio fuisse aliquantùm remansam à mensa, ideo namque infra dicitur, a S. Josepho esse allatum cibum Virgini Matri. Cum itaque depositis donis super mensam, Reges dicantur surrexisse ab adoratione Pueri, non fuerunt ei ab ipsis posita. Neque est durus loquendi modus, licet solus Sanctus Josephus dona ex manu Regum accepta in mensa posuerit, quod Venerabilis Marina dicat: Posuerunt. Ita enim omnes in hujusmodi occasionibus loquimur, quando exempli causâ dicimus: Preparaverunt mihi mensam; dederunt mihi aquam pro abluendis manibus; attulerunt mihi cibum &c. quævis id unus tantummodo agat. Verum dicitur, hic Ven. Marinam vidisse, quod ipsius Regum sua munera posuerint ad mensam; absque illa inde sine dubio, Sanctus Josephus. Atque ita in prima visione, ubi illi non fuit ostensa mensa, sed dona, prius in manibus Regum, etiam in manibus Sancti Josephi, potuit cum eadem veritate dicere, quod ipsa ex illorum manibus acceperit.

Ultima difficultas, que magis apparet, est, expediri, meo exiguo judicio, potest, & facilius complanari. In prima visione dicitur, quod, postquam Reges valedixerunt Virgini & Pueri Deo, Sanctus Josephus fuerit egressus extra tugurium, ipsis valedicturus. In hac secunda ait: Post hoc Reges surrexerunt, & abiverunt, nescio quò, non videntur enim illos ultra. Sanctus Josephus non est cum ipsis egressus, sed ibi mansit. Tantum abest, ut hæc samala Dei contradiçtoris, que superius asseruit, tanquam contradiçtoris, aut sibi non constans, ut potius clare appareat, ipsam in hac visione alludere ad alteram, & referre, quid viderit diversè. Videtur Deus illi in posteriore ista visione nihil minus

fostravit de valedictione, & mutuo alloquio Regum ac Domina nostra, eo quod hoc videri precedenti vice. Ac proinde neque ipsi hic ostendit egressum S. Iosephi ex tugurio, qui pertinebat ad istam solennem valedictionem. Quapropter in hac postrema visione non loquitur de Regibus, tanquam discedentibus, sed ac si, absolutâ eâ parte representationis, que tunc peragebatur, disparuerint. Mansit autem S. Iosephus occupatus ministrando cibo Virgini, quod ipsi tum erat ostendendum, ultra ea, qua priori vice viderat.

Hoc sufficit, ad probandum, nihil in his visionibus reperiri contrarietatis. Accidet verò haud dubiè permixtum Patribus spiritualibus, gerentibus curam animarum, videre, quod vix ullus reperitur, quantumcumque elevati & securi spiritus, cuius revelationes, licet sint pauca, non sit semper operosum (spectatâ obscuritate alloquiorum, & visionum Divinarum) combinare; quòdque revelationes Ven. Marix, quamvis sint innumera, itâ sibi invicem cohercant, ut unum duntaxat scriptum reperitur, quod sit necesse concordare cum alio, que tamen concordia sit tam facilis inventu. Laudetur semper Deus, ut est semper mirabilis in Sanctis suis.

Progrediamur ad aliud mysterium, quod ipsi Dominus ostendit in festo Purificationis, anno sexcentesimo vigesimo nono, exhibendo illi modum, quo fuit presentatus in templo. Accedit & alia gratia, quam mox die sequenti obtinuit. Quae omnia ab ipsa describuntur sequentibus verbis.

Secundâ Februarij die Purificationis Dominae nostrae, DEUS mihi gratificatus est, ut comparerem in caelo, fruitura festo, quod ibi in honorem huius misterij celebrabatur. Simul ac sum ingressa hanc Sanctam Civitatem, conspexi Sacratissimam Virginem, adeò immortali plenam splendore, & stupendâ pulchritudine, ut majore me affecerit admiratione, quam quandoque aliàs. Tenebat in suis ulnis superpositum velo, quod erat splendidus sole, suum Sanctissimum Filium formosissimum, & immensâ luce, quâ perfunde- batur, clarè demonstrantem, se verum esse Deum & Hominem. Tota hæc visio fuit omnibus consideratis tam admi-

rabilis, ut à nullo, sive homine, sive Angelo possit sufficienter edisseri. Instituta est solennis processio omnium caelestium Aulicorum, qui canebant laudes DEI, gratiasque illi agebant, quòd factus esset Homo. Circuibant totam illam magnam Civitatem, & claudebat comitatum præcella Regina cum suo Filio, quem gestabat in ulnis, atque penes ipsam incedebat gloriosissimus Patriarcha sanctus Iosephus. Dum sic progredierentur, observavi, Sanctissimam Virginem certo loco sese profundè inclinantem, & postea rescivi à Domino, illum locum respondere monti Calvariae, ubi Sanctus ipse Filius fuerat crucifixus. Pervenit pompa, & substirrit ante thronum Sanctissimæ Trinitatis, ubi hæc Domina flexis genibus Patri æterno obtulit suum Sanctissimum Filium, in remedium humani generis, tota resignata in ejus Divinum beneplacitum, tanto affectu, amore, ac promptitudine, atque actibus tam heroicis, ut obstupescerit universam illam caelestem Civitatem, & pauperem meam animam præter morem reddiderit attonitam. Tum Beati illi Spiritus se prostraverunt, gratias agentes Deo, atque honorem deferentes Virgini suæ Reginae: & postquam surrexerunt, novam sunt exortu mulicam, cantantes Domini laudes, ob beneficium remedij nostri, simulque celebrabant gloriam ipsius Genitricis.

Post hoc Celsissima Domina accessit ad me, expansoque cum singulari affabilitate ac amore dicto velo in meis brachijs me multum timente & expavescente, ac admirante Divinam misericordiam, collocavit in ijs sacratissimum illum Puerum. Vehementer verecundabar, atque aliunde obeæcabar à radijs prodeuntibus ex Divina ejusdem Domini pulchritudine. Cum Sacrosancto hoc thesauro, quem gerebam in meis indignis ulnis, fui, unâ cum Sanctissima Virgine, ducta ad alium locum, ubi erat Sanctus Simeon. Habebat ante se aram, & suscipiens ex meis manibus Sanctissimum Puerum, cepit reverentissimè canere: *Nunc dimittis servum tuum Domine &c.* Mox Angeli, vocibus & melodiam

lodiã verè cœlesti continuaverunt, & finiverunt totum canticum. Deinde Sanctus senex restituit Sacratissimum Puerum suæ Sanctissimæ Matri, quæ illum in suis ulnis secundò præsentavit Beatissimæ Trinitati. Hic ipsi Pater æternus cum tenerimo amore dixit: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, &c.* & collocavit illum ad suam dexteram. Fui mihi penitus erepta, dum spectarem tanta mysteria, & quando ad me redivi, inveni me in meo paupere angulo.

Postridie deinde manè, intenta meæ ordinariæ orationi, inter consuetos dolores & curas, audiivi Dominum dicentem: Anima, es fatigata, veni mecum, videbis quid agatur, & capies solatium. Ego propter meos timores nolebam ostendere, id à me intelligi, & perseveravi in mea oratione adhuc ultra horam, donec me Divina Majestas secundò vocaret, ducens me reipsâ ad cœlestem Jerosolymam, & collocans juxta thronum Agni. Vidi emanantem inde vastissimum fluvium, qui irrigabat, & circumibat totum cœlum: licet verò aqua esset limpidissima, aliquantum tamen erat tincta colore sanguineo. Utrinque in ripa hujus fluvij erant innumerabiles Angeli, qui intingentes quædã velut aspergilla in ea aqua, seu sanguine, conspergebant omnes creaturas rationa-

les. Significatum mihi fuit, magnitudinem illud flumen esse meritorum & sanguinis Divini agni, Christi Domini, deique nostris, & conspersos fuisse omnes homines, bonos ac malos, eò quòd pro omnibus sit mortuus, & omnibus sufficientia præbeat auxilia ac lumen, ad cognoscendum verum Deum: atque per malos stare, quòd nolint bene uti tam pretioso sanguine, quàm ex eodem fructum capiunt boni. Vidi tum juxta me omnes notos, & amicos, atque eos, qui se exiguis meis commendaverant precibus, tam Religiosos, quàm Moniales, & Dominos seculares. Expandebam, mei ipsius immemor, brachia, omnes advocando, & rogabam Angelos, ut ipsos aspergerent, quòd fecerunt, & repleverunt illos eo Divino liquore sanguinis Jesu, secundum singulorum capacitatem, omnibus summo affluentibus solatio. Petivi deinde à Sanctis Angelis, ut aspergerent etiam me. Ità omnino factum, responderunt. Vidi me conspersam illo pretiosissimo sanguine, qui omne meum desiderium explevit, meque confortavit. Tum se mihi in eo altissimo throno Agni videndam exhibuit Patrem, & Majestatem Christi Domini nostri. Ita sum aliquamdiu gloriã altius spectaculi. Ipse sit benedictus.

Amen.

CAPUT XLIV.

Monstrat illi Dominus mysteria suæ Passionis.

IN Januario anni sexcentissimi vigesimi sexti, quâ idâ occasione Christus Dominus huic Virgini representavit divinum cruciatum, quæ sustinuit, dum coronaretur spinis. Quid compatiendo senserit, refert hiis verbis.

Adfui aliquando his diebus cruciatui & doloribus, quos Christus Dominus est perpeffus, quando coronabatur spinis. Vidi hunc Dominum in specie tam vivaciter representante supplicia ac tormenta, ut meum cor, compatiendo ipsius afflicti-

onibus vehementissimo fuerit confectum dolore. Prostravi me humi, reclinavi caput super meas manus; deploravi meum cruciatum, quos meus Dominus tenebat, eratque tantus meus dolor, ut non potuerim intueri sacrum ipsius vultum, sed gemerim, fuderimque lachrymas, tenerè ei condolendo. Audiebam etiam mores, & vociferationes carnicum, atque multum, qui in eo loco excitabatur, tum meque augebat meum dolorem. Veniebant ad me Domini mei Angeli, & dicebant mihi: Veni, Anima, veni nobiscum. Verùm ego eram ità confecta dolore,

tantopere desiderabam perseverare apud pedes mei Domini, qui sic afflictus ac vexatus patiebatur, ut ipsis nihil aliud responderim, quàm: Relinquitte me, Domini relinquitte me. Hoc aliquoties evenit, donec ipsemet Dominus, tametsi plenus doloribus, peramanter, & vices meas dolendo, mihi diceret: Perge, Anima, perge, ibi me in alia specie videbis. Ità fui abducta à meis Dominis Angelis ad meum cubiculum. Dum jam in eo essem, vidi rursus eundem Dominum in eo habitu, quo cum hominibus conversatus est, & postquam ipsum contulit mihi Ejusdem Majestas ingens lumen, ut aliquantulum eundem Dominum cognoscerem, quàm est homo, manifestando mihi illam promptissimam obedientiam, & ardentem charitatem, quàm se obtulit ad labores ac dolores, adeoque duram mortem, pro generis humani redemptione. Agnovi admirabiles ipsius virtutes, sublimissima merita, & ea ardentia desideria Salutis nostræ. Cognitionis harum prerogativarum tam rarà meam animam affecit admiratione, adeoque omnem excedente modum, ut in me etiamnum perseveret, credamque semper ità perseveraturam, nec illam sciam explicare. Benedictus sit Deus, qui dando nobis Christum Dominum, largitus nobis est tam magnum thesaurum. Amen.

Quia de nonnullis sacra Passionis, Redemptoris nostri, particularibus mysterijs, de quorundem cognitione Venerabili Mariane communicata, alijs dictum est, hoc loco solum referam specialem revelationem, quam valde habuit distinctam suisque hebdomade Sancta diebus continuatam, anno sexcentesimo vigesimo octavo. Sic verò illam receisset.

Die Sabbathi, decimà quintà Aprilis, pridie Dominicæ Palmarum, illucescente die; fui à Domino ducta ad vastum fluvium, qui totus erat sanguineus. In hujus ripis multi Angeli, prostrati in genua, marississimo vultu adorabāt illum sanguinem. Intellexi, esse Sanguinem Jesu Christi Domini nostri. Ibi mihi fuerunt distinctissimè & singillatim ostensa mysteria Passionis ejusdem Domini: oratio in horto, comprehensio, & reliqua. Videbam enim

ea in Persona Sacratissima, quæ illa patiebatur, supernaturali tam expressivo & claro lumine collustrata, quàm si reverà præsens adessem eo loco & tempore, quo fuerunt peracta. Quamvis autem me in magnam abriperet admirationem id, quod Ipsi Majestas externè sustinebat, absque comparatione tamen magis stupebam, videntem internam constitutionem animæ hujus Domini (quæ mihi à Divino lumine longè clariùs, quàm meamet proptia manifestabatur) & ea, quæ intra illud amore flagrans & afflictum cor agebantur. Tantus fuit dolor, & angustia meæ animæ, ut mirum fuerit, me non expiravisse. Cæpi desitui viribus, eò quòd tam dolorosa & lætiosa viderim ac senserim objecta, quæ nequeunt exponi. Visis flagellis, non potui non avertere oculos, quia me advertebam exanimari spectaculo tam inhumane crudelitatis. Nulla reperitur lingua, ut aliquid dicere possit de ijs, quæ ibi meus Dominus est passus. Adui postea mysterio crucis, & quando Dominus fuit elevatus in altum, atque tum existimans me mori, cucurri cum dolore & impetu, quasi mei impos, & amplexata sum ejusdem Majestatem viventem in cruce, strinxique arctissimè, ac si mihi mea gravissima afflictio adderet vires. Audivi proferentem septem verba, & cum pronuntiaret illa: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* ostendit mihi Dominus vivacissimè, quanta fuerit derelictio, quam Sanctissima ea Humanitas unita Verbo patiebatur, in eas redacta angustias, atque si revera sibi soli relinqueretur, quod erat stupendissimum, & verbis exprimi nequit. Quando audivi postrema verba: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum:* quæ Dominus cum validissimo clamore protulit, & vidi ipsum expiravisse, nescio, quomodo non fuerim penitus extincta: scio verò accessibile ad me quendam Sanctum Angelum, dicentem mihi: *Tempera tibi, Anima, nam fatiscis; abi, alioquin morieris. Ego, prout potui, tantummodo respondi: Domine Angele, sine me hie mori cum meo Domino; atque licet magis instaret, non poterat me abigere.*

Vita Mar. de Esob. Pars II.

Aa

In

Interea adfuit tempus, ut transfigeretur lancea, cumque ego sacrum illud defunctum corpus amplexarer, lancea est ingressa latus, & me intacta penetravit petus Domini, effluente ex vulnere magna sangyinis copia, quo tota immadui. Afflictio mea tantopere crevit, ut illam nequam sufficienter declarare. Tum Dominus refigendo se è cruce, imposuit brachia meis humeris, quem ita me amplexantem tuli ad Sanctissimam Virginem ejus Matrem, & collocavi in ipsius gremio, dicens: Hic utique, mi Domine, optimè manebis, in loco, quo melior in mundo non extat. Ibi mihi Divina Majestas manifestavit, me specialissimè illuminando, qualiter fuerit internè constituta Sanctissima ipsius Mater; dolores quoque & resignationem illius purissimi cordis, quod mihi videbatur septem velut pugionibus transfixum. Et observandum est, me, quando mea anima hæc mysteria, quasi in se ipsis, videbat, ac si revera ibi coram me peragerentur, aliunde etiam eadem vidisse, mihi que fuisse representata in eo fluvio, de quo dixi initio, tanquam in claro & crystallino speculo.

Post hoc vidi, quòd Sancti Nicodemus & Josephus, facultate petita à Celsissima Domina, acceperint illud sacrum corpus, & involutum syndone posuerint in quadam arca, tulerintque ad sanctum sepulchrum. Deinde ex sanctæ mulieres illic præsentis, quæ non erant multæ, sed paucæ, duxerunt Sanctissimam Virginem ad ipsius domum, consolando illam: & benignissima Domina ipsas vicissim solabat. Non vidi illas tunc euntes ad sepulchrum. Ego Celsissimam Reginam sum comitata ad ejus domum, & ibi existens volebam, ac petebam manere apud Eiusdem Majestatem, quæ mihi tum dixit: Nequaquam, Soror, vivis enim adhuc in carne mortali, & deficerent te vires. Quare mei Domini Angeli me duxerunt ad meum angulū. Visio duravit ultra duas horas: nam quando ex rapto redivi, erat hora quinta.

Hic me Sanctus Angelus meus Custos, videns vehementer debilitatam, confortabat, & imponens manum meo capiti, dicebat: Age Anima, confortare. Sed ego

tam vivaciter habebam impressa illa dolorosa mysteria mei Domini, ut mihi cor præ afflictione distrumperetur, nullumque abmitterem solatium. Tum vidi comparantem mihi, cum solita majestate, Sanctissimam Personam Spiritus Sancti, quem est solatus, ac dixit: Veni mecum, Anima, & quiesces. Mi Domine, respondi, man non est tempus quiescendi, sed patre mihi mi Deus, relinquat me Tua Majestas: quorsum namque: modò item? verum Domina Majestas videns me deficientem viribus, conspersit me quodam velut sangyineo liquore, quo fui confortata: restitutum mihi, & recuperavi vires. Laudetur semper, & benedicatur Deus. Amen.

Sic eram constituta, donec Feni quædam sacræ hebdomadæ, sub diluculum matutinum, ad me venerunt quidam S. Angeli, totamque me cooperientes nigro velo, ceperunt admirabili musica intonare, quod cani consuevit, dum ad sepulchrum feruntur mortui. Finito cantu, qui me vehementer attonitam reddidit ac ad mirandam elevaverunt meum corpus unam cum lectulo, in quo ægrotū decumbit, totidemque viribus me demiserunt. Deinde me texerunt pretioso velo aureo & splendidissimo: istud mysterium hactenus non percipimus.

Adverti, quòd me vellent ducere ad celestem Jerosolimam, multum autem reluctabar, dicendo: Nunc non est tempus gaudendi, sed tecum, mi Domine, potest. Verum frustra id dicebam. Fui abducta postquam me ibi Dominus arcuissimè cecidit univit, frui sum in eo immenso Estetignis bonis. Vidi derepente Divinam Majestatem vehementer iratam, vultuque incantem summam indignationem, adhaec mihi ingentè incuteret metum, nequaquam auderem intueri. Mi Domine, aperiens quæ est causa tantæ indignationis? Domina Majestas mihi dixit, se irasci peccato abomi, quod tantum intulerit damnum, sciendo genus humanum, pro cuius redemptio necesse fuit, ut Deus fieret homo, & que pro ipsius redemptione subiret mortem. Nonne verò, mi Deus, respondi, ad id fecisset qualecunque istius Domini, Homo, vel minimum opus? Oportet

abundè sufficisset, dixit Dominus: sed vos estis tales, ut, si fuissetis modicis redempti expentis, non estimavissetis remediū, ideò que fuit conveniens, quod hac de causa, & ob alios meos altissimos fines, factum est.

Inde sum ducta ad hortum, ubi vidi Christum Dominum, delictum nostrum, orantem. Fuerunt mihi per speciale lumen manifestata angustia, & afflictiones, quas tunc tantas patiebat, ut ipsi ob doloris vehementiam eripere potuissent vitam. Vidi illum sanguineo perfusum sudore, qui intra ejus vestimenta decurrebat usque ad terram. Vidi alloquentem suos discipulos dormientes. Quando autem venerunt ad ipsum comprehendendum, accessit ad me quidam Angelus, meq; inde abduxit, nè viderem illud mysterium. Existimo, non futurum fuisse possibile videre crudelitatem, quā ibi Ejus Majestas fuit tractata, quin dolore extingveret. Reversa sum postea ad me, reperi que me in meo angulo. Deus sit benedictus. Amen.

Feriā sextā in Parasceve mihi Deus exhibuit spectandam solennem processionem, quæ peragebatur in cœlesti Jerosolyma, meq; singulari affecit admiratione. Vidi meos Dominos Angelos præ se ferentes mæstitiam, tamenti ejus non sint capaces. Erant induti veste nigrā, cujus stamen fuit aureum, Hunc in modum, cum omnibus reliquis Angelis, bini longissimo ordine processerunt. In medio gradiebantur quatuor Angeli è lupremis, quorum unus erat S. Archangelus Michaël, alter S. Gabriel, alios duos non agnovi. Hi ferebant

quatuor nigra vexilla in suis manibus. In sine ibat Sanctissima Trinitas, & Christus Jesus Dominus noster, indutus suis conteris vestibus, quas gestabat degens in hac vita mortali, vultu exhibens grandem afflictionem & angustiam. Ducta fuit hæc pompa per totam sanctam Civitatem, resonante gravi & cœlesti musicā: erant nihilominus cantus tristes & lugubres, de Passione ac morte Domini. Sacra ista processio substitit in eodem loco, unde prodierat. Beatissima Trinitas se collocavit in suo sublimi throno, & Jesus Christus Dominus noster procubuit in genua, seq; prostravit coram Patre æterno, qui datā ipsi suā benedictione, dixit: Fili, non potest aliter fieri, quā ut humani generis causā moriaris, pro ejusdem redemptione. Itā convenit ad gloriam meam. Sanctissimus Filius obedivit promptissimā voluntate, mihi que ostendit singillatim omnia Passionis mysteria, eodem ordine, atque cum eodem meo dolore & sensu, ac præcedente Sabbatho. Post notabile temporis spatium ad me redij ex raptu.

Quando advenit Sabbathum sanctum, exoptabam sacram Communionem: dictum enim mihi fuerat, posse dici Missam. Deinde, quòd id minùs esset usitatum, estimavi fore convenientius, magis que Deo placiturum, si mihi eo die Missa non celebraretur. Divina Majestas approbavit hoc meum consiliū, atque addidit: Non perdes propterea, Soror, fructum Communionis. Deus sit benedictus.

Amen.

CAPUT XLV.

Mysteria Resurrectionis Christi, efficacia, & gloria Crucis ipsius.

Quemadmodū magnus Deus noster multis hanc Virginitatem exercebat doloribus, representando illi mysteria sue sacrosanctæ Passionis, ita eandem quoque solabatur, exhibendo ipsi spectanda gaudia gloriose

Vita. Mar. de Escolas Paris II.

sue Resurrectionis. Exordior ab eo, quod de hoc mysterio vidit septimā Aprilis, anno sexcentesimo vigesimo quarto, & sic recenset.

In festo Paschatis manē sui à Domino ducta ad locum sepulchri, qui mihi maximus videbatur esse & capacissimus cāpus. Vidi totum illum S. Locum circumdatum

A a z

à ma-

à magna multitudine Angelorū, qui eundem venerabantur. Apparuit mihi subito admirabilissimus splendor, à quo universus ille campus replebatur gloriâ. In eo adveniebat sacratissima Anima Jesu Christi Domini nostri, quæ est ingressa sanctum sepulchrum, seque univit suo sacratissimo corpori, & illico vidi Dominum resuscitatum stantem supra sepulchrum, cum maxima gloria, & indicibili majestate. Omnes Angeli illum adoraverunt, tanquam suum Deum & Dominum. Paulò post hic Dominus ivit ad domum suæ Sanctissimæ Matris, ducens secum omnes animas, quas liberaverat ex limbo. Postquam ad ipsam venit, salutavit illam, cum singulari amore ac benevolentia, & gravissimâ teneritudine est amplexatus. Virgo quoq; eum modestissimo amplexu excepit. Valedixit ipsi Dominus dicendo, se ire ad invitendam Magdalenam, atque desolatos discipulos. Magna Domina procubuit in genua, rogavitque suum Sacratissimum Filium, ut sibi impertiretur suam sanctissimam benedictionem, quod Ejusdem Majestas fecit, ajens se eam, quâ est Deus, ipsi quàm libentissimè impertiri, & subjecit: Nunc tu Mater & Domina mihi eam, ut homini, dare debes, quam illi Virgo, profundè se humiliando, dedit, inclinante amabilissimo Domino nostro modicè caput, qui postea petijt à sua Sanctissima Matre manum, quam est osculatus, atque itâ Dominus discessit.

Post sat longum tempus Sanctissima Virgo me dignata est visitare in meo angulo. Salutavit me Ipsius Majestas, apprecando mihi felix Pascha, atque subjunxit: Soror, venio ut te abducam, perge mecum: quandoquidem enim tam multum his diebus Christi Domini causâ fuisti passa, æquum est, ut modò recreeris gloriâ ipsius Resurrectionis. Apprehendit hæc magna Domina meam manum, duxitque me ad cœlestem Jerosolymam. Constituit me coram Majestate Triunius Dei, ubi vidi Angelos denuò adorantes Sacratissimam humanitatem Jesu Christi Domini nostri, ad quam adorandam etiam me duxerunt. Non est explicabilis, aut conceptibilis ce-

lebritas, & gaudium istius superæ. Ad hæc die: fruita sum meo modo ineffabilibus bonis. Finitâ solennitate, & acceptâ benedictione à Deo, fui ab eadem Virgine reducta ad meum angulum. Hic Ejusdem Majestatem rogavi, ut ipsa quoque mihi daret suam benedictionem, quod fecit dicendo: Benedicta sis tu, & quidquid in te habes. Vale.

Deinde sequenti feriâ quintâ ejusdem septimanæ; rursus vidi Dominum resuscitatum, pretiosissimâ indutum veste talarum. Ex sanctissimis vulneribus, quæ in pedibus & manibus, atque in latere habebat, prodibant quidam velut numi aurei splendidissimi, qui subito fuerunt convertiti in quasdam quasi stellas, evibrantes pulcherrimum lumen. Cæpi me subducere, & hanc visionem subterfugere, propter meos timores. Tum meus Sanctus Angelus Custos, me quodammodo protulit, impellendo me, & dixit: Cessa, Anima, jube ne incipis timere: Itâ conquevi, & vix ex sacratissimis illis vulneribus, seu fletibus procedentes tantos splendores, ut eriperent oculis meis reliquam sacrum corpus. Dominus me salutavit dicendo: Pax tecum, Anima; volo, ut fruaris gloriâ meæ Resurrectionis, cum tibi tam multum occurrerit ex doloribus meæ Passionis, ideò te per hos dies aliquoties invisam. Equam prostravi ad ipsius sacros pedes, qui mihi representabantur velut insistentes in meo cuidam suppedaneo, quod unde constructum esset, intelligere non potui: tantum mihi videbantur calcare moerentem, tanquam devictam. Permissum mihi hoc accedere, & ausa sum osculari dignum in uno pedum mei Domini, quia alter erat aliquantum elevatus. Fuita sui aliquotiduum illius jucundissimæ visionis jubilatio, que dum Dominus discessit, dicendo: Vale. Octiduo post, feriâ quintâ post Dominicam *Quasi modo*, iteram mihi Dominus præstitit eandem misericordiam, exhibendo se mihi spectandum cum eadem gloria suæ Resurrectionis: quanquam devotio meæ hæc vice plus indullerit audaciam confidentiæ. Ipse sit benedictus. Quæ prostrata ad ejus pedes sum osculata.

sacratissima vulnera, ac deinde accessi ad vulnus lateris, cui applicui labia, & visa mihi fuit communicari per illud vitus sanguinis hujus Domini, qui valedicendo, suam mihi dedit sanctam benedictionem, atque abiit. Sit benedictus. Amen.

Pauci præterierunt dies, & Dominus me deuo dignatus est visitare, ubi tamen prorsus miræ intervenerunt circumstantiæ. Vidi illum resuscitatum & gloriosissimum; quia verò mihi speciale infudit lumen, cognovi, quantum in hac mortali vita cognosci potest, quomodo in eo Dominus tota Beatissima Trinitas existat, qualiterque eadem intra semetipsam completatur Sacratissimam Humanitatem Redemptoris nostri, cum hoc discrimine, quòd secunda Persona sit unita illi sanctissimo corpori, & sacratissimæ animæ, reliquæ autem duæ eam tantummodo concomitentur. Dominus me est allocutus dicendo: Pax tecum, Anima. Ego prostrata statim volebam osculari illius pedes, sed Ipsiùs Majestas mihi dixit: Contine æ, Soror, nunc enim non est tempus; ac si mihi indicaret, ipsum à me non posse attingi, eò quòd se mihi videndum præbuisset, tanquam intimè conjunctum Beatissimæ Trinitati. Statim recessi, & vidi stilantes ex manibus, & velut per extremitates digitorum, guttas sanguinis. Contemplabar aliquamdiu hoc mysterium, eòque oblectabar. Postea Ipsiùs Majestas conspexit illo sanguine meam faciem, & pauperem lectum, communicando mihi pretiosissimam ejusdem virtutem. Tum meus vultus fuit tectus subtili velo, quod mysticè imbibit illum sanguinem, quo fueram conspersa. Deinde sanctus meus Angelus Custos abstulit velum, servavitque intra se ipsum. Divina Majestas mihi bene precata est, & fui mihi penitus erepta: quando verò sum ad me reversa, finita erat visio. Deus sit benedictus. Amen.

Anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, quamvis extra tempus Paschale, habuit Venerabilis Marina altam visionem, concernentem hoc mysterium, & in ea obtinuit alias gratias. Id ipsa sic refert.

Die Dominicâ, vigesimâ quartâ Janua-

rij, inter horam tertiam & quartam matutinam, dum agerem cum Deo, essentque affectus meæ animæ vehementer commoti, fuit hæc abrepta à Divina Majestate, mansique in Deo eum in modum, quo avicula alligata filo, se uno alteròve volatu solet attollere in altum. Assecuta sum magnam, pro hujus mortalis vitæ captu, notitiam attributorum Dei nostri, utpote magnitudinis, immensitatis, sapientiæ, & aliorum. Quando autem Dominus devenit ad declarandam mihi suam omnipotentiam, tanta meæ animæ tum fuerunt manifestata, ut ab ea non potuerint percipi, unde in ea profunda abyssu fuit veluti submersa, & suismet erepta oculis. Rediit ad me, & fui, nescio qualiter, abducta; re ipsâ tamen me reperi apud sepulchrum Christi Jesu Domini nostri. Ibi mihi fuit representatum illud sanctissimum corpus exanime, extensum in eo frigido sepulchrali lapide, quo conspecto intimè indolui, & fui commota, prout mihi accidit, quotiescunque mihi Dominus noster aliquid manifestat de sua Passione & morte. Cæpi plorare vehementer afflictâ, & inter singultus ex intima anima profectos dicere: Surge, mi Domine, Delicium meum, & Sponse mi. Postea verò consideravi postremum istud à me prolatum verbum; nam quando plenè possum uti meâ libertate, nunquam ea fuit mea audacia, ut adhiberem hanc vocem sponsi, cum id in me videatur esse temeritas, tanquam indignissima eâ familiaritate, quæ per illam denotatur.

Dum itâ plorarem, advenit, ac si eâ primum vice perageretur illud mysterium, Sacrosancta anima Jesu Christi Domini nostri, seque univit sacro suo corpori, transmutando illam figuram mortualem, in ineffabilem pulchritudinem & gloriam. Dominus mihi manifestavit, quomodo Divinitas esset illi exanimato corpori unita. Tanta verò est admiratio animæ orta ex eo, quòd duo illa tam distantia extrema, quàm sunt, Deus & mortuus, videat unita, charitate, quâ tunc & disparitas, & unio representantur, ut nequeat ullis verbis explicari, sicuti neque effectus, quos in

anima producit. Ex ista, quæ ibi cognoscitur, unione, necesse est, meo iudicio, ut proveniat, quòd illud sacrum corpus non sit fœdum, neque incuriat horrorem, tanquam cadaver (tamen tale esse appareat) sed gratiosum, & præditum majestate. Quam primùm autem vidi Dominum resuscitatum, & gloriosum, profunda meæ animæ tristitia subito fuit mutata in lætitiã & gaudium verè cœlestè. Dum me prosternerem ad ipsius pedes, ut eos oscularer, dixit mihi Dominus. Absiste, holi me tangere, sed abi, & dic id tuis Confessarijs: mansit autem ibi Dominus, quasi in ecstasim abreptus, & ego de repente in cepi sentire meos timores ac perplexitates, quæ me toties anxiam reddunt, provenientes ex unico desiderio, quo teneor, ut me in omnibus conformem Divinæ voluntati, & nè in via tam inusitata decipiar. Postea Dominus velut ad se reversus exarptu, ac si aliquid attentius expenderet, subjunxit: Noli tamen illis id dicere, noli ipsos contristare, quo dicto disparuit. Usque adeo se Deus accommodat nostro modo affectuum, & abstractionum mentis, ut sua nostræ ruditati explicet mysteria, sicut aliàs dixi.

Mea anima auditis his verbis magis fuit reddita perplexa, & cogitavi, vellētne mihi Divina Majestas ijs indicare, quòd jam adveniat tempus, ut me educat ex hoc exilio, quando conspexi Sanctum Patrem Ludovicum de Ponte, qui, agnoscens meam turbationem & dubium, mihi dixit: Quid est hoc, Anima? quid tibi accidit cū Domino? noli nunc immorari cogitationi, an te Ejus Majestas sit educura ex hac mortali vita, nec nè: quamvis namque tibi hæc hora jam videatur vicina, scito, breves Dei moras esse admodum diuturnas, & intellige, multos esse, qui Deum orant, ut te in hac vita detineat, ipsum autem, ut ijs gratificetur, & pro eorum utilitate, annuere illorum voluntati. Pudet me id dicere, est tamen verum, quòd Sanctus Pater mihi hoc dixerit, conatusque fuerit, me reddere securam, nihil asserendo vel negando, qui ita abivit. Fiat voluntas hujus magni Dei, semperque idem sit benedictus. Amen.

Tandem anno sexcentesimo vigesimo octavo, postquam illi, per dies hebdomada missis, fuerunt representata mysteria Passionis, prout precedenti capite retulimus, statim recenset, quid sibi fuerit ostensum Dominica Passionis, & sic ait:

Die Dominicã manè mihi comparuit Jesus Christus Dominus noster resuscitatus, mitum in modum resplendens, & gloriosus. Replevit meam animam solatio & gaudio respondente magnæ meæ præteritæ tristitiæ, & peramanter me salutavit. Adveniebat vestitus, & circumdatus lucidissimo Sole, tantis ineffabilis luminis coruscans radijs, ut interdum non potuerit à me aspicere. Taliter mihi paulatim appropinquavit, atque porrexit sumendam sacram hostiam, quã attulerat. Dum Ejusdem Majestas hostiam meis labijs admovet, sum passa ecstasim, & non adveniam, aut quomodo illam sumerem: observavi tamen, me multùm fuisse ditatam, & experta sum magnos effectus, atque affectus, ac si eam revera sumpsissem: quin imò fuerunt majores ijs, quos nonnunquam sentio, dum Dominum sacramentaliter discipio. Postquam ad me redivi, jam Dominus, quem vidi, erat aliter indutus habitū regio, gerens in capite coronam, & summã plenus majestate. Allocutus me est amantissimè, deditque suam sanctam benedictionem, mihi, & omnibus rebus existentibus in hac domo. Ipse laudetur omnem æternitatem. Amen, amen.

Quandoquidem omnia bona, atque desideria, quos nobis Christus Dominus noster promeritus, ex eo provenerunt, quod sustulit in cruce dignata est, Divina Majestas hinc famula, ad erubesceniam hereticorum, manifestare honorem & gloriam, quam Filii consequuntur ex cruce, quantique hoc sacramentum sit estimandum, qualis ille debeat adoratio, tanquam maximè genuina triumphorum ipsius imagini. Idcirco mihi visum fuit, mysterijs Christi Domini Servatoris nostri protinus subnectere, quod nobis scriptum de glorioso nostra redemptionis signo reliquit. Habuit verò Venerabilis Marina, in Martii anni sexcentissimi vigesimo quarti, & viginti, quam sic describit.

Scilicet

Sextâ die hujus mensis manè audiui in cœlo, quemadmodum aliàs audiveram, sonantes campanas, quæ cœlestem edebant musicam, gratissimam auditui animæ. Intellexi, significati honorem, qui debetur, ac defertur Sacratissimæ Humanitati Christi Servatoris nostri. Videbantur mihi istæ campanæ taliter, & cum prædictâ harmonia resonantes, descendisse ad terram, subitoque reversæ fuisse ad cœlû. Interea conspexi effundentem se ex ea cœlesti Civitate innumerabilem numerû Angelorum, ad magnam pompam instructorum armis, quæ superiuderant splendidissimis vestimentis. Procedebant bini, & sequebatur illos Sanctus Archangelus Michaël ferens grande, & pulcherrimum vexillum: notavi, quòd illud interdum agitando, totam vento, quem excitabat, impleverit terram. Post gloriosum hunc Archangelum veniebat Sanctus Archangelus Gabriel, portans in suis manibus ingentem crucem auream, summè refulgentem: modus autem, quo ipsam portabat, non erat qualiscunque, sed talis, ut illam portando amplexaretur. Sanctum Gabrielem comitabantur alij plurimi Angeli, & multi Sancti ex veteri Testamento, multi ex novo, præsertim Martyres & Virgines. Hæc sacra crux fuit defixa velut in centro ejus terræ, quam incolunt Catholici Ecclesiæ Romanæ filij. Continuo illam omnes Angeli prostrati adoraverunt. Accesserunt postea Sancti suo ordine, idemque fecerunt cum magna veneratione, agnoscetes, sibi per ipsam, tanquã instrumentum, in quo Christus Jesus fuerat passus, & mortuus, obvenisse omnem suam beatitudinem. Tum comparuit Sanctissima Virgo Domina nostra, quam omnes Angeli & Sancti exceperunt, profundè sese inclinantes, & summa cum devotione adoravit eandem crucem, demonstrando, se per merita Christi Jesu in cruce mortui fuisse electam in veram ipsius Matrem. Durante solenni hac adoratione torius illius sacri comitatus, non cessavit ea suavissima musica campanarum, de qua dixi. Absolutâ verò eadem adoratione vidi Christum Dominum nostrum ma-

gnâ conspicuum majestâte, qui, bene precando, munificentissimam imperitus est benedictionem omnibus illis Angelis & Sanctis, atque itâ rediderunt eodem ordine ad cœlum, quo advenerant. Deus sit benedictus. Amen.

Eodem anno sexcentesimo vigesimo quarto, in Junio evenit aliquid huic Virgini cum ipsius Angelis, unde sufficienter apparet, quo honore illi superni Spiritus prosequantur sacras Christi crucifixi imagines, quas blasphemus hereticus ad majorem suam damnationem, tantis afficit injurijs. Refert ipsa casum his verbis:

Data mihi fuerat ænea crucifixi Domini effigies, & Deus in me excitavit desiderium, ut illam donarem cuidam Domine meæ benefactrici, quæ divexabatur scrupulis conscientie: cum verò sim adeò timida in donandis meis rebus, licet sint optimæ, quales sunt sacræ imagines, dixi meis Dominis Angelis: Domini, vellem hanc sanctam effigiem crucifixi dare isti famulæ Dei; benedicite mihi illam. Ipsi me intuentes, quasi admirabundi, mihi responderunt. Soror, decetne te hoc à nobis petere? nos id non possumus, neque debemus facere. Tum rem consideravi, & dixi illis: Benedicite igitur, mei Domini, æs, quod est hujus sacræ imaginis materia. Neque hoc possumus, ajebant: nonne vides jam illi inesse figuram Domini nostri crucifixi? Ut tamen tibi gratificemur, faciemus quod poterimus, noli contristari. Conjeci tunc oculos in meum Sanctum Angelum *Parvum*, & vidi, quòd teneret in manibus illam sanctam effigiem crucifixi, ipsamque genibus flexis adoraret, & oscularetur ejusdem pedes: deinde verò ceteri quatuor suo ordine se humi prosternerent, eamque adorarent, atque secundo se prosternentes accederent ad osculum ipsius pedum. Postquam id omnes peregerunt, fuit mihi crux reddita. Gratias egi Deo, quòd per hos quoque Sanctos Angelos me docuerit, quem velit deferri honorem sacris imaginibus. Ipe sit benedictus. Amen.

An. sexcentef. viges. octavo, 3. Majj, quâ die Ecclesia Catholica Romana celebrat inventionem S. Crucis, recenset sequentem visionem.

In

In festo crucis, mense Majo, agens cum Deo conspexi crucem, non magnam, nec scio tamen, quomodo mihi visa fuerit potens ac terribilis, ad eum ut meam naturam quodam perculerit timore. Habebat colorem ligni, qualem habent aliæ cruces, quas hinc videmus. Deposui autem citò metum, quando vidi prodeuntes ex ipsa innumerabiles radios pulcherrimi luminis, & magnam virtutem, quæ replebat mundum, atque omnes illius partes, & feriebat animas universorum hominū, tametsi diversâ prorsus ratione. Nam virtus & splendores hujus crucis sese communicabant Catholicis: infidelibus verò, h. èt eadem virtus & lux ad ipsos videretur pertinere, se non communicabat, neque illis competebat. Magno affluebam solatio aspiciendo istam crucem: vidi autem ipsam paulatim ascendente ad cælum, & postquam pervenit quasi ad ejusdem portas,

observavi esse illi affixū Christum Jesum Dominum nostrum, qui se mihi exhibebat spectandum, ac si pateretur. Quando mea anima ipsum vidit taliter constitutum, fuit terribili & intimo correpta dolore: dixi illi, quæ Eiusdem Majestas suggerit meo affectui. Deinde vici, quod ipsum Pater æternus cum magna fuerit allocutus benevolentia & ineffabili amore, atque milleni prodierint Angeli, & illum adoraverint, tanquam suū Deum ac Dominum. Pater æternus est amplexatus crucifixum Dominum, & refixit à cruce, qui sublimi splendidissimis & regijs est indutus vestimentis, capiti verò ejusdem fuit imposita admirabilis corona. Tum illi dixit Pater *Sede à dextris meis, donec ponam &c.* Considerentem summa cum majestate ad terram Patris adoravi, & paulò post ad me redi. Ipse sit benedictus in æternum. Amen.

CAPUT XLVI.

Revelationes, quas habuit de Sanctissimo Sacramento altaris.

Vidimus revelationes, quas hæc Virgo habuit de mysterijs Christi Domini nostri, quando se ipsi aperte manifestabat, nunc eas videbimus, quas de eodem Domino habuit sacramentalibus velato speciebus. Quamvis verò multa de hoc argumento sint dicta seu, dum aliquando spectavit solennitates, quæ in cælo peragebantur in honorem Eucharistia, seu etiam dum sæpe ab eodem Domino, & nonnullis Sanctis sacrâ fuit refecta synaxi; reservavi nihilominus in hunc locum, tanquam magis proprium, admirandas quasdam visiones, de sublimissimo hoc Sacramento, quas describemus juxta ordinem temporis, quo evenerunt. Inter chartat mensis Aprilis, anni millesimi sexcentissimi vigesimi quarti, extat una, in qua sic ait:

Quodam die hujus mensis, cum audirem Sacrificium Missæ, quando volebam sumere epulum Eucharisticum, ingressi sunt in meum cubiculum, præcedentes

Sacerdotem, multi Angeli Dei, qui stabant inauratos cereos accensos, comitantes Sanctissimum Sacramentum. Penitus Sacerdotem etiam adveniebat, cum lucido ardente cereo, Sacratissima Virgo Domina nostra, magnificè exornata pretiosissimis gemmis, emittens radios tam potentis splendoris, ut ab ijs occæcater. Postquam illatum fuit Sanctissimum Sacramentum, omnes illi Angeli se prostraverunt, adorantes Dominum, statimque se erexerunt. Regina quoque cæli se inclinavit, mirumque disparuit. Quia enim, ut jam dixi, me lux ipsius occæcabat, & animæ oculis abripiebat, existimo, non suscipiendum à me fuisse debite sacram hostiam, nisi disparuisset. Peractâ sacrâ Communione venit ad me hæc Cellissima Domina, me salutata est amplexata sanctissimis brachijs, Fui mihi penitus erepta, & quando ad me redij, finita erat visio. Deus sit benedictus. Amen.

Istâ occasione Sanctissima Virgo est comitata

Dominum realiter in Sacramento existentem, allatum, ut sumeretur à Venerabili Marina: alia, quam nunc referam, eadem Regina celi ipsi Divinum suum Filium attulit in symbolo quodam Eucharistico, ut illum ineffabili modo susciperet. Est omnino mirabilis ac devota visio, & accidit sequente mense Mayo, eodem anno. Recensetur à prodigiosa hac famula Dei bis verbis.

Dum aliquando manè versarer cum Deo, excitavit Eiusdem Majestas in mea anima diversos & ferventissimos affectus, quanquam cum magna quiete & consolatione, atq; sine ullo strepitu redundante in sensus & potentias exteriores: modò aliquid petebam, modò amabam, & interdum supplici affectu desiderabam, ut in me per omnia, & in omnibus adimpleretur Divina voluntas. Assumebam personam velut infirmi, balbutientis mendici, absque ratione & judicio rædiosè vociferantis ad januam divitis, atque petentis frustum panis, aut aliquid hujusmodi: qui dives partim ex sua charitate, partim ut se liberet à molesto mendici clamore, solet cupiam famulorum dicere: Da huic pauperi elemosynam, ac dimitte illum, ut abeat in nomine Domini. Taliter mea anima invocabat Deum, & Sanctissimã ipsius Matrem, petendo frustulum panis, elemosynam alicujus doni: atque licet se ruderiter sciret explicare, erat tamen desiderium valde fervens, quo mea anima mendicabat.

In isto exercitio exegi multum temporis, quoadusque paulatim abalienarer à sensibus, & anima abriperetur in suum Deum. Vidi tum Majestatem hujus magni Dei, præsertim Sacratissimam Personam Filij, dicentem Sanctissimæ Virginis: Domina & Mater mea, ecce quomodo pulsat nostram januam, nõsque invocat illa creatura, admodum instanter & ferventer, atque interpositã tuã intercessione mendicat modicum panis. Rogo te, Mater mea, exaudi illam, & da ipsi meo nomine elemosynam, quam petit: gratum namque mihi erit, si ei tuis tribuatur manibus. Hoc audito Cellissima Domina magnas Sacratissimo suo Filio egit gratias,

Vita Mar. de Escob. Pars II.

pro tam singulari beneficio, quod meæ animæ, & illi præstabat, volens ipsam hujus beneficiij esse exoratricem, & instrumentum. Advenerunt subitò duo Angeli ex præcipuis, & superposuerunt cum summa reverentia linteum, seu velum splendidissimum brachijs & manibus hujus cælestis Reginae, atque super istud collocaverunt pretiosam pelvim, quæ videbatur esse facta ex purissima crystallo. Huic pelvi videbam jussu Dei imponi quendam mysticum panem, non exiguum, candidiorem nive, & exquisitissimum. In eundem panem Dominus coniecit oculos, suãq; sanctissimã benedictione illum consecravit, quem ij Sancti Angeli subitò reverentissimè mirum in modum pulchris, & odoriferis floribus cooperuerunt. Prostraverunt se deinde coram Majestate magni Dei nostri & Domini innumerabiles Angeli. Sanctissima quoque Virgo sese inclinavit, & postquam ipsa se erexit, omnes unã assurrexerunt, eique inservientes sunt illam comitati.

Eadem Sacratissima Domina ad paucos passus progressa, paululùm substitit, ac si in profundam quandam abriperetur contemplationem. Deinde ulterius procedens, denuò modicum quievit. Tum reversa ad thronum Beatissimæ Trinitatis, optando, ut nova & excellentior applicaretur à Deo virtus illi mystico pani, rogavit suum Filium JESUM Christum Dominum nostrum, ut eundem suis divinis verbis consecraret, unde gratia conferenda meæ animæ fieret copiosissima. Ejus Majestas ipsi id concessit, satisfaciendo petitioni suæ Sanctissimæ Matris, statimque Sancti Angeli præsentés inchoaverunt cælestem musicam, canentes hymnum Ecclesie de Sanctissimo Sacramento. Cellissima Regina surrexit, atque defixis continuè suis oculis, cum singulari reverentia, in eo sacro mysterio, venit passibus majestate plenè ad me. Antecedebant ipsam omnes illi Angeli, ferentes accensos cereos, qui apparebant aurei. Ita sunt ingressi meum cubiculum, usquedum demum ad me hæc magna Domina accessit. Ego eram tora turbata,

B b

bata,

bata, perplexa, & semiabrepta. Advenit tum Sanctus meus Angelus Custos, & reliqui mei Domini Angeli, dicentes: Expergiscere, Anima, excute hunc spirituales somnum, & applica animum mysterio, quod est coram te.

Sic evigilavi, & conquievi ab ea turbatione ac perplexitate; conieci oculos in illud grande mysterium, & in Dominam, à qua adferebatur. Aderat Eiusdem Majestas formosissima, in vestitu pretiosis cooperto lapidibus, ob quos resplendebat instar Solis. Vidi tum circumdatam esse à multis Virginibus ac Sanctis, & latera ipsius stipari à duobus Patriarchis, Ordinis Prædicatorum, & Societatis, Sancto Dominico, & Sancto Ignatio, indutis habitu sacerdotali. Hi Sancti removerunt flores, quibus illud mysterium tegebatur, jusseruntque me accedere, & cum magna reverentia osculari marginem illius cœlestis pelvis. Postea applicuerunt meis indignis labijs sacrum mysterium, quo tempore mea anima specialissimos eliciebat affectus. Postquam eidem applicui labia, subito sensi, ingressam esse spiritualissimè & ineffabiliter in meam animam per os omnem virtutem, & excellentiam illius sublimis mysterij, cui inerat ipsemet Deus, cum in modum, quo id Divina Majestas voluit, ac scivit operari, & quem ego nullatenus scio explicare, derivatis inde in meam animam insignissimis affectibus, & æstimatione magnæ gratiæ, quam eram consecuta. Post hoc duo Sancti acceperunt pelvim cum velo, in qua admitabilissimus panis fuerat à Præcelsa Virgine allatus, cujus Majestas tum nihil agebat, abrepta in quandam devotissimam admirationem, junctis manibus, & me intuens, quod quidem modico duravit tempore; atque deinde hilari me vultu, & cum affabilissima gravitate est amplexata, dicendo: Amica mea vale, & cape è mea manu istud cimelium, cumq; id diceret, posuit intra abditissimum meæ animæ sinum rubram crucem. Abrepta fui sinè mora in profundissimam ecstasim, & quando ex ea ad me redivi, tota visio cessaverat.

Considerabam postea, & revolvebam in meo corde, quam ob causam mihi Deus præstitisset hanc misericordiam, tam singulari modo, & per manum Sacratissime Virginis, atq; cum hac de te mecum ipsa disceptarem; Sanctus meus Angelus Custos mihi dixit: Anima, exponam tibi tunc jussu Dei, quod scire desideras. Animadverte, quando Divina Majestas ferventem in te illum affectum excitavit, ut postulares panem, tu autem rogabas ac invocabas Deum, & Sanctissimam Virginem, ut tibi daretur elemosyna, petendo specialissimè panem, non attendendo, aut advertendo, qualem panem peteres, Sanctissima illa Domina, permota à sua magni bonitate & clementia, dixit ad Dominum: Fili, & Domine mi, ista creatura petit tanto affectu panem divinum, da illum ipsi ob tuam bonitatem. Et Dominus illi concessit, ut tibi adferret panem, operâ Spiritûs Sancti confectum in purissimis ipsius, & virgineis visceribus. Hac ratione Deus mysterium disposuit, tibi que istam exhibuit misericordiam. Ipse sit miles benedictus. Amen.

Ejusdem anni sexcentesimo vigesimo quarti est sequens favor, quem ipsa sic refert.

Post festum Corporis Christi, antequam Solis, feriâ sextâ, mihi dixit Dominus: Veni mecum, Anima, & videbolenitatem, quæ hodie in cœlesti Civitate celebratur. Duxit me Eiusdem Majestatis secum, & ego fui in via non nihil distraxi, cogitando de re, non quidem mala, sed bona: adverti me tamen denique evigilantem esse ab unica cura, quâ comitebatur minimam. Afflixit me id aliquantum, quòd mihi videretur fuisse defectus. Porùm Ipsius Majestas me est solata, dicendo: Nè te sollicitam reddat, quod me proponente, interdum evenit: respicio enim naturam vestram, quæ plus nequit perturbare, & alioquin deficeret. Ingressa sum celum, & vidi Sanctissimum Sacramentum in pretiosa hierotheca, ita collocatum, ut integrum appareret, & unde quæque inspiceretur. Vidi in eo existentes cœlestes tres Divinas Personas, sicut alias, quæ vis id à me rudissimè sit explicatum.

Audiebatur vehemens, tametsi ordinatissimus ac admirandus, sonus campanarum, quæ suo modo Deum extremo conatu laudabant. Omnes Angeli, elegantissimè & festivè ornatî, personabant instrumentis mulicis, atq; cantabant Domino hymnos & psalmos, gratias ei agendo pro summo beneficio, quòd permaneat inter homines sub speciebus Eucharisticis, quoadusque mundus durabit. Accedebant bini ad pedem hierothecæ, & prostrati in solo illius cæli, regendo, in sinum majoris venerationis, alis suas facies, adorabant illud Divinum Sacramentum, posteaque continuabant suam musicam, ut antè. Hic, præterquam quod frui fuerim tantâ celebritate, Divina Majestas mihi aliam contulit gratiam, largiendo mihi magnam spirituales elemosinam, cedentem in utilitatem meorum proximorum, quam alibi enarro.

Feriâ quadam secundâ, nonâ Augusti, ejusdem anni, dum audire Missam, in qua eram sumptura epulum Eucharisticum, conspexi Majestatem Jesu Christi Domini nostri, perambulantis meum cubiculum, quem interdum videbam, interdum autem minime. Plerumque, dum mihi Ejusdem Majestas hanc præstat gratiam, non audeo ipsum bene aspicere, tum propter timores meos & perplexitates, tum etiam præ magnâ reverentia, ad quam me permovet. Id ipsum mihi hæc vice evenit, quâ gravissimos patiebar dolores, & afflictiones. Tunc mihi Dominus per benevolè & amanter dixit: Anima, non me manifesto integrè, neque ad te accedo, ut aliàs; quia, quemadmodum vos dicere consuevistis, non sum ejus animi, ut te tanta patientem videre possim. Quodsi accederem, subito te ab his doloribus liberarem, & tu perderes meritum, quòd tibi per illos accrescit. Quando tamen adveniet sacerdos porrecturus tibi sacram hostiam, ego ipsum comitabor, & meâ manu tibi lumendam præbebo Eucharistiam. His dictis Dominus rursus deambulabat, ut prius. Paulò post videtur se non potuisse continere ipsius misericordia, quò minus mihi gratificaretur: appropinquavit mihi

quàm vicinissimè, & ego, cum nihil aliud agerem, sum illum intuita, atque optimè consideravi. Gratas & pulchritudo divinorum ipsius oculorum erat inexplicabilis, quos protinus esse apparebat oculos Hominis Dei. Vidi, quòd illum comitentur multi Angeli, & quia idem Dominus mihi adeò propinquus erat, ac stabat, dixi ipsi pro meâ simplicitate: Ah mi Domine! cur Tua Majestas itat? Dicebam id velut ex verecundia: licet namque optaverim, ut Dominus sederet, non aderat tamen se des. Visne, respondit gratiosissimè Ejus Majestas, ut sedeam? sit ita. Quidam Sancti Angeli ibi sine mora collocaverunt sedem mysticam, quæ erat iuxta throni, ubi Dominus, stupendam & immensam exhibendo majestatem, cœdit, atque indidem mihi dedit suam sanctissimam benedictionem, dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Derepente insonuit vox Patris æterni, eum in modum attempèrata, ut a què oblectaverit dulcissimè animam meam, ac ad profundissimam permoveret venerationem, & dixit: Hic est filius meus dilectus, in quò mihi complacèo. Surrexit postea Christus Dominus noster, obrulitque mihi osculandam suam sacram manum, & cum se meo conspectui subduxisset, non vidi ipsam tonè ultrâ. Deinde sub finem Missæ venit ad me Sacerdos, & cum illo Divina Majestas: Sacerdos mihi porrexit sacram hostiam, quò facto est reversus ad altare, unde me statim inhi invaserunt timores, & dicebam intrâ me quasi turbata: Quomodo verò mihi Divina Majestas non præbuit sumendam Eucharistiam, sicut dixerat? Quidsi decepta sim, & non fuerit Dominus, qui me est allocutus? Fui verò vehementer reddita attonita, dum vidi redeuntem Dominum, cum multorum Angelorum comitatu, qui ex unius ipsorum manu pulcherrimo accepto vase, quòd videbatur ex purissimo esse conflatum argento, mihi suam et manu dedit bibendos tres haustus pretiosissimi liquoris, quem vas continebat. Postquam biberam, Ejusdem Domini Majestas accepit elegantissimum ex manu alterius Angeli

lintheolum, eoque meis labijs admoto, illa absterfit, & mihi dixit: Anima, hic liquor, quem sumpſisti, est meus pretioſus ſanguis, volui ut eum iteratò perciperes: atque iſta eſt Euchariftia, quam tibi manu meâ præbui. Nunc vale, & quieſce in me. Ipſe ſit in æternum benedictus. Amen.

Priorem è ſequentibus duabus viſionibus hæc Virgo habuit anno ſexcentefimo vigefimo octavo, in feſto Corporis Chriſti; alteram ſexcentefimo vigefimo nono, eadem die. Refert utramque, ut ſequitur.

Vigefimâ ſecundâ hujus, ipſo feſto Corporis Chriſti, agens in mea ſolita oratione cum Deo, audivi in cælo magnum ſtrepitum, tanquam armorum, tympanorum, ſcloporum, & aliorum militarium instrumentorum. Cum autem ex alijs eventibus compertum habeam, quòd Sacratiffima Perſona Spiritûs Sancti, dum aliquid ſpecialiter operatur in terra, ſuam antecedenter oſtentet majeltatem ac magnificentiam, commovendo cælos, & præmittendo hujufmodi ſtrepitus, exiſtimavi, prænotari, & ſignificari quempiam adventum, & aliquam manifeſtationem hujus magni Domini. Non itâ ſe res tamen habuit, verùm fuit effectus eorum, quæ mihi mox oſtenſa fuerunt. Conſpexi igitur innumerablem cohortem Angelorum cæleſtis militiæ, qui compta, & eleganter veſtiti, unâ tamen præclare armati, diſpoſiti in ordinem, velut proficiſcentes ad prælium, obambulabant terram, circumcundo univerſam, defendendæ ejuſdem cauſâ. Vidi omnes diabolos, qui in ea erant, terreſtatos, atque contremiſcentes, celerrimè ſeſe abſcondentes, & ruentes uſque ad terræ centrum; à quibuſdam ipſorum autem abripi, & ſimul abduci nonnullos hæreticos obſtinatiores, in neganda veritate realis præſentiæ Chriſti, & reliquis, quæ nos docet Eccleſia Romana, de Sanctiffimo Sacramento altaris. Ibi intellexi, quanto pere dæmoneſ, totùmque infernum affligat, & excruciet veneratio, atque celebritas, quâ Chriſtus Dominus noſter exiſtens in Sacramento hiſ diebus colitur. Commendabam tum Deo populû ipſius Chriſtiani, & rogabam ipſum ſpecialiter, ut

miſereretur pauperum, & averteret danum; quod quædam, ut mihi referret, opida Caſtellæ hiſ temporibus perpetuitur, ob copiam locuſtarum depaſcentium ſata. Vidi autem etiam præaltum quendam coram Domino comparentem, & ſcædum diabolum (non potui intelligere, quomodo is remanſerit in terra) varios edentem geſtus, & indignandum, qui ardentiffimè loquendo deblaterabat nonnulla verba, ex quibus ego amplius non percipiebam, quàm quòd peteret, nè exaudirer.

Deinde nihilominus vidi deſcendentem ex cælo, cû magna majeltate, ad meum paupertinum cubiculum, Beatiffimam Trinitatem. Vidi, inquam, non quòd mihi tum oſtenſa fuerit ulla figura imaginaria, ſed quia hæc viſio, tamen merè intellectualis, non fuit minus clara, & minoris efficacix atque certitudinis, quàm ſint imaginariæ, quibus noſtra natura palpabiliùs inhæret. Pervenit Deus Trinitas, prout ſeſe tunc repræſentat, ad locum, in quo ego eram, unitamque me ſecum arctiffimè duxit ad cæleſtem Jeruſolyman. Ibi inveni meos Dominos Angelos, quibus Divina Majeltas mandavit, ut me excernerent ijs ſplendidis veſtimentis, de quibus ſum aliàs locuta, & in momento adverti, me illis indutam eſſe. Viſi poſtea in quodam altiffimè, & pulcherrimè concinnato tabernaculo Chriſtum Dominum noſtrum, ſpeciebus velatum Eucharifticis; præſertim verò obſervavi, quòd ſimul viderem Sanctiffimam Trinitatem percipiente meâ animâ Perſonarum unitate eſſentiæ diſtinctionem, eâ ratione, ut nullius rei ex ijs, quæ hic videntur, veritas poſſet ſecuriùs affirmari. Agnovebam quoque in ſecunda Perſona deæ naturas, divinam & humanam, ac præterea quòd ſuppoſitum illud ſit verus Deus, & verus homo. Dum autem hæc omnia contemplerer, videbam etiam hoſtiam eodem, quo à nobis hic videtur, atque conuò intellectuali inſtructa lumine cognoſcebam unâ, eundem Dominum eſſe Deum & hominem, ibi in Sacramento conſiſtente. Hiſ me intentam Angeli ablu-

erunt, ubi erat mysterium, & osculatum eam sacram hostiam, cū magna meæ animæ svavitate. Dominus autem me subito elevavit ad immensam quandam altitudinem, ubi mihi contulit cognitionem sui infiniti Esse adeo sublimem, ut mihi impossibile videatur explicare, qualis ea fuerit. Mea anima submersa, se ipsam perdidit in illa immensa abyſſo Divinæ magnitudinis, donec mihi restituta, me reperi in meo angulo. Deus sit benedictus. Amen.

In alio scripto sequentis anni sexcentesimo vicesimo noni, ita ait:

Præcedenti feriâ quintâ, decimâ quartâ hujus, quæ fuit Corporis Christi, sum ducta à Deo ad cœlestem Jerosolymam, ubi vidi solennitatem, quæ illic peragebatur in honorem sublimissimi mysterij Eucharistici. Multitudo Beatorum illorum Aulicorum, eam cum magno gaudio celebrantium, erat innumerabilis. JESUS Christus Dominus noster claudebatur intrâ pulcherrimum tabernaculum, elevatum super pretiosissimas columnas, verum itâ, ut ex omnibus quatuor mundi partibus posset conspici, quia omnibus patebat. Assistebant ipsi innumeri Angeli, audita fuit quàm svavissima aurearum campanarum, ex summitate illius cœli pendentium, harmonia, quarum sonus modo arcanissimo publicabat gloriâ Dei. Quod autem magis sum mirata, fuit jucundissimum visu spectaculum illius cœlestis exercitus, geminato ordine prætereuntis illud sacrum tabernaculum, séque prosterentis, & profundissimè inclinantis, coram summo Domino, qui in eo existerat. Apparebat in ijs generosis bellatoribus incredibilis magnanimitas & fortitudo, ut mihi videretur, à singulis posse pessumdari univeros homines. Circumibant cœlum, explodentes terram versus suos mysticos scylos, & ejaculabantur pretiosissima lumina, manifestantia majestatem & veritatem illius Divini Mysterij, Christi Domini existentis in Sacramento, unâque gratiosissimum ignem, ad inflammandos homines zelo honorandi, & amandi ejusdem Domini. Dum ij cœlestes milites id exequerentur, vidi copiosas dæmonum tur-

mas, attentissimè & sollicitissimè avertentium illos divinos globos, nè ab ijs tangerentur hæretici ac infideles, quod perfidi milites tam dextrè faciebant, ut cohorrescerem & stuperem. Observavi, hos dæmones, cū viderent sancta illa lumina pertingere ad quasdam regiones, in quibus Catholici vivunt permixti hæreticis, tantâ fuisse arte operatos, ut nullum ex omnibus luminibus & radijs igneis penetrantibus Catholicos, attigerit hæreticos. Tantum vidi, quod in quodam oppido Angliæ (cujus nomen ignoro) dum supra grande palatium, non quidem altum, sed valde spatiosum (quod unâ parte erat contiguum oppido, altero respiciebat magnum campum, seu aream) multæ ex cœlo eorum scyloporum fierent explosiones, & palatij incolæ quosdam inde sentirent effectus, remanerent tamen perplexi ac timidi, nihil tum decernentes.

Finito hoc felici Angelorum prælio, quo ex cœlo oppugnabant terram, vidi, quod illud Divinum mysterium moveretur ex tabernaculo, adessetque ibi tota Beatissima Trinitas, & Pater æternus haberet velut pectori suo acclinatam Christum Dominum nostrum. Vidi præterea, movente se eo mysterio, totam illam Beatam Angelorum multitudinem se prostravisse in solo ejus cœli, quibus Pater æternus dedit suam sanctissimam benedictionem. Illic cœpit nova audiri vocum, instrumentorum, & campanarum ordinatissima ac svavissima musica, qualis imaginatione concipi potest, nulla verò unquam verba ad eam explicandam suppeterent. Magnus ille Dominus pervenit ad extremitatem cœli, quasi ad amplam quandam portam (taliter enim mihi tum Divina Majestas apparebat) & ibi vidi fieri un-dequaque concursum, ad adorandum cū magna reverentia, & exosculandum illud sacrum mysterium. Agnovi specialiter omnes mihi commendatas personas, unde tam singulare capiebam gaudium, ut eo abrepta meimet obliviscerer, donec ipse Dominus, postquam cæteri suam absolverunt adorationem, ad me conversus mihi dixit: accede etiam tu. Accessi, & cū illud

illud similiter adorarem, eiq; exhiberem honorem, quando sum oculata mylterium visum mihi fuit penetrare intra meum pectus, & sensi in mea anima effectus, quos soleo experiri, dum te ipsâ communico. Non vidi idem reliquis, cum accederent, evenire. Deus sit in omnem æternitatem benedictus. Amen.

Animadvertendum est, ex multis admirabilis hujus Virginis scriptis colligi, quod non symbolicè, sed re verâ in celo viderit Sanctissimum Sacramentum. Qua res favet opinioni quorundam doctorum & piorum modernorum, volentium, reperiri nonnunquam, ac adorari in caelesti Patria hoc maximum Sacramentum. Neg., exiguo meo iudicio, ullum est argumentum ad id negandum, si dicatur, superfluum esse in celo mysterium fidei, ubi beatificæ visionis habetur fructio. Quandoquidem illud non ideo in Ecclesia triumphante interdum ponimus, quod ibi sit hujus Sacramenti usus & necessitas, qualis est in militante: sed quia videtur prorsus rationi consentaneum, ut opere, quod in maximam Dei cedit gloriam, atque Christo Domino nostro est honorificentissimum, nonnunquam illic tota caelestis Aula fruatur, adorando Dominum existentem in Sacramento, cum frequenter descendat in terram, ad illum adorandum in consuetis Missæ sacrificijs, atq; ad assistendum eidem in Sacrario, innumerabiles Angeli. Certum verò est, quod, si ve realis, si ve symbolica fuerit Eucharistia, quam Venerabilis Marina vidit in celo, Deus nos, per eas caelestis pompæ Virgini isti exhibita figuras, docere voluerit, qualem esse oporteat reverentiam & venerationem, quâ hoc dulcissimum mysteri-

um à nobis in terra sit celebrandum. Concludamus hanc materiam aliâ gratiâ, quam cum Deo Eucharistico, & Beatissima Trinitate connexam, eadem Virgo obiit, anno sexcentesimo vigesimo sexto, atq; sic breviter recitet.

In festo Sanctissimæ Trinitatis, dum in Oratorio celebraretur Missa (quam dicebat Dominus Præses Franciscus Marquez) vidi in celo magnum nostrum Trinum Deura, ab infinitis circumdatum Angelis, ex omnibus novem hierarchijs. Mea anima obstupuit præter morè, quod videret Seraphinos assistentes Deo, licet tantâ sint præditi majestate & gloriâ comparabant verò mihi tunc admirabilissimè nihilominus gloriæ & majestati illius personæ Dei comparatos, tantò esse inferiores, ut nequeat explicari: vilebantur mihi longè minores, quàm sit formica colata altissimæ cuiuspiam turri. Vidi deinde rursum idem mylterium in hostia consecrata, paritèrque me in magnam rapuit admirationem modus, quo ibi existeret Sanctissima Trinitas, quia nihil fuit representatum, quod corpus Jesu Christi Domini nostri ibi esset speciali ratione, & ve in suo loco, cætera verò spectantia ad Sanctissimam ipsius humanitatem & Divinitatem adessent per unionem, atque in illo sacro corpore, acti illud comitarentur. Laudent tam magnum, & mirabilem Deum omnes ipsius creaturæ. Amen.

Quod Venerabilis Marina hic, & supra in alio scripto dicit, aliud non est, quàm quod dicitur Fides, corpus Christi in hostia esse ex verborum, & reliquis omnia per concomitantiam.

CAPUT XLVII.

Sublimissimæ notitiæ, quas Venerabilis Marina habuit, de infinito Esse Domini DEI nostri.

In hoc primo libro vix est reperire folium, ubi non legantur sublimissimæ notitiæ Divinitatis, quibus DEUS admirabilem istam Virginem illustravit: quia tamen hæcenus, à capite vigesimo secundo, demon-

strabamus perfectionem excelsi ipsius spiritus, per familiaritatem, quâ caelestes Aulicæ comiter egerunt, ac si etiamnum in hoc degenti videretur jam felix esse superna vincula præsertim verò, & quidem majores præstant gratias, quàm omnes reliqui, magna eadem Regina Maria Domina nostra, atque Dominus ipsorum Rex Christus Dominus noster, visum mihi ad idem propositum fuit, hoc

presenti capite concludere materiam, ut in eo spectatores quedam perspiciantur notitie, ab ea de Divino Esse habita, que ipsam, possibilem in hac mortali visa modo, quanquam ad breve tempus, reddidisse videntur beatam. In quadam ergo charta, anno sexcentesimo vigesimo quinto, licet nec mensem, neque diem certum adnotare potuerim, scribit sequentia.

Vehementer me excruciant dolores & afflictiones, quæ nunc sunt tolerabiles, quando vidi Majestatem Dei, qui mihi suavissimis verbis dixit: Anima es fatigata, vell' sine mecum ire? Omnino, respondi ego, libentissimè comitabor Tuam Majestatem. Dominus acceptavit consensum meæ voluntatis, meque intra se ipsum efficitissimâ unione complexus. Post illam mihi ostendit supra omnem modum pulcherrimam turrim, tam magnam & fortem, ut me raperet in admirationem. Pertingebat suis fundamentis usque ad centrum terræ, & apice suæ altitudinis ad intimos usque caelos, unde tantæ firmitatis esse apparebat, ut nulla ad eam expugnandam vis sufficeret. Eram velut attonita, plus quam possim exprimere, considerando maximam pulchritudinem summe conjunctam soliditati, in illo miraculoso edificio, & Dominus mihi tunc dixit: Anima, hæc turris, quam merito tantopere miraris, est symbolum meæ Divinæ Essentia, in qua creaturæ suum esse habent tam securum ac firmum, ut absque me à nemine possint eo privari. A meo Esse ita universæ dependent, ut nè momento, quidem possent durare, vel conservari, nisi ipsis perpetuò conservarem illud esse, in quo permanent. Si enim eas desererem, deficerent recedentes in nihilum, ex quo à me fuerunt creatæ. Audiebam hæc DEI verba, quibus unâ instruebar, quid significarent; cumque mea anima admirabili lumine collustrata distinctè illas veritates cognosceret, videbam omnes creaturas penitus dependere à continua sui Creatoris conservatione.

Hoc tempore me Divina Majestas, inexplicabili modo, intromisit per unam fenestram, quæ erat in prædicta turri, & intra ipsam perduxit usque ad ejusdem sum-

mitatem, ad tantam altitudinem, ut non animadverterim unquam me tam altè ascendisse. Hic mihi Deus novam contulit cognitionem suarum perfectionum, suæ æternitatis, infinitatis, & sapientia, atque reliquarum, non per figuras imaginarias, sed solam notitiam intellectualem. Notitia ista fuit aded exacta & plena, ut existimarem, me non posse pertingere ad majorem cognitionem, undè summè obstupescens agebam: Quid est simile huic magno Deo? qualis est hæc immensitas carens mensurâ? qualis infinitudo? qualis sapientia? Itâ eram admiratione istarum perfectionum absorpta, quando me Divina Majestas elevavit ad aliam altitudinem, priori longè superiorem, ubi mihi aliam largitus est eorundem attributorum intelligentiam, quæ tantò erat major præteritâ, adeoque meum excedebat caput, ut me prorsus perdidit, & magnitudo eorum, quæ intelligebam, tantâ abripuerit visuperiorem partem meæ animæ, ut nihil aliud sciverim dicere, nisi: Deus est amplius quam hoc, longè est amplius, fuerimque planè perdita. Postquam sum reversa ad meum angulum, sentio me itâ immutatam, ut existimem meam animam non existere intra me, sicut solebat, sed superiorem ejusdem partem remansisse in ea altitudine, velut ebriam, & immerfam visioni illarum summarum perfectionum sui Dei, meque hic unam solùm partem habere, quæ dat vitam sensibus, & potentijs corporeis. Non scio exponere melius, quomodo id fiat, cum ad hoc explicandum verba non suppetant, neque credam lingvâ hominis posse explicari. Deus, qui tribuit, ut id cognoscatur, tantummodo novit, quid sit, qualiterque fiat. Ipse sit semper benedictus. Amen.

Etiam si tam eximia fuerit notitia ista, quam Venerabilis Marina hac vice de Divina Essentia habuit, intimior tamen & sublimior fuit, quam illi Deus aliàs contulit, ut nunc dicemus. Non potui desinere tempus, quod id evenit, sed considerato chartarum numero, procul dubio evenerit posterius. Describit hæc singularem gratiam his verbis.

Mea anima versabatur cum Deo in suo

con-

consuetudo exercitio cognitionis sui ipsius, ubi me etiam resignabam in manus Divinæ Majestatis, ut tam de anima, quam de isto miserabili, morbido & afflicto corpore fieret, quidquid acceptius foret ejusdem voluntati. Videbatur autem mihi magnus iste Deus me jam quasi ad se elevare ac ducere, quod animadvertens dixi: Expecta, mi Domine, quia non possum: corpus enim est debillimum & infirmum; anima verò pauper, atque exiguæ capacitatis, nec te poterit comprehendere, qui magnus es, & infinitus. Ità est, Anima, dixit Dominus, verum ego te bene poterit complecti, & in me ipsum introducere. Hoc dicto Divina Majestas me totam circumdedit, ità ut mea anima se adverteret esse intra intimum palatium illius Divini Esse, velut circumseptam ab eo immenso Deo, & intra quasdam perfectiones impennrabbiles, totam admirationibus absorptam. Nequeo dicere, quamdiu ecstatis duraverit, scio tamen, meam animam paulò post fuisse à Deo elevatam ad aliam majorem altitudinem, ubi quoque Eiusdem Majestas existerat in immensissima gloria, & in lumine infinito splendoris, adeò ut anima in profundissimam fuerit abrepta admirationem, quin ipsius capacitas posset quidpiam percipere, multòque minus referre de tam abstrusa visione: tantùm sic attonita poterat velut balbutiendo dicere: O mi Deus, & omne bonum meum! ô lux lucis! ô lumen luminum! ô lumen inaccessible! quis te poterit comprehendere & concipere, ut saltèm aliquid de infinitis tuis perfectionibus, & occultissimis arcanis explicet verbis, quò agnoscaris & lauderis à tuis creaturis? Poteritne, mi Deus, id fieri? Non poteris, Anima, respondit Dominus, sustinere tantam lucem, quia sum infinitus, & absconditissimus, neque illam tua capacitas, quamdiu degis in mortali vita ferre poterit: sed expecta, dabo enim tibi aliquid, ut eam possis tolerare. Deus sit benedictus. Amen.

Ità in arctissima unione cum Deo mansi longo tempore, sublimissimè cognoscens ejusdem perfectiones, præsertim verò æternitatem, quamvis perpetuò retinerem

illum affectum, quodammodo simul affectivum & gloriosum, quo impellente dicebam: Amplius est, quàm hoc, amplius est. Vidi deinde, qualiter illud summum & infinitum Esse Majestatis illuminaret animas beatas, seq; ipsis communicaret, quæ eam cœlestem incolebant Aulam, & quâ ratione illæ susciperent id lumen, ac participarent beatitudinem sui Dei. Spectabam, & recreabar, quòd meo modo viderem tam sublimem communicationem, dicebamque Divinæ Majestati: Mi Deus, & mi Domine, qualiter poterit explicare modum, quo id fit, cum à me non percipiatur plenè, licètque videam, quòd communices tuam gloriam Beatis, & ipsi eisdem reddantur participes, non tamen agnoscam bona istius gloriæ? Dicamne, mi Deus, meo rudi modo, quòd sicut infantulus recens natus sumit lac ex uberibus suæ matris, quo secundùm suam parvitatem & teneritudinem recreatur, & sustentatur, atque taliter ipsi satisficit, ut nihil ultra requirat, ità hic eveniat? Hocne dicam, mi Deus? O quid dicam, ut me in prædictum finem explicem! Id ego agebam, semper tamen nulla mihi videbatur esse paritas.

Hujusmodi flagrabam desideris, quando summa Majestas volens implere, quod mihi erat pollicita, me præmonuit, quod esset factura. Mea anima incepit tunc, ac tremere, quanquam confortata in suo Deo. Dominus autem subito evabrat in suo Divino Esse quendam velut raiam lucis, quo habito potui per unum momentum Divinam escam, quâ Beata Anima sustentantur, delibare, & frui. Hic mihi occurrunt verba, sed necesse est linguam obmutescere, tantùmque cum S. Paulo dicere: Nec oculus vidit, nec auris audiit, neque cor hominis capere potest oblatenda bona, quæ præparavit Deus agentibus se. Sic anima aliquandiu mansi apud suum Deum, in ea æterna requie. Postea me Divina Majestas reduxit ad meum angulum, ubi summè attonita miror operam huius magni Dei, & sentio naturam debillimam, suisque destitutam operationibus. Deus sit semper benedictus. Amen.

Non constat mihi, utrum ulla pura creatura, in hac mortali vita (semper verò in propositionibus unversalibus excipitur Virgo Dei Genitrix, quam hæc: *suprema dignitas reddit per omnia eximiam*) pervenerit ad videndam raptim *Divinam Essentiam*: scio tamen, si hæc privilegium fuit nonnullis concessum, posse ipsa accenseri *Venerabilem Marinam*. Agnosco omni certitudine morali, quæ in ejusmodi materijs reperiri in hac vita potest, quam securus fuerit spiritus hujus admirabilissima femine; quàm exquisita veracitas, quæ suas refert revelationes: neque satis intelligo, quid sit per unum momentum videre objectum, quod beatas efficit animas, delibare vel unico instanti escam, quæ illas beatitudinis reddit participes, nisi sit visio beatifica, qualis in vita presenti communicatur. Ita loquor, quòd existimem, nulli animæ, quantumcumque esset excellens, communicatam fuisse in hoc exilio, vel per unum momentum, visionem beatis-

eam eo modo, quo communicatur in Patria. Atque id ipsum colligitur ex Dei verbis, dum paulo antè huic Virgini dixit, quòd non esset futura capax sustinendæ in vita mortali tanta lucis, & subjunxit: *Dabo tibi aliquid, ut eam possis sustinere*. Quocirca ipsi non videtur fuisse data perfecta visio beatifica, sed aliquid ex ea, quòd esse oportet supremum contemplationis gradum, proximum visioni beatifica, adeò ut, comparata cum omni alia contemplatione hujus vita, sit instar visionis beatifica, atque suprema contemplatio, si conferatur cum visione, quæ habetur in celo. Verùm hic non est locus, fusiùs disputando, discutere diversas opiniones, quæ extant in hac materia. Unde doctus & pius Lector poterit judicium ferre, juxta mensuram, non solum gratia, sed etiam doctrina, sibi à DEO communicata: raro enim altera absq. altera sufficet, ubi de rebus profunde mysticis est sermo.

CAPUT XLVIII.

Rabies & furores dæmonum adversus

hanc Virginem.



Authenticum virtutum hominis justis testimonium est persecutio, quam patitur ab improbis: nescit enim virtutum in proprio suo conquirere throno, nisi id assuetur, ut regium aliene virtutis subruat palatium. Rara Venerabilis Marine sanctitas pari probatur efficacia, quanquam diversis prorsus vijs, tum ex favoribus, quos à celo est consecuta, tum etiam ex infestationibus, quas sustinuit ab inferno. Non tot diabolus machinas, tam inusitata ob odium hujus Virginis tela collimabit, ut non appareat ex effectibus spectabilissimus amor, quo ipsam Deus complectebatur. Quamvis autem hac de re aliquid supra dixerim, & plurima in prima parte fuerint scripta, existimavi nihilominus, pro conclusione hujus primi libri, in quo nobis propositum fuit, varijs exponere rationibus heroicam perfectionem, quam Venerabilis Marina superstruxit fundamento sue humilitatis, postremum pete-

Vita Mar. de Escolar Paris II.

re argumentum ex odio, quo dæmones contra ipsam flagrabant, & manifestissimè indicabant, supra modum illis displicisse, quòd conjecturarent, eam tenerrime à Deo amari. Refferam acta, servato ordine annorum, quibus evenerunt. Primum sit, quòd recenset mense Julio, anni sexcentissimi vigesimi quarti, his verbis.

Hoc tempore, quadam nocte, acriter confluxi cum dæmonibus, quòd ita accidit. Vidi eam scalam, de qua præterlapsis his mensibus sum toties locuta, pertingentem à terra in cælum. Abstraxi me vehementer ab hac visione, & diu laboravi, ut mentem aliò converterem. Tandem autem me furiosissima vilissimorum diabolòrum caterva comprehendit, atque insolentia quasi connitu brachiorum, voluit compellere ad conscendendam prædictam scalam. Ego reluctabar multum, conabaturque evitare, nè vel ad passum per eam progrederer. Vehementer me fatigabat, affli-

C c

affligebat, & molestabat tam aspera pugna, quia hostes erant multi ac validi, & certamen diu durabat, dum illi obstinatè semper vellent potiri suo sine, adigendo me, ut ascenderem ad cælum. Mei Domini Angeli toto eo tempore spectaverunt tam durum conflictum immoti, donec tandem mihi succurrentes perterrituerunt illam infernalem colluviem, quæ confusa cum ingenti perturbatione se coniecit in fugam, dimittens me, sed fatigatissimam. Tunc hi mei Domini ad me accesserunt, meque amantissimè sunt solati, dicendo mihi: Anima, veni nobiscum; veni Soror nostra: es enim fatigata, & debilitata. Collocaverunt me in meo paupere lecto, confortatâ jam aliquantùm naturâ. Hoc factum notabili me affecit admiratione, & non potui intelligere, quid significaret, quòd dæmones laboraverint, ut abirem ad cælum. Sanctus autem meus Angelus Custos dixit: Ecce, Anima, scias, dæmonem ob ea quæ agis, & propter id, quod nunc efficere contra illum conaris, ardentè optare, ut te, si posset, priveret vitâ, atque sic finem omnium faciat, ut ipse ait: & propterea velut desperabundus, quia exiltimat, quòd nullam de te possit ampliùs referre victoriam, & omnipotens Deus suo tibi adit auxilio, teque jam sibi totam vendicaverit, & cum magno meritum atque gloriæ incremento sit salvaturus, vellet deum compleri Divinum ipsius decretum, ac te ex hac vita migrare, nè ulterius ea agas, ob quæ ipse jaçturam faciat suorum infernalium lucrorum. Voluit igitur tibi magnus noster DEUS & Dominus (ob finem ejusdem Majestati notum) hæc perversa desideria, & hos furores diaboli, eo mystico modo, quem vidisti, manifestare: quòdque diabolus ex hac indignatione, te vellet, dummodo id posset efficere, ad cælum promovere, cum jam in terra aliud à te expectare nequeat, quàm plures ac plures injurias, sic enim ab illo appellantur. Hoc tibi, Anima, Deus patefecit. Sit tibi id solatio, & age illi gratias.

Post aliquot abhinc dies, cum dici cu-

ravissimè novem Missas, pro necessitatibus populi Christiani, prout jussa fueram à DEO (qua de re alibi loquor) vidi ex meo angulo ferocem dæmonum turmam, longo & geminato ordine procedentium. Omnes erant armati, & vario instructi apparatu militari, ut hostis, sclopis, aliisque similibus armis. Sic dispositis resonantibus fistulis ac tympanis, venerunt versùs me confusè vociferantes, subsequente uno, qui apparebat aliorum amosior, & omnibus præerat. Ego vidi hoc horribili spectaculo, timore correpta expavi, atque tum hi mei Domini Angeli ad me accesserunt, quasi me defendentes. Tota illa infernalis cohors me perterritavit, & cum me indignabundè intarentur, loquebantur velut inter dentes, audivi tantummodo dicentes: Nisi laboramus fundamentum, nihil efficiemus. Transiverunt universi, & vidi, quòd provenientes intra quoddam oppidum, se disposerint per omnes illius plateas ac fora, statimque inchoaverint cum incredibili fremitu & ululatu prælium, expellendo sclopos, aliisque omnibus armis dimicando. Venit mihi tum in mentem, me ibi habere, quasdam periculis notas, mihi sanguine junctas, prohibentes ac timentes DEUM, & dixi intra me: Ah mi Domine! etiamne illæ periculis patiuntur? Sed vidi continuo ante eorum fores duos Angelos utrinque assistentes, qui custodiebant domum. Finito conflictu, dæmones discesserunt, & versùs unam oppidi partem remansit quædam quasi nubes, seu nigrum velum, quo tegebatur; atque ex infernali illo igne, qui arserat, superfluere vitæ sordes & fætor. Tunc mihi Sancti Angeli dixerunt: Eamus, Soror, & mudemus istud oppidum. Duxerunt me vitæ, & abstulimus totam illam caliginem, conenique sordes, donec oppidum integrè mundarem: quo completo me reduxerunt ad meum angulum.

Eodem anno, quatuor mensibus ante duos hos eventus, quos retuli, me compuit cruciatus ille morbi extraordinarius, qui tot alijs supervenit, mihiq; tunc

acerbas attulit dolores. Deus sit benedictus. Sic verò se res habuit. Comminatus mihi fuerat dæmon, quòd me suo more esset vexaturus, ac de me sumpturus vindictam. Dum igitur quodam die vacarem meæ consuetæ orationi (erat tunc mensis Majus) conspexi longissimam plateam, angustam, & obscuram, cujus muri erant valde alti, & in illa incedentem dæmonem, qui habitu, & velo capitis referebat fiximanam, vestemque habebat obsoletissimam & incompositam: obvertebat mihi dorsum, & appropinquabat, quin possem conspiciere faciem. Cùm jam modicè distaret, agitavit se & gyravit, ac si ita vellet accedere, ut non animadvertetur. Accessit demum, & forcipibus velut ferreis, quas gerebat in manu, versavit prunas, tanquam illas suscitaret, cujusdam earundem receptaculi, sive nõ modici ignis, quem ipsemet sub paupere lecto succenderat, in quo à tot jam annis agrotat patior. Videns autem dæmon Angelum Custodem se moventem, ac si mihi vellet succurrere, totus terrefactus celerrimè sibi fugà consuluit, nihil ampliùs attendendo, quam egerit: quòd quidem non fuerit parum, cùm sinè mora inceperim sentire crudeles illius infernalis ignis effectus, qui spatio duorum mensium augebantur, ut incredibiles sustinuerim dolores, ac tormenta. Superaddebat idem hostis alia, atrociter torquendo miserabile corpus (nescio quomodo in tanta mea debilitate) eà vehementià, ut existimem, potuisse brachium cujuspiam alterius, si tale foret, dirumpi. Tandem mei dolores intra istud spatium temporis usque adeo incruduerunt, ut me nec interdiu, neque noctu vel modicissimè sinerent quiescere. Tum Dominus misertus meæ afflictionis mihi inspiravit, ut confugerem ad Sanctissimam Virginem suam Matrem: quo ipso momento mihi in mentem venit devotissima imago hujus Domine, quæ vocatur *Vulnerata*, & extat in Collegio Anglorum hujus Civitatis, atque dixi magno fervore & affectu: Sanctissima Virgo, aufer ex hoc miserabili corpore, quòd causam tam gravis præbet doloris. Vix dum finiveram

Vita Mar. de Esob. Pars II.

meam affectuosam petitionem, cùm humores velut in lapides concreti prodiverunt ex corpore, qui me tantopere excruciarunt: licet verò essent grandes calculi, non sensi tamen in ijs egerendis majorem dolorem, quam si eisdem tenens in manu dimitterem in terram. Deus sit benedictus. Amen.

Vulnerata illa imago Deipara, de qua hic Venerabilis Marina loquitur, & que est in nostro Collegio Anglicano Vallisolei, summa in dicta Urbe colitur concursa ac devotione, ob multa miracula, quibus coruscet, & continuas gratias, quas anima eam invocantium experiuntur. Aspectus hujus Virginis iconis plena puncturis, quibus illam hæretica perfidia male tractavit, emollit vel durissimam animam, movet que ad tenerrimam devotionem. Videtur hæc magna Mater misericordie, in singulis sue imaginis vulneribus, singulas celestium gratiarum aperuisse januas, quibus cumulat pios gloriosorum suorum vituperiorum veneratores. Ante illam hodièque extat forma horum calculorum, qui sunt quinque, & quas uor adæquant magnitudine totidem juglandes, authenticum testimonium miraculi à Celsissima Virgine patrati, ac dolorum antea à Venerabili Marina toleratorum, qua progrediens ad annum sexcentessimum vigesimum quintum, ita profequitur materiam persecutionum, quas fuit passa à demone.

Ferià tertiã, vigesimã primã Januarij, vidi Sacratissimam Personam Spiritus S. cujus conspectus me vehementer consternavit, quia fuit prorsus repentinus, & absque indicijs, quæ aliàs præcedere consueverunt, dixique illi: Hincne, mi Domine, ades? Omnino, Anima, respondit Dominus, hic adsum. Comitabantur illum infiniti Angeli cælestes, & Ejus Majestas subitò dixit ijs, qui erant in meo cubiculo, ut me ad ipsum adducerent, quod sunt tam velociter & festinanter executi, ut, priusquam id possem advertere, prout soleo, me statim invenerim ornatam illis ci-melijs & vestimentis, de quibus sum alijs occasionibus locuta. Fui collocata in pretiosa quadam sella penes eundem suum Dominum, qui cum magna majestate ascendebat, ducens me secum, comitante ipsa

ipsum eo immenso numero Beatorum Spirituum. Postquam nos modicum sustulimus à terra, cœperunt tumultuari venti, incredibiliter sæviendo; audiri terribilia tonitrua; videri horrida fulgura. Horum omnium adeò erat tremenda furia, ut mihi maximum incuteret timorem: videbantur enim mihi certò quædam scintillæ igneæ prætervolare faciem & oculos. Dùm me Dominus ità videret terrefactam, dicebat mihi, auctoritatem demonstrando & securitatem: Nè timeas, Anima, nè timeas. Pertransivimus denique illam aëris regionem, in qua erat tempestas, & quando sumus ingressi cœlum, Dominus me univit cum suo Divino Esse, atque post hanc unionem, quæ aliquamdiu duravit, sum reducta ad priorem sellam, in qua me sedere adverteram, eùm intravi in illud cœleste palatium. Hinc me Dominus eduxit ad locum altissimum, ubi consuevi meam animam videre unitam Deo. Ibi mihi Divina Majestas eâ celeritate, quâ præterit fulgur, manifestavit modo arcanissimo suum Divinum Esse, & quomodo se communicet Beatis. Hæc visio, tametsi momentanea, fuit tam eximia, adeoque mirabile id, quod ibi videtur & intelligitur, ut nequeat explicari, neque credo reperibilem esse linguam humanam, à qua exponatur. Inde sum reducta ad meum angulum, ubi præ desiderio, quod mihi Deus dabat, rescindi, qualis fuisset, quidve significavisset illa tempestas, quam in ascensu videram, resignando me humiliter, interrogavi de ea Divinam Majestatem. Respondit mihi, diabolum suspicantem, quantum essem relatura lucri ex eo ascensu, quantisque reditura bonis auctior, conatum fuisse omnia objicere obstacula, quæ illi malitia ipsius suggererat: à se vero, quod ad Divinam spectat providentiam, non semper impediri executionem talium conatum, ut taliter creaturis rationalibus relinquat usum propriæ libertatis in ijs, quæ per illam possunt præstare. Benedictus sit Deus. Amen.

Sequens visio contigit trigesimâ Januarij, anno sexcentesimo vigesimo sexto, horâ circiter septimâ noctis, cui multa interserit pluri-

um facientia ad argumentum, quod trahimus. Propterea judicavi, illam hic esse exponendam. Omnia his famula Dei verba recenset.

Videtur mihi diabolus his diebus summa adversus me agi rabie: millenos autem venit modos ad mihi nocendum, & necesse est ab ipso aliquid effici, siquidem graves patior dolores & molestias. Maxime verò sensi, quòd, non agente diabolo, sed disponente Deo, qui id voluit, mihi videar superposita rotæ Sanctæ Catharinæ, fueritque meum debile corpus in ea bestia cumactum: & quamvis hoc spirituum me acciderit, effectus tamen remanens in paupere corpore ij sunt, atque si reverentiam illam torturam sustinuissem: tam vehementer crucior, ac tota langueo, præsertim verò valde sunt afflicta brachia & dorsum. Insuper Deus his diebus mihi non præstitit consuetas gratias, præterquam brevissimas, ideoque natura est fractissima ac debillima, quæ cum dependeat plurimum à vigore animæ, & hæc illi non præbeat solitum auxilium, sentit hunc defectum, atque destituitur viribus.

Hunc in modum nocte præcedentem Januarius, sub horam quadragesimam eram constituta, quando audivi Dominum mihi dicentem: Soror, bene tibi quid tibi desit, volo tibi succurrere: namque graviter infirma. Subito ingressi sunt in meum cubiculum Angeli, quibus scendebant bini ex cœlo, gerentes in manibus albos accensos cereos, cantando hymnum de Sanctissimo Sacramento. Spectabatur illos Christus Jesus Dominus noster, eo indutus habitu, quo uteretur degens in mundo. Ferebat in suis sanctissimis manibus crucem unius crucis spithamæ, in qua erant expressa mysteria sanctissimæ ipsius vitæ, eo modo quo hic solet efformari crux, pro exponendis in illa sacris reliquijs. Accitit Divina Majestas ad me dicendo: Soror, accipe hanc lipsothecam, quia tibi per illam communicabitur virtus meæ passionis, & mortis, atque confortationis. Suscepi crucem ex manu mei Domini, qui mihi in semetipso contulit clarissimam

notitiam, juxta meum captum, mysterij Beatissimæ Trinitatis. Interea temporis videbam multos dæmones armatos, qui grandem excitabant strepitum, & me torvè intuebantur, non tamen poterant accedere. Ego vehementer timebam ac tremebam, & Dominus mihi dixit: Quid times? nonne es mecum? atque nihilominus non poteram sufficienter expellere timores. Tum Divina Majestas ipsos expoliavit viribus, jussitque inde fac-scere, & statim aliò recessit ad caput mei pauperini lecti, acsi alteri adveniendi loco cederet. Mirata sum id magnopere, verùm statim vidi Sacratissimam Personam Spiritus Sancti, eâ conspicuam pompâ & majestate, quâ aliàs adesse consuevit, & quando advenit, conspexi me exornatam vestibus atque cineribus usitatis, dum ab hoc Domino visitor. Collocavit se ad latus meum dextrum, & Christus Dominus ad alterum, talitèrque me duxerunt, cum innumerabilium Angelorum comitatu, ad cœlestem Jerosolymam. Postquam eò pervenimus, sui ducta per tres gradus ad quandam altitudinam, quos illi uadequaue circumdabant. Ibi Christus Dominus sedit, & ego ad ipsius pedes. Ejusdem Majestas ibi exposuit consecratam hostiam, coram qua sese omnes ij Angeli prostraverunt, adorantes illam, & ubi assurrexerunt, repetiverunt hymnum de Sanctissimo Sacramento. Idem Dominus mihi eam hostiam porrexit realiter & verè sumendam: sensi enim id optimè, non aliter ac dum isthuc communico. Post sumptam à me sacram hostiam, rursus se omnes illi Angeli prostraverunt, & Dominus ipsi est largitus suam sanctissimam benedictionem, unâque mihi. Hic denuò cognovi mysterium Sanctissimæ Trinitatis, fuitque mea anima illi Triuni Domino artissimè unita, ubi sum fructa admirandis bonis, donec me postea reperi in meo angulo. Ipse sit benedictus. Amen.

Postremum istud evenit anno sexcentesimo vigesimo octavo, quod Venerabilis Marina refert sequentibus verbis.

Dum aliquando alloquerer Deum, incitata à lumine, & affectibus, quos Eiusdem Majestas hujusmodi occasionibus in anima commovet, ut ijs liberè nequeat resisti, inter alia illi dixi: Mi Domine, necesse est, ut dæmonem vivum comburam. Id sic præterijt, intra paucos autem dies ille maledictus ad me venit, & interrogavit: Cur me persequeris? atque non expectato responso subjecit. Polliceor tibi, quòd sim duplicem de te sumpturus vindictam. Inprimis quæcunque sumes pro tui sustentatione, inficiam veneno, ut tibi noceant: deinde, omnium qui huc adveniunt, corda reddam frigidissima, nè capiant fructum ex tuis dictis. Tace maledicte, respondi ego, Deus enim est potens, ut verba ipsius producant fructum in cordibus hominum; tu verò non habes majorem facultatem, quam quæ tibi conceditur à Divina Majestate, atque ad id tibi eam non concedet. Non negat mihi illam, regegit ipse, quando id homines non promerentur. Intercesserunt & aliæ inter me & dæmonem similes prædictis quæstiones, & responsa, qui continuè gestibus & vultu minaci me aggrediebatur, ut me invaderet, mihi que aliquid inferret nocumenti. Præ se ferebat infelix speciem laceri & nigri pueri, sive, ut melius dicam, fuliginosi, quales sunt, qui occupantur circa ulstrinas, seu fornaces fabriles. Ego resistebam, contemnendo ipsum, minasque illi intentando, quòd eundem essem combustura, eo sensu, quem mihi in id Deus suggerebat. Mei Domini Angeli spectabant hanc pugnam, & acsi humanis essent præditi affectibus, videbantur eâ oblectari, subridendo.

Intuita sum illos, & quando denuò aspexi dæmonem, adverti, quòd mutavisset speciem, vidique ipsum in figura colubri convoluti in spiras, & conantis caudâ, atque corpore cingere meos pedes: deprehendi simul in manu catenulam, quam ejusdem collo injeci, duxique illum raptando, licèt supra modum conquereretur. Iniviam, quæ videbatur esse bona & plana. Hic ille vehementer lamentabatur,

batur, dicendo: Noli hâc ire, noli hâc ire. Sed quantumcunque id infelix iteraret, progressa sum, donec perveni ad quendam locum, ubi in profundo terræ hiatus conspexi horribilem fluvium, ex quo prodibant lugubres voces, ejulatus, & clamores tam tremendi, ut mihi incuterent timorem, meque revera affligerent. Illuc præcipitavi istum colubrum, ruente eo maledicto in fluvium tanto impetu, ut, tametsi esset profundissimus, nihilominus strepitus fuerit suprâ auditus. Ibi ipsam

reliqui, & reversa ad meos Dominos Angelos, amanter illis sum quæstâ, cur in adeo gravi conflictu fuissent tam quieti, relinquentes me solam cum demone. Illi mihi benignissimè & suavissimè responderunt: Non te deseremus, Sorore nostra, neque deseruimus: siquidem nos DEUS hic constituit, ut tibi assistemus, & opitulareremur. Benedicita sit Divina Majestas, propter suas misericordias.

A M E N



LIBER